This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN

~~3 4 3 4~~
8 7 8
T 3
L 54
V 1


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

8718
T3
L54
V1

PUBLII TERENTII AFRI

COMOEDIAE

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

2182

PUBLII TERENTII AFRI

COMOEDIAE

EX

OPTIMARUM EDITIONUM

TEXTU RECENSITÆ

QUAS ADNOTATIONE PERPETUA, VARIIS DISQUISITIONIBUS
ET INDICE RERUM LOCUPLETISSIMO ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN PRIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

PORSEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVII

272
T3
L54.
v.1

PRÆFATIO NOVI EDITORIS

DE HAC TERENTII EDITIONE.

Quo abundantiora nobis suppetiverunt et melioris notæ auxilia, quibus instructi ad hanc novam Terentii editionem exornandam accedebamus, eo diligentiore cura cavere debuimus, ne periret inter manus nostras tam ampla et pretiosa documentorum seges. E qua scilicet elicuimus, quantum fuit in nobis, quidquid necessarium et utile videbatur; nec ita tamen, ut abstinuerimus omnino nostras quoque elucubrationes in medium proferre, quotiescumque seu in textu, seu in notis, occurrerunt vel dubiæ lectiones, vel loca in quibus non satis placebant interpretando et disserendo commentatores. Quum autem potenter nos adjuverit Vict. Andr. Raym. Bétolaud, Doctor aggregatus ad Rhetorum ordinem in universitate Parisiensi, qui jampridem

laborum nostrorum socius, præcipuam hujus operis conficiendi partem tulit; ante omnia pro talibus meritis grates ex animo maximas agimus libenter et habemus.

Ipsum Nostri Auctoris textum fere talem omnino dedimus, qualem editio in lucem prolata Lipsiæ, anno 1821, a Frid. Christ. Gottl. PERLET. Ad quem eligendum nos impulit tum æquissimo jure parta editoris fama, tum quod omnium, qui antea jam exstiterunt super Terentio laborum, haud immerito summa haberi potest, utpote recentissima, ejus editio. Quibus cæterum rationibus suum Isenacensis professor opus exegerit, ipsum mox audies in propria præfatione disserentem. (Vide infra, pag. XI).

Sin autem adeo fideliter, et dicam propemodum unice, Perleti vestigiis insistimus in textu recognoscendo, possumus profiteri nos multo liberius egisse in eo quod ad interpretationem attinet. Equidem lucro pariter apposuimus Perleti commentarium,

ut ipse vocat, perpetuum. Sed non poterat illud finem nobis propositum assequi. Fuimus, verbi gratia, parciores quam Perletus, in citandis et inter se comparandis variis Terentii locis, quum nobis evenerit usu experiri, levissimam sæpius inter loca utrimque citata similitudinem interesse. Parciores item fuimus, dum dicta similia ex aliis scriptoribus petita attulimus; ex quibus quidem patet Nostrum, ut bene indicat Perletus, communi aureæ ætatis sermone uti; sed ea sæpius nihil prosunt ad ipsius auctoris difficultates explicandas; quod ante omnia, et immo dicam, pro omnibus stare debet. Quid plura? Noluimus etiam nos Perletum sequi in notis omnibus, qualescumque fuerint, repræsentandis, quod nimis exquisite, et nimis e longinquo interdum, ut nobis visum fuit, sensum gestiat detorquere; quia denique ad loca quædam silet, interpretationis omnino indigentia.

Quæ quum in editione Lipsiensi, doctis-

simi viri pace dixerim, desiderare nobis videremur, nobis non licuit nostram hanc editionem omnino *Perletianam* inscribere: quod alii forsan inconsultæ superbiæ; alii (Deus faxit) cupiditati non vituperandæ meliora proferendi tribuent, ut nos etiam de litteris latinis aliquid bene mereri potuisse judicemur.

Utut erit, si quid omittendum duximus inter ea quæ Perletus offerebat, nostri saltem juris facere properavimus quidquid lucide, quidquid ingeniose, quidquid eleganter adnotaverunt probatissimi Terentianarum fabularum interpretes; quibus meritas Perletus ipse retulit in præfatione sua grates, dum sua exsolveret, nostrimet ipsorum debita quoque partim exsolvens.

Verumenimvero alii exstant auctores quos non nominavit, aut quos non potuit cognoscere Perletus, quibus nos multum debere profitemur.

Unus est scilicet Terentii commentator,

quo, dum magis ac magis procederemus, usi fuimus; Boeclerus nempe, quem silentio prætermittere sine piaculo non possumus; nam ab illo multas mutuati sumus notas, et eas quidem doctissimas et elegantissimas, in quibus, « quum præclara multa insunt, tum in artificio comico investigando et aperiendo regnat. » (Westerh. in præfat.)

Accedit quoque Zeunius, qui, dum commentaria Donati et Eugraphii, ipse suis resarcit et explanat commentariis, dignus est qui pro obscuriori sed utilissimo labore laudes accipiat meritas.

Adfuit insuper Bothius, quem ex omnibus Terentii editoribus audacissimum jure ac merito vocaveris; adeo in novis lectionibus recipiendis sibi placet! Quas quidem et diligenter excussas, religiose tamen retulimus. Sed perraro nos ei obsequentes præbuimus; ita ut quum miram ex animo laudaremus sagacitatem illius disputantis de

vera auctoris manu, doluerimus quod non plures impendisset curas in explanando sensu. Et idcirco, pauculas quas de interpretatione emisit notas non omittere sedulo et studiose præcavimus.

Non dedignandam item censuimus operam quam in Terentio collocavit sine ullo fastu, et in usum tantummodo juventutis Jos. JUVENCIUS, societatis Jesu.

Nobis denique, ex latinis commentariis, multum profuit interpretatio, quam soluto sermone infra textum subscripsit Delphiniaci Terentii editor NIC. CAMUS. Cujus auxilio lucide admodum versuum sententiam reddidimus, ubi sæpius tacebant reliqui adnotatores.

Pauciores, quanquam tamen non negligendæ utilitatis, in vernacula lingua nobis contigit opes invenire. Namque, omissa Dacieria, quam satis est, ut putamus, nunc nominare, accessit in subsidium recentior Terentii interpretatio CL. VIR. LEMONNIER,

quæ non infeliciter et in versione ingenium auctoris, et in notis seu varios veterum repræsentavit usus, seu linguæ Latinæ difficiles nodos enucleavit.

Nostrorum subsidiorum copiam claudit altera versio gallica, manu tantum scripta, nec in lucem evulgata, quam nobiscum humanissime communicavit unus ex quadraginta Academiæ Gallicæ viris, Petrus DARU: qui Venusino vati non ita omnino se addixit, ut non aliquid pretiosissimi temporis Africano comico voluerit impendere. Et quidem nobis multum profuit ille, ut prædicare licet, thesaurus, tum propter multa auctoris ipsius loca sagaciter explanata, tum propter dissertationem quæ adjicitur de vero auctore fabularum Terentii nomine inscriptarum; quam, ut poterimus, quæstionem infra sumus aggressuri. (Pag. xxx). Ignoscat autem vir illustrissimus, si vitam candidis moribus, ingenio præstanti et dignitatibus amplissimis nobilem describere

nunc non tentemus! fortasse *non erat his locus;* sed laborum, virtutis et famæ conscientia contentus vivat! nunquam illi deerit nec patriæ nec posteritatis memoria.

Veniunt nunc ea quæ non ad ipsum Terentii textum attinent, sed quæ non fas erit omittere, nisi mancam prorsus et imperfectam volueris esse Comici hujus editionem. Scilicet de vita Terentii, de comœdia, de fabulis, de theatris, de ludis, et præsertim Megalensibus, præmittenda quædam necessario erant, sine quibus multa non potuissent intelligi. Restabat una quæstio, ardua admodum, et de qua multum inter se docti sæpius dissenserunt, ratio videlicet metrorum Terentianorum. Quum autem nos quoque in his angustiis sudaverimus, nihil satius visum quam omnino sequi Westerhovium l. c. dicentem. «Sane qui rationem metricam in Terentio certis legibus innixam adstrictamque dare volet, Terentium ipsum forte et Lælium et Scipionem ab inferis excitet necesse est. Vidit et ingenue

professa est elegantissima Dacieria, cujus verissima in fine præfationis verba sunt: «On pourrait faire beaucoup de remarques «sur l'arrangement de mots, qui, assez sou- «vent sont autrement placés dans les ma- «nuscrits que dans les imprimés; mais cela «serait ennuyeux; nous n'avons pas aujour- «d'hui l'oreille assez fine pour juger de cette «différence. Et pour ce qui est de la mesure «des vers, il nous siérait mal de vouloir «faire les délicats sur une cadence qui «était très-peu sensible du temps même de «Cicéron, et que les plus grands connais- «seurs ne démêlaient qu'avec beaucoup de «peine.» Lucubrentur sane, mordeant ungues, viri docti quibus otium est; tum demum vera eorum gloria prædicatur, ubi utilitatem ejus, quod fecerint, approbabunt..... tueatur quis rite cæteras partes, et facilis intricatissimi metri jactura erit; satis se superque viva morum imagine, stylique elegantia commendabit Terentius.»

Ea igitur doctissimi viri decretoria ver-

ba nos abstraxerunt ab ista metrorum indagatione, de qua tamen, ne in tam dubie agitata materie omnino sileremus, subjecimus tantummodo Erasmi et Perleti dissertationes. Quorum prior, renascentium litterarum ignes sopitos dum exsuscitaret temporibus adhuc barbaris, quasi conditoris et creatoris auctoritatem habere debet; alter novissime veniens, et præsertim Bentleii opera fretus, repræsentat fideliter ad quem gradum hisce hodiernis temporibus ea processerit condendæ versificationis notitia; et ita potuimus omittere reliquos omnes qui reperiuntur de metris disserentes.

Ea sunt, lector benevole, quæ te admonitum voluimus de variis auxiliis quæ circa nos coegimus. Restat ut decernas quam feliciter fuerimus hac tanta ubertate usi; sed saltem sperare liceat fore ut, si perfectam omnino artem hic requiras, egregiam tamen recte faciendi voluntatem velis agnoscere. Scribebam Lutetiæ Parisiorum, Mense Martio, 1827. N. E. L.

PRÆFATIO PERLETI.

De adornanda hac Editione quod consilium ceperim, aut qua ratione id fuerim exsecutus, jam in limine ejusdem rationem reddere par est. Jam puer ego, fateor, Terentii studio sum adeo adductus, ut lectione ejus, præ ceteris fabulis comicorum, ob elegantiam orationis ac morum probitatem, omni modo delectarer. Inde ad hoc opus instituendum nequaquam ita imperite, aut illotis manibus accedebam, præsertim quum ante hos quindecim annos Andriam Nostri, qualicumque opera mea explicatam, in lucem protuli.

Præterea si quid ultra opus esset, quod dicerem, cur ego idem Poetam nunc denuo, quam maxime possem, emendare conarer, non ultro humeros meos obtuli ad subeundum tam grave onus difficillimumque. Enimvero occasionem, quæ extra me data esset, operis aggrediendi nactus minime quæsivi, sed oblatam tantum accepi. Ac proinde, si refert dixisse, non infitior, rogatum me esse, et quidem a viris peritis, ut Terentii Editionem curandam eam susciperem, qua, ita, si qui essent, magistrorum, ut juventutis studium ac desiderium magis faciliusque juvarem expediremve. Id volui quidem, sed quo successu, alius judicabit.

Primum omnium textum recognovi Bentleianum, quem vero ad libros et manuscriptos et editos, quorum copia mihi daretur, conferendum et excutiendum putabam. Hic autem licebat videre, quoties mihi, ubi magnus ille vir libertati conjecturandi nimis indulserit, ab eo recedendum;

quoties, ubi tam sæpe neglexerit auctoritatem codicum, refugiendum esset ad illos. Ac sane incertus sum de Bentleio, utrum in mutando audacior mihi visus fuerit, an sagacior in perscrutando vero; id tantum cognovi illum modo versui suo fingendo ultra modum concessisse, modo Terentium magis ex ingenio suo quam ex fide librorum ipsimet consonum, insuper eumdem Plauti similem redditum voluisse. Attamen quis est qui homini, de Poeta meritissimo, palmam eripiat?

Nonnunquam ipse ego amplexus sum, si quæ meliores viderentur, Bentleianas mutationes. Veruntamen ne soli Bentleio adhærerem, alios circumspexi editores; utque basin lectionis mihi substernerem poneremve, codicibus ex parte usus sum tam aliena, quam mea ipsius opera collatis. Collatos enim excerptosque consului, quatenus varietatem lectionis investigarem, Msstos Italicos ab Faerno, Anglicanos a Bentleio; qui in Gallia essent, a Mureto. Neque omittam Palatinos a Pareo recensitos et comparatos; aut Westerhovii Belgicos, inter quos Leidenses eminent; Editionem sæpius ei laudatam de anno 1469; aut denique, si qui fuerint, Germanicos, a G. et Fr. Fabriciis aliisque consultos. At quos ipse adii codices atque inspexi, Gothani sunt duo, unus membraneus, chartaceus alter; quorum utrumque accepi beneficio Ukerti humanissimi viri ex thesauris librariis Sereniss. Ducis ultro mihi oblatos,

Accedunt Guelferbytani quatuor, de quibus infra.

His addo lectiones e codice Ienensi, Romano ac Veneto desumptas, quas variantes Bachius familiaris benigne mecum communicavit.

Sed redeo ad Faernum, qui textui suo comparando librum substruxit antiquissimum, præter quem adhibuit etiam Basilicanum, Vaticanum atque Bembinum. De Bembino autem libro, cujus tanta et apud Bentleium est auctoritas, notavimus in Catalogo editionum, ubi videatur.

Gabr. Faerni Editionem deinde Pareus sequebatur ita, ut ab ea minimum discedere sibi fere duceret religioni. Bentleius in usu habebat Anglicanos, Regios ac veterrimum codicem, quem æstimat 900 annorum. Muretus inter suos Msstos Venetum maxime laudat. Verum a Pareo Palatini numeris 1, 2, 3, 4, 5, singuli recensentur, quorum lectiones non semper optimæ notæ apparent. His tamen viliores offendi, quas idem in margine Editionis suæ pro variis apposuit e codice Parisiensi desumptas. Cujus enim codicis variantes lectiones sæpe non pluris quam glossæ existimari merentur. Quoad ceterorum lectiones, modo magis placuerunt, modo minus.

Venio nunc ad Gothanos codices ambo explicitius indicandos. Membraneus videtur antiquior esse chartaceo. Scriptus est continuis lineis, nec versibus distinctus. Habet notulas partim in margine appositas, partim interlineares. Verum accidit haud raro, ut quod in margine sit adscriptum, in dubium veniat, utrum pro parte contextus habeatur, an pro glossa. Ceterum quæ nos puncta, sic dicta, ponere solemus, illæ virgulæ sunt, ut sit e. c. *incípiam*, quod idem hodie repræsentamus, *incipiam*. Contra chartaceus puncta exhibet, uti libri nostrates. Chartacei codicis, quamvis recentioris, scriptura tamen aliquanto difficilior est legentibus; ad hoc mira orthographia, ut *therencii* pro *Terentii*. Nomina personarum sunt, ut mos est etiam aliorum, minio exarata vel picta. Leguntur ad calcem hæc: *finivit* (librarius) *feliciter therencii* com. *in oppido eslingensi sub anno dm* (domini) *milesimo quadringentesimo septuagesimo* 2 *do*: Hæc conditio codicis horum utriusque exterior. Quum textum eorum considerassem, nil nisi in paucis eum a Bentleiano atque illo, qui Brunsii codicis est Halensis, discrepare expertus sum. Unde facile erit suspicari, hos omnes libros ex uno fonte derivatos manasse.

Sed ante omnes Guelferbytani s. Wolfenbuttelani Codd. quatuor maximo usui mihi contigerunt. Quos quidem ab Langero, bibliothecario meritissimo, quem fato nobis nuper ereptum permulti mecum dolebunt, venia data ab his, qui ex intimis Sereniss. Ducis Brunswigæ florent, ut acciperem impetravisse me ea, qua decet, reverentia nunc palam confiteor atque gratissimo animo testor.

De his codicibus membraneis est unus, quem primum mihi in manum assumpsi, forma splendida, in fol. de anno 1433. In eo reperi esse lineas verborum continuas, ut vix ullum vestigium appareret metri distinctionis. Ordo verborum sæpe alius est, ac plane a vulgato diversus. Notulæ sunt in margine magna ex parte Donati. Menda librariorum pauca tantum offendi, ut Andr. vs. 569, *discensio* pro *discessio;* aut Ph. vs. 726, *experire.* Ut alia omittam. Mire legitur in Andr. vs. 917, *attentate* pro *attemperate.* Attamen plus minusve egregiæ lectiones sunt in Andr. vs. 191, ubi addita leguntur: *S. si quæras, dicam;* ibid. vs. 243, *maximum;* vs. 318, *crucem;* ibid. Heaut. vs. 206, adduntur: *scortari non vult;* ibid. vs. 296, *et præparet se.*

Sed præcipue notetur in Adelph. vs. 296, lectio quæ est, *Natæ tantæ* pro *E re nata* vulgari.

Secundus mihi Guelferbytan. codex in 4° est, vix aliqua re præter formam insignitus. Habet a manu aliena multa passim contextui verborum superscripta, multa inserta, multa addita, multa glossis intermixtis confusa. Quas vero hic lectiones non contemnendas exhibeat, eas Catalogus noster suo quasque loco indicabit.

Transeo ad tertium, qui scriptus est a duabus manibus diversis, quarum alterius sphalmata seu peccata a tertia manu correcta insunt supra lineas. De hoc codice, si quid planius disserendum videatur, in aliud tempus differam. Ultimum commemoro Guelferbyt. librum, quem debeo

humanitati Langeri ultro mihi superaddentis. Ille autem liber est collectio scholiorum in alios quoque, præter Terentium, auctores. Quæ quidem scholia inde, quantum per difficultatem scripturæ liceret, in commoditatem meam desumpsi et adhibui, hujusmodi sunt, ut, etiamsi multo sudore enucleanda essent, operæ tamen impensæ minime pœniteret.

Tantum de codicibus, quos ipse in promptu habui adeundos. Ex his vero comparatis quantum fructus in studium Terentii evehendum provenerit, id spero ab aliis quoque, præter me, gratissime iri animadversum.

Quod interpretationem attinet, commentario perpetuo confeci eam, qua non solum his hominibus, qui plus, sed etiam illis, qui minus desiderarent, consultum putarem. Nam si quid scire opus esset, malebam ejus rei explicatæ abundantiam adesse, quam penuriam. Nec sunt, qui nobis adhiberentur loci innumeri, quos parallelos dicunt, ostentationis causa adlati. Nam inde sequitur plane aliud. Primo enim qui Terentii sint ipsius similes accumulati, ostendent satis, quam recte ac bene Poeta sibi ipse comparari soleat ac recognosci ex semet ipso. Qui namque tali modo comparatus fiet, ut equidem opinor, facilior nobis ad ipsum intelligendum. In quo certe consistit illud Wakefieldii apud Britannos primarium præceptum interpretandi, ut auctorem quemquam cognoscamus maxime ex semet ipso. Deinde si quæ dicta similia ex aliis scriptoribus, ut Horatio, Virgilio, Ovidio, Cicerone etc. afferantur petita, non obscurum erit, Nostrum communi aureæ ætatis uti sermone. Distinctione verborum usus sum ea, qua hic illic sensus commodissime extricaretur. Enimvero sæpe fit, ut lectio aliqua, quo rectius accuratiusque distinguatur, eo firmius ac certius possit stabiliri. In orthographia, fateor, facilis fui, quum tantopere eam in Msstis et Editionibus variare animadvertissem. Neque semper

satis constabit, quid verum, quid minus; utrum rectius sit, quod antique, an illud, quod recentius scribatur.

Donatum citavi, utpote a Westerhovio plerumque emendatum atque correctum. Constat enim illum ad nostra usque tempora non integrum pervenisse. Huic vero non nego me plurima debere, quæ pertineant ad emendandum vel explicandum illustrandumque Poetam. Dedit autem singularum scenarum argumenta, quæ illinc frequenter mutuatus sum in commodum meum translata. Dives est etiam et grammaticarum et rhetoricarum animadversionum. Præter eum multa mihi explicanti præbuit quoque ac subministravit Westerhovii Editio, quæ thesaurum continet ingentis doctrinæ. Post Donatum memorandus est Eugraphius, qui sententias Terentii dialectice, more suæ ætatis, adumbrat, aut circumscribit iisdem fere verbis, quibus ipse usus fuerat Poeta. Sequitur Calphurnius, qui commentario suo in Heautontim. operam nostram maximopere allevavit. De ipso fecimus passim pluribus locis mentionem. Muretus edidit argumenta et actuum et scenarum, quo nemo aut latinius aut expressius. Bentleius nullibi commentatus est quidquam, nisi in his locis, ubi metri sui causa id opus esse judicaret. Contra Lindenbrogius in eo intendebat, ut propter solam explicationem dicta peteret ex iis ipsis auctoribus, qui minus essent vulgares. Idcirco ad Charisium, Priscianum, Asconium Pedianum, Festum, Zenobium, Diogenem, etc., tanquam fontes latentiores usque haustum penetravit. Farnabius notulas raras margini Editionis suæ adspersit egregias. Etiam Ruhnkenii observationes, quæ cum codice Bruns. edito circumferuntur, lucem afferunt Terentio non exiguam. Addo Pareum, qui in eo præcipuam laudem posuit ac meruit, ut ellipses Terentianas notis marginalibus suis expleret. Cujus vero Editionis, ne id quoque prætermittam, exemplo præsertim gaudebam, ubi notas of-

fenderem, a manu, ut suspicor quidem, J. M. Heusingeri, maximi scholæ nostræ quondam ornamenti, adscriptas. Nec facile fieri potuit, ut Dacieriam silentio præterirem, quæ mulier inter Gallos doctissima miro ingenii acumine morem antiquitatis indagaret atque contingeret. Etiam hoc feci, ut notulas Guelferbytanorum maxime quæ placerent, ingererem. Sed ceteros omitto commentatores, quos in subsidium vocatos libellus ipse meus non uno loco ostendet. Ne multa, silvam commentationum observationumque undique comparatam congessi, adeo ut lectoribus, meopte judicio interdum suspenso, libera esset, quid cuique optimum videretur, eligendi potestas.

. . . . . .

. . . . . .

Postremum peto ab lectore, ut, si utilitatem aliquam ex opella mea ceperit, faveat illi libenter; sin vero offenderit uspiam, id inter humana numeret, et æquo animo ferat.

Scribebam Isenaci, Calend. April. a. c. MDCCCXX.

F. C. G. Perlet,
Gymnasii Isenacensis Professor.

PUB. TERENTII AFRI

CARTHAGINIENSIS VITA.

AUCTORE ÆLIO DONATO V. C.[1]

PUBLIUS TERENTIUS AFER, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori; a quo ob ingenium et formam, non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet: quum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit, et mortuus: nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem [2] Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. Quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse. Quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Portius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:
Dum Africani voce divina [3] inhiat avidis auribus:

1. Alii hanc Vitam tribuunt Suetonio Tranquillo. *Zeun.*

2. *Ducem.* Gronov. *Dominum* ut postulat verbum « commercio. » *Both.*

3. *V. d.* Alii legunt *vocem divi-*

Dum ad Furium se cœnitare [4] et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis suæ: ipsus sublatis rebus ad summam[5]
Inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam [6], in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei [7] Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit Comœdias sex: ex quibus primam Andriam quum ædilibus daret, jussus ante Cærio [8] recitare. Ad cœnantem quum venisset, dictus est, initium quidem Fabulæ, quod erat contemptiore vestitu, subsellio justa lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una; deinde cætera percurrisse, non sine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit; quamvis Volcatius [9] de enumeratione omnium ita scribat: «Sumetur Hecyra sexta ex his Fabula.»

nam, quod præferendum esse videtur. *Zeun.*—*Vocem divinam.* Alii *voce divina*; alii *voci divinæ*; quorum illud quidem vitiosum, hoc autem antiquioris formæ interpretamentum est. *Both.*

4. *Cœnitare.* Vulgo ἀμέτρως; ut indicat etiam Bothius. Qui dat *Dum se ad Furium cœnare.*

5. *Ob fl.* etc. Hunc et sequentem versum West. duce Fabro, in unum contractum edit sic: *Ob florem ætatis suæ: ad summam inopiam redactus est.* Zeun. Vulg.—*Dum se amari ab hisce credit*: quod futile glossema sequentium. *Both.* Qui hos tres vss. sic redigit: *Dum se rapi in Albanum crebro ætatis ob florem suæ: Ipsus lætis rebus summam ad inopiam redactus est.*

6. *In G.* Vulgo *in G. in t. u.* quasi mirum quantum abesset ab Italia Græcia. *Both.* Qui omittit *in* ante «Græciam.»

7. *Ei.* Vulgo ἀμέτρως. *Both.* Qui dat *eii.*

8. *Cærio.* West. recte edidit *Cæcilio*, ut paulo post *Cæcilii.* Zeun.

9. *Volcatius.* Volc. Sedigitus, de quo Gell. N. A. XV, 24. Versus haud dubie prolatus ex illius libro de poetis, iambicis senariis concripto. Quare vulgatum *his* pro *hisce* mendosum arbitror. *Both.*

Eunuchus quidem bis die acta est; meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam Comœdia, id est, octo millia nummûm; propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eamdem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum:

Nam, quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam; quum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quæ tamen magis et usque [10] ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in Oratione pro se ait: « Pub. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. » Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium, quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi. Deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti po-

10. *Magis et usque.* Vulgo obscure. *Both.* Qui edidit *m. et m. usque.*

tuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus [11] ludis initium fecerit Fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popilio, consulari utroque, ac poeta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam, et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas Comœdias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum institua moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed, ut Afer sex populo dedit Comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit. Navim quum semel [12]
Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.

Q. Cosconius [13] redeuntem a Græcia periisse in mari dicit cum centum et octo Fabulis, conversis a Menandro. Cæteri mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo [14], sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. morbo implicitum acri, dolore ac tædio amissarum sarcinarum [15], quas in navi præmiserat, ac simul Fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ

11. *Et qui consularibus.* R. *cujus consularibus.* Lind. Muretus conjicit *Consualibus ludis* : sed Faber vult legi *Cerealibus.* Zeun.

12. *Navim quum semel.* Ms. Danielis *Navim ut semel.* Lind.

13. *Q. Cosconius.* Ita ex Mss. edidimus; vulg. hactenus fuit *Consentius.* Cosconium laudat Varro, de Lind. Lat. lib. v. *Id.* Alii *Consetius.*

14. *Mortuum esse in Arcadiæ St.* Alii *in Arcadia Stymphali sinu.* Ausonius ad Ursulum de senario numero : « Protulit in scenam quot dramata Fabellarum, Arcadiæ medio qui jacet in gremio? » *Lind.*

15. *Sarcinarum.* Nil verius hac lectione, quam omnes scripti codd. præferunt, excepto uno, in quo *fabularum* erat. Vulgo hactenus legitur *satyrarum*; sed id ne titivilitii quidem. *Id.*

post equiti Romano nupsit. Item hortulos XX jugerum, via Appia ad Martis villam : quo magis miror, Portium scribere,

Nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius;
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam :
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in Compitalibus : « Terentio non similem dices quempiam. »

Volcatius autem non solum Nævio, et Plauto, et Cæcilio, sed Licinio [16] quoque postponit. Cicero in Limone hactenus laudat :

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio [17] populi sedatis vocibus effers;
Quidquid [18] come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar :

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, [19] ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac despectus [20] parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

16. *Licinio*. Ms. *Livio*. Id.

17. *In medio*, etc. Ms. Dan. *In medium nobis sedatis*, etc. Id.

18. *Quidquid*. Ms. *Quiddam* : al. *Quidquod*. Id.

19. *Com.* Vulgo continue scribunt *vis Comica*, quod verbum per omnes fere hodiernas linguas propagatum est : sed recte monet vir egregius, Frid. Aug. Wolfius, Acad. Halensis decus, conjungenda esse verba «Comica» et «virtus.» *Both.*

20. *Despectus*. Ms. Dan. *despecta*. Lind.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis Fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait :

Hæ quæ vocantur Fabulæ, cujæ sunt[21] ?
Non has, qui jura populis, end' ibus dabat[22] *
Honore summo affectus fecit Fabulas.

Duæ ab Apollodoro translatæ esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra : quatuor reliquæ a Menandro : ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula : Hecyra, sæpe exclusa, vix acta est.

PUB. TERENTII VITA,

QUAM E CODICE MS. OXONIENSI DESCRIPSIT

ABR. GRONOVIUS.

Comicus genere quidem extitit Afer, civis vero Carthaginiensis : Scipione autem remeante victore [1] Carthagine ad urbem Romam post interfectionem Hannibalis, iste, qui cum aliis multis Carthaginiensibus comprehensus fuerat, ante currum Scipionis ligatis retro manibus minatus est, ut captivus, sed currum illius pileatus prosecutus est in urbem, quod erat in [2] signum libertatis. Nam, qui-

21. *Cujæ sunt.* Sic libr. Dan. Al. *cujus sunt?* Idem. Adhuc legebatur *cujus* vel *cujæ sunt*, sententia refragante. Obsoletum illud *ne* pro «non,» quum displiceret librariis, cito expunctum est. *Both.* Qui dedit *cujæ ne sunt.*

22. *Populis, end' ibus dabat.* Ita Mss. Danielis. Vulg. *potentibus dabat.* Alii autem editores præferunt *recensentibus.* Lind.

1. *A Carth.* Br.

2. Additum *in*, quod in codice deletum est. *Bruns.*

cumque captivorum a victore libertate potiretur, pileum in capite habens currum illius prosequebatur; ut enim a Scipione agnitus est liberali ingenio, sapientia florere, in tanto honore, tanta [3] gratia apud eum habitus est, præsertim quum liberis genitoribus [4] ortus esset, ut ei eamdem libertatem concederet, atque inter domesticos suos præcipuam familiaritatem ei donaret. Romæ autem dum moraretur, et videret frequenter populum in theatrum ad spectaculum convenire; ea ratione atque intentione exorsus est Comœdiam scribere, ut populo recitationem Fabularum suarum conferret, sibique eum conciliaret: sed, quum cœpissent Fabulæ ejus recitari, longe aliter visum est, quam sperasset [5], quia [6] multos æmulos propter [7] hoc contra se excitavit, qui ejus dicta reprehendebant. Scripsit autem nitidissimo stylo sex Fabulas, ex unaquaque unum librum determinans; quas licet multi negent [8], mentiuntur, teste Prisciano, qui de Metris Terentianis loquitur, et insuper in libro Grammaticæ [9] sæpe dicit, cujus genere metri constat exemplum, quod [10] ponit; necnon etiam teste Rufino in eo libro, quem de Metris scripsit: ipse [11] quoque nihilominus [12] in Prologis se poetam vocat. Omnes quidem ejus libri permaxime iambico metro constant, licet non uniformi. Prologi vero omnium librorum ternario iambico catalectico compositi sunt, sex pedibus pro tribus computatis. Nam diversa sunt genera iambici metri. Est enim monometrum, quod constat duobus iambis: est dimetrum, quod quatuor: est trimetrum, quod sex: est tetrametrum, quod octo: est pentametrum [13], sed raro

3. *Tantaque* Br.
4. Id. *progen.*
5. Id. *speraret.*
6. Id. *quonium.*
7. Id. *per.*
8. Id. addit, *metro constare.*
9. Addit et *artis.*
10. *Exemplumque* habet Br. pro, *exemplum, quod.*
11. *Ipso* Id. Quam lect. meliorem judicat Bruns.
12. Br. addit *qui.*
13. *Pent. quod X*, est supra lineam scriptum in Br.

invenitur: in quibus ista lex observatur, ut semper duo iambi pro uno pede computentur, ob celeritatem temporis, quam occupant, teste Horatio in libro Poeticæ [14]. Imitatur [15] autem Nævium, Plautum, Ennium, veteres Comicos, præcipueque Menandrum, qui longe ante ipsum duas Fabulas descripsit [16] in quas transtulit quædam ex Perinthia illius, quæ convenere tam in sensu, quam in stylo: idcircoque graviter reprehendebatur ab æmulis. At [17] tamen notandum, inter omnes Comicos istum Terentium ab [18] hoc principalitatem possidere, quum [19] proprietatem verborum præ omnibus observavit. Illud etiam animadvertendum, has Fabulas non ab ipso recitatas esse in senatu [20], sed a Calliopio, [21] clarissimo viro, satisque erudito, cui ipse præcipue adhærebat, cujusque ope sustentabatur, et auctoritate audiebatur. Modulator autem harum Fabularum fuit Flaccus; quotiescumque enim recitabantur, erat modulator, et alii, qui gestu corporis eosdem affectus agebant. Comœdia enim ita constat, ut non res gestas more historiarum narret [22], sed ex collocutione personarum res gesta comprehendatur, quasi inter eos tunc agatur. Hoc quoque notandum, quia non absque re imagines Terentianæ turgido et inflato ore pinguntur. Facundia enim et affluens eloquentia Comicorum per hoc innuitur, quia fastuosi [23] loquuntur, ut Horatius, Art. poet. vs. 94:

14. *Poetriæ* Br.

15. Id. *Imitatus est.*

16. *Composuit* pro *descripsit* habet Br. et addit: « *i.* (id est,) Andriam et Perinthiam. Quæ ita compositæ sunt, ut, qui unam intellexerit, ambas intelligat. Sunt enim dissimiles in sensu, et materia, sed concordant oratione ac stylo. Hic Terentius post ipsum Andriam aliam scripsit, in qua, etc.... »

17. *At* delet Br.

18. *Ob* Br.

19. *Quoniam* id.

20. In Br. superscript. *scena:* quam esse verissim. lect. judicat Bruns, et vult Zeun.

21. *Calliop.* Br.

22. Id. *nar. mo. hist.*

23. *Vastuose* id. «Superscriptum ab antiqua manu *fastuose:* et in marg. additum a recentiori: Comici fastuose loquuntur, id est, tumido ore. » *Bruns.*

Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Nomina autem Fabularum, sive librorum hujus Comici sunt ista: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphœ, Hecyra, Phormio.

PUB. TERENTII VITA,

DE DICTIS D. F. PETRARCHÆ,

QUÆ EST IN EDITIONE MEDIOLANENSI ANNI MCCCCLXXVI.

De Terentii vita in antiquis libris multa reperiuntur; plura etiam in modernis, scripta per varios scholasticos, rerum ignaros: eoque veris falsa miscentur. Illud primum rei totius fundamentum. Multi ponunt Carthaginiensem patria fuisse Terentium. Quod haud dubie verum est, sicut epitaphium ejus clare indicat. Quamvis hoc ipsum quidam negent, ut inferius patebit. Cæterum et, qui hoc dicunt, vero huic falsum illud implicant. Dicunt enim Scipione Romam revertente eversa Carthagine, interfecto Hannibale, hunc Terentium inter ceteros captivos solutum et pileatum incessisse post triumphalem Scipionis currum. Quæ res multipliciter a veritate semota est. Nam in primis Scipio Carthaginem quidem vicit, et tributariam fecit, non evertit tamen ipsam Carthaginem; sed nepos ejus adoptivus, Africanus minor. Hannibalem præterea bello vicit, fugavitque, sed nequaquam interfecit. Nempe qui victus in Asiam profugit, et sub Antiocho rege Syriæ militans consilio atque opera sua et regis potentia novum cum Romanis bellum denuo gessit. Quæ historia omnibus, qui in talibus ingenium exercent, planissime nota est. Deinde Scipionis triumphantis currum non hic Terentius pileatus prosecutus est, sed alter hujus nominis, Romanus civis: et, ut Valerius

Maximus testatur, prætoria familia ortus, et inter paucos senatorii ordinis splendidus. Qui etiam post id tempus, tunc scilicet, quum Scipionis frater accusatus est Romæ, præturam gessit. Hic ergo triumphantis currum Scipionis prosecutus est, pileo capiti imposito, quod donatæ libertatis signum erat. Quatuor millia siquidem Romanorum civium, qui bello Punico capti erant et in servitutem redacti, victor Scipio liberatos in patriam reduxit. Inter quos fuit hic Terentius, de quo dixi, et tam memor beneficii accepti, tamque singulariter ante omnes gratus, ut per omnem vitam liberatorem suum Scipionem omni obsequio ac patrociniis debita veneratione coluerit. Triumphi autem die post eum pileatus incessit, hoc est, liberti habitu; quasi per illius viri virtutem se libertati redditum populo Romano pileo testante denuntians. Quæ omnia apud Titum Livium, celeberrimum historicum, nota sunt. Sed minus miror scholasticos hoc errore deceptos, quum Paulus Orosius hoc scripserit: de quo admodum mirarer, nisi quod interdum magna quidem ingenia et in multis occupata et inter difficultates erecta equorum instar propter incautam securitatem in plano cespitant. Identitas nominis, ni fallor, errorem fecit, quod scilicet uterque Terentius. Sed circumspectus homo non vidit, quod se oculis ingerebat, in primis diversitatem cognominum, quæ ad discretionem nominum sunt inventa, quod scilicet ille Terentius Culeo, hic Terentius Afer, ut tituli hujus operis indicant; ille Romanus, iste Carthaginiensis : ille e servitute in libertatem, iste autem contra e libertate in servitutem ductus; ille senator, hic poeta; ille jam senior eo, hic puer eo tempore, quo a Romanis ducibus captus est: in qua captivitate ob elegantiam morum ad magnorum venit amicitias; utque ait Eusebius libro de Temporibus, ob ingenium et formam libertate donatus est. Inter tot diversitates fallere una non debuisset identitas. Hic sane

Terentius a principio juventutis suæ fertur a Terentio quodam Lucano emptus, a quo et nomen ipsum fortasse potuit accipere, aliter antea dictus apud suos. De hoc tamen præter conjecturam habeo nihil. Id quod constat, litteras Latinas Romæ didicit, ad poeticam pronus, et præcipue comœdiam; quo in genere facile, ut mihi videtur, omnes ante se vicit. Nam sequentes etiam a scribendo deterruit, nec fere, quem noverim, comœdiæ scriptor clarus post Terentium fuit. Scripsit comœdias forsan plures; sed, quæ habentur in manibus, sex sunt, quæ per ordinem hoc volumine continentur: quamvis ipse ordo non in omnibus voluminibus unus sit. Utcumque vero sint aliæ, ubique prima omnium est Andria: quam comœdiam, priusquam ædilibus venderet, ut Eusebius idem ait, Cæcilio multum se miranti legit. De materia Comœdiarum loqui prolixum est: de expositione prolixius. Sed cujusque materiam in argumento ejus perbreviter comprehensam lector inveniet; expositionem studio et ingenio molietur. Genus poematis carmen iambicum, sed varium. Iambi enim materiæ comicæ apti sunt. In Comœdiis quidem nusquam Auctor loquitur, sed introductæ personæ: quem morem hic ad Prologos transferre nititur; quibus scribendis æmulorum invidia causam dedit. Respondendum enim erat, ne forte procacitas gloriam mereretur, infamiamque modestia. Horum vero stimulis ac vocibus agitatus fertur Athenas petiisse, ut Græcorum penitus ingenia moresque pernosceret: et, quum, multis in Latinam linguam translatis, post aliquod tempus voti compos Romam remearet cum sarcinulis et Comœdiis, quas ibi scripserat, in navim impositis, ipse terrestri itinere Patras perrexisse: unde brevi transitu in Italiam navigaret. Ubi exspectatæ navis audito naufragio, quæ circa Sinum Illyricum periclitata erat, tantæ jacturæ dolore permotus Stimphalim in Arcadiam decessisse: ibique defunctus ac sepultus publice

fuisse. Periisse eum in Arcadia, ipso eodem teste Eusebio, notum est. Et in primis quidem quatuor Comœdiis, scilicet Andria, Eunucho, Heautontimorumeno, Adelphis, Menandrum Comicorum principem Græcorum imitatus creditur; quod et rubricæ vetustissimorum codicum innuunt. Quin partem scripturæ, quia plus confusionis, quam lucis habere visa est, sciens omisi. Innuunt et Prologi quidam in reliquis duabus Apollodorum Corinthium. Vendidisse eum Eunuchum suum, fama est, viginti millibus nummûm : quod pretium ante eum nullus acceperat. Ad summum, suo genere poetandi tantus vir fuit, ut Hieronymus inter quatuor poetarum, duos scilicet Græcorum, et totidem Latinorum, duces quartum hunc nominare non dubitet, hoc ordine : Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium : quam sibi excellentiam non styli attribuit altitudo, qua a multis non dubie et Menander apud suos vincitur, et Terentius apud Nostros, et quæ in comœdiis non modo non necessaria, sed plerumque etiam vitiosa est. Quid ergo humanorum morum exacta notitia et ordo narrationis ab ipso Cicerone laudatur, et styli jucunditas ac gratia ? Sed super omnia, ut quibusdam placet, sola proprietas hæc facit; ut enim primo Æneidis commento ait Servius, sciendum est Terentium propter solam proprietatem omnibus Comicis esse prælatum : quibus est, quantum spectat ad cætera, inferior. Quod ultimum omnibus, quos legere potui, commentatoribus excussis, Servii salva pace non approbo. Hæc vel ad notitiam habendam, vel ad errorem declinandum, breviter de Terentio dicta sunto.

DISSERTATIO NOVI EDITORIS

DE EA QUÆSTIONE:

« *Num sit vere auctor Terentius fabularum Terentii nomine inscriptarum?* »

Inter omnia quæ ad deterendam Terentii laudem, dum viveret, æmuli et detrectatores excogitaverunt, nihil invidiosius videtur, quam quod fabulas Poetæ hujus nomine inscriptas ipsius non esse ausi sint contendere. Quæ quidem exprobratio, ab hominibus Terentio æqualibus primum intentata, temporibus nostris invaluit, quorumdam qui in re litteraria non ultimum locum obtinuere, auctoritate confirmata et corroborata. Inter quos occurrit vir clarissimus *Montaigne* apud quem legitur : « Si les gestes « de Xenophon et de Cesar n'eussent de bien loing surpassé « leur eloquence, je ne crois pas qu'ils les eussent jamais « escripts : ils ont cherché à recommender, non leur dire, « mais leur faire. Et si la perfection du bien parler pouvait « apporter quelque gloire sortable à un grand personnage, « certainement Scipion et Lælius n'eussent pas resigné l'hon- « neur de leurs comédies, et toutes les mignardises et de- « lices du langage latin, à un serf africain : car, que cet « ouvrage soit leur, sa beauté et son excellence le maintient « assez, et Térence l'advoue luy mesme; et me feroit-on « desplaisir de me desloger de cette creance[1]. »

Fatendum quidem est cum scriptore supra citato longe

1. Essais de Montaigne, vol. II, liv. 1, chap. 39. Paris, 1818, *Lefèvre*.

satius esse bene facere quam bene dicere; non autem inde colligi debet, virum qui magna egit, litterariæ laudis studio minime moveri, et bellatoris cujuslibet famam magni scriptoris fama justiorem esse ac clariorem. Num licet, quæso, Terentianas fabulas, propterea quod perfectum et absolutum opus legentium omnium judicio agnoscuntur, viri qui in castris fere totam ætatem traduxit nomini potius adscribere, quam hominis qui placido litterarum studio deditus vixit? Non inerat illarum ætatum optimatibus quædam urbanitas scholasticis et fere dicam umbratilibus viris incognita, quia nempe nulla erat aula, nulli aulici. Si ad servilem Terentii conditionem spectaveris, non debet idcireo existimari eum non bene educatum esse et institutum, quod fuit servus: permultos enim recensere licet quibus inter servitutem, ingenium minime servile eminuit atque invaluit. Immo apud veteres exstabant servi omni litteraria laude ornati, qui litteratorum hominum nomine vendebantur. Venimus ad id quod sub finem loci citati legitur, scilicet Poetam ipsum fateri se Scipioni ac Lælio suum nomen commodavisse. Quantum valeat et in quam partem accipi debeat illa confessio, si vis deprehendere, auctorem ipsum interroges necesse est, cujus locus talis est: « Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles

> Eum adjutare, assidueque una scribere,
> Quod illi maledictum vehemens esse existimant,
> Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet,
> Qui vobis universis et populo placent;
> Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
> Suo quisque tempore usu'st sine superbia. »

Quis in his verbis non agnoscat sermonem auctoris patronos commemorantis, quos vult suæ ipsius famæ inservire, quosque in partem laudis ex opere partæ vocat[1]?

1. Adelph. prol. v. 15, sqq.

Si a Lælio et Scipione scripta fuisset fabula, de qua illa excerpsimus, certe iidem prologum scripsissent. Num vero tales viri ita magnifice de se prædicare ausi essent? Quomodo fieri potuisset, ut paterentur Terentium rem talem confiteri, si ipsi revera fabulæ fuissent auctores, et si fabularum scriptorum nomen erubuissent? Est igitur agnoscendum in illis versibus nullum alium nisi Terentium loqui; atqui in his versibus is non dicit se a patronis suis fuisse in opere adjutum; de hac re, adulationis causa, plane silet, contentus declaravisse quam benevoli in se ipsum exstiterint. Poeta igitur, talibus verbis usus, exemplum secutus est scriptorum qui, postquam, opera patronis suis recitaverunt, palam profitentur se illis propriæ famæ partem debere.

Si opinio nostro auctori tam contumeliosa res certa et vera fuisset, si Terentii versus modo citati tanquam expressa confessio habiti essent, quomodo malevoli talem confessionem in ipsum retorquere neglexissent? Num Porcius ille qui injuriosos in Terentium versus ediderat, potuisset hæc de eo scribere:

« Nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam :
Saltem ut esset quo referret obitum domini servulus.»

Hactenus opinionem quam impugnamus, refellere contenti sumus asserendo quæcumque sunt verisimilia et probabilia. Nunc venimus ad testimonia ejusmodi quæ malevolorum et omnium qui eos secuti sunt verba perfringant. Præcipuum testem invocamus virum clarum, Tullium scilicet, qui ita ad Atticum scribit : « Terentius, cujus fabellæ, propter elegantiam sermonis, putabantur a Caio Lælio scribi [1].»

1. Ep. ad Atticum lib. VII, ep. 3, sub finem.

Dum utitur voce *putabantur*, nonne indicat opinionem illam obsoletam esse? quæ si adhuc exstitisset, idem scripsisset *putantur*; vel potius omnino tacuisset, quandoquidem dicit hoc in laudem Terentii, qui insigni dicendi genere locum huic errori fecisset.

Præterea num Plutarchus, aut scriptor qui vitam Scipionis nobis tradidit, oblitus esset facere mentionem de viri fabulis, si opinio de qua agimus in aliquo honore fuisset? Quum laudat Scipionis pueritiam, lepidum ejus ingenium et judicium acutum prædicat, nulla litterarum mentione facta. Idem scriptor, dum confert Scipionem cum Annibale, de hoc dicit: « Quelques uns escrivent qu'Annibal estoit tant versé es lettres grecques, qu'il escrivit une histoire en langue grecque.[1] » Cicero in libro quem scripsit de Amicitia, inducit Lælium citantem versum quemdam Terentii familiaris et ita loquentem : « nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit :

Obsequium amicos, veritas odium parit. »

Mox idem Lælius Terentii auctoritate nititur, quum dicit: « in obsequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur, comitas adsit. »

Num Cicero Lælium ita loquentem induxisset, si Poeta fuisset unus ex iis qui supposito nomine aliena opera furantur? Præterea num exhibuisset Lælium verba sua ipsius citantem, contra verecundiæ et modestiæ leges? Sed quo rectius judicare possimus de exprobratione Terentio facta, ii primum quærendi sunt, quos malevoli contendunt una cum Poeta collaboravisse. Tres, quatuor, vel etiam quinque ab illis nominantur. Ante omnia animadvertamus egregiam fabulam non nisi ab uno eodemque homine posse proficisci; et fabulas quæ eodem dicendi genere, eadem

1. Plutarchus, vita Scipionis.

ingenii specie constant, ab eodem auctore profecto scriptas fuisse. Quæ quum ita sint, ex Scipione, Lælio, Furio Publio, Sulpicio Gallo, Q. Fabio Labeone, Marco Popilio, etc., unus tantum est eligendus qui inventionis et styli laudem solus sibi habeat.

Quod si pro indubitato staret non esse Terentium vere auctorem fabularum, parva esset hæsitatio indicaturis ad quem ejus operis laus pertineat; nec plures simul nominarentur. Quippe quum Furius, Gallus, Fabius, Popilius, magnam hic de se moveant suspicionem, in Scipione et Lælio immorandum est. Quorum priorem non memorat Plutarchus fuisse litteratum, quod malæ in primis est notæ. Equidem confitemur eum liberaliter omnino fuisse educatum[1]; sed ejus pater Scipio parum, opinor, curavit, ut aliquem inter scriptores locum filius teneret, quem secum semper in castris habuit. Præterea, quum Paterculus liberalem hanc Scipionis prædicet educationem, nullo modo innuit eam in felices abiisse fructus, originem scilicet quibusdam dedisse operibus. Num autem satis habuisset, re non probata, asserere præclarum hunc bellatorem *ingenii ac studiorum fuisse eminentissimum*[2], si pro testimonio afferre potuisset celeberrima quæ ei a quibusdam vindicantur opera? Num omisisset Tullius mentionem de iis Scipionis operibus, quum Lælium inducit[3], qui magnificis præclarum hunc ducem extollat laudibus? Quum, persæpe alias[4], studium Scipionis in litteratos, et cæteras ejus virtutes prædicet, num ausus fuisset ei partem suæ gloriæ detrahere? Minime fieri illud potuisset. Nempe Tullius majoris laudem ex litteris comparatam æstimabat; nimis pro certo tenebat optime circum idem caput posse

1. Velleius Paterculus.
2. Vell. Paterc. lib. I.
3. Lælius, sive de amicitia, initio.
4. Cicero, de amicitia. — Idem in litteris familiaribus et aliis, passim. — Oratio pro Lucio Muræna, in fine, ubi vide.

Victoriæ et Poetices lauros succingi, quam ut eas lauros præstantissimo amicissimoque viro denegaret, et eas quidem maxime meritas.

Quod attinet ad Lælium, qui cognomine dicebatur sapiens, tum ex tranquilla ipsius vita, tum magis ex multis Tullii laudibus, constat sine dubio eum fuisse litterarum peramantissimum. Hunc anteponit Scipioni [1] Tullius; sed oratoris tantummodo laudem huic asserit; et quum memoret illum magno ardore ad scribendum incubuisse, probat hoc ipso futuram fuisse apud Tullium de comœdiis Lælii mentionem, si eas revera composuisset Lælius.

Ad hæc omnia accedit, quod Scipio et Lælius natu minores essent quam Terentius, annis novem, si audiantur Dacieria et Tan. Faber. Imo pervicimus Terentium in lucem venisse maturius quam ipsi asseruerunt. Quid igitur adjumenti potuisset sperarè dè duobus adolescentulis qui trigesimam nondum ætatem attigerant, quum in Græcia mortuus est, nempe, haud ita multo postquam ab eis discessisset?

Optime probat Dacieria [2], uti fatemur, posse fieri, ut quis elegantes ante hanc ætatem scribat comœdias, quandoquidem Terentius, vigesimum solummodo et septimum annum natus Andriam ediderat; sed, tunc temporis, adhuc puer erat Scipio; quod si autem Andriam, non adjuvante Scipione, potuit noster Poeta componere, quid vetat idem esse de cæteris?

Insuper credit mulier doctissima, ea de quibus hic disserimus, Terentio objecta fuisse non nisi sub vitæ finem; et tum primum, quum edidit fabulam quæ inscribitur Heautontimorumenos, duo et viginti annos Scipione nato.

1. Dialog. de Oratore, initio.— De finibus bonorum et malorum, lib. II. — Lælius, sive de amicitia. — Brutus, seu de claris oratoribus. — De officiis, lib. II. — De natura deorum, lib. III.

2. Notæ quas adjunxit doctissima mulier vitæ Terentii.

Sed, quæ est inter varios Terentii detrectatores repugnantia, non Scipionem afferunt hujus comœdiæ auctorem. Suetonius, qui diversas opiniones memorat, in neutram, ut solet, partem inclinans, dicit[1]: « C. Lælium quondam in Puteolano, kal. martiis[2] admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interpellaretur. Serius tandem ingressum triclinium, dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatus ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pol! proterve me Syri promissa huc induxerunt. »

Admittamus aliquantisper, veram esse hanc historiunculam; cum Dacieria[3] ipsa poterimus respondere: « Dans les pièces de Molière ne trouverait-on pas bien « quelques vers que ses amis auraient faits pour lui! Cepen« dant s'est-on jamais avisé de dire que ces pièces ne sont « pas de Molière? »

Et nunc, ut narrationis ipsius fidem aggrediamur, indagare velimus qua ratione ad nos ea pervenerit. Primum vitam hanc Terentii quam Suetonianam plures esse contendunt, alii Donato, et etiam incerto auctori adscribunt. Deinde hujus vitæ auctor, quicumque sit, non ex se ipso illud refert, sed ex quodam Cornelii Nepotis opere, ad quod vetustatis injuria recurrere non sinit. Denique a quo illud Cornelius compererat, incertum. Non ergo satis probe tradita res est, ut credi debeat.

Dum contra, in ipsius hujusce Heautontimorumeni prologo, omnia denegat Terentius tam acriter, ut omnino refellatur quidquid confessionis in Adelphis deprehendi putabant; quod ex ipsis patet verbis:

1. In vita Terentii.

2. Erat tunc festum Matronis romanis dictum; in qua scilicet die imperium domi, viris exclusis, exercebant.

3. In notis de vita Terentii.

Tum quod malevolus vetus Poeta dictitat, etc.

Fidem ergo adhibemus verbis probatissimorum hujus temporis virorum, potius quam invidorum poetarum, et eruditorum docte delirantium. Quanquam fatebimur non pauca stare in istis castris eruditorum nomina non spernendæ adeo auctoritatis; quod quidem causæ fuit, cur opinioni ab eis pervulgatæ tam vivide repugnare tentaverimus. Sed adeo non soli, et proprio tantum marte certamen hoc iniimus, ut, adversante nobis et Montanio [1], et Fabro [2], et Dacieria [3], auxilientur Baylius [4], et, satis mirandum dicam, ipsa Dacieria [5]. In notis scilicet quas Adelphorum comœdiæ subjecit doctissima mulier, incusat Terentium quod suum nomen Scipionis et Lælii carminibus inscripserit : « Je sais, dit-elle, que la modestie de « Térence en cette occasion ne vient ni de son honnêteté, « ni de l'envie qu'il avait de faire plaisir à ses amis et à ses « bienfaiteurs, mais de la force de la vérité. » In notis quas de vita Terentii scripsit, contraria prorsus sic enuntiat eadem : « Il est vrai que dans les Adelphes Térence fait « fort bien sa cour à Scipion et à Lælius; mais dans l'Héau- « tontimorumenos, il n'avait pas été si complaisant; car il « dit que c'est une calomnie, et il prie les Romains de ne « pas écouter les contes des méchants. » In notis de Adelphorum comœdia, objicit ea quæ sequuntur : « Il y a « beaucoup d'apparence que des gens aussi polis que Sci- « pion et Lælius avaient beaucoup de part à ses pièces; car « comment un Carthaginois aurait-il pu en si peu de temps « attraper toutes les beautés et toutes les graces d'une lan- « gue aussi difficile que la langue latine? » Et quidem sic

1. *Essais*, lib. XVII, cap. 39. Considérations sur Cicéron, initio.

2. De Terentii vita, in fine.

3. Notæ in Adelphorum prologum.

4. In suo dictionario, ad vocem Horatius, *remarque* F.

5. Vide optimas ipsius notas ad vitam Terentii, seu ex Suetonio, seu ex Donato.

ipsa sibi respondet, in notis de vita Terentii : « Cela ne « conclut rien; Phèdre, qui a écrit si purement et si poli- « ment en latin, et qui a su si bien prendre le tour de Té- « rence, était un esclave originaire de Thrace. Personne « ne l'a pourtant jamais soupçonné d'avoir eu besoin de « secours. D'ailleurs Térence pouvait avoir été mené à « Rome assez jeune pour avoir entièrement oublié sa « langue, et pour s'être rendu la langue latine naturelle. »

Non diutius immorabimur, ut in planum adducamus quantum hæc inter se repugnent. Silentium quod de ea re servant Plutarchus et plures ex inimicis Terentii, opinio Ciceronis, major ipse numerus eorum quos volunt invidi in partem Terentiani laboris vocare, tenera nimis Scipionis et Lælii juventus, ipsa denique Terentii denegatio, satis superque sunt, nisi fallimur, quibus ad nihil recidant malevolæ criminationes. Verum enimvero quid inde, si ista non in vanum abirent? duæ vel tres comœdiæ Terentio forsan detraherentur : quæ tamen restant cum aliis quatuor minime impugnatis. Hæ igitur et alia opera quæ composuerat in Græcia, procul omni subsidio, manifeste prædicant non illi auxiliis alienis opus fuisse; et, invita Zoilorum invidia, validis confirmant fundamentis laudem nostro Poetæ in æternum mansuram.

DE TRAGOEDIA ET COMOEDIA[1].

Initium Tragœdiæ et Comœdiæ a rebus divinis est inchoatum : quibus pro fructibus vota solventes operabantur

1. Quæ hic de Tragœdia et Comœdia referuntur, ea non, ut alii, ex Cornuto vel Aspro desumpta, sed ex Evanthii Commentario in Terentium selecta esse arbitror : ejusque rei evidentissimum argumentum est, quod sub hujus eruditissimi grammatici nomine (quem iisdem cum Donato temporibus, hoc est, Olymp. 285, regnante Con-

antiqui. Nam incensis jam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς [2], hoc est, ab *hirco*, hoste vinearum, et a *cantilena*. Ejus ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur ejus carminis poeta : vel quod uter ejus musti plenus solemne præmium cantoribus fuerat : vel quod ora sua fæcibus perlinebant scenici, ante usum personarum, ab Æschylo repertum ; fæces enim dicuntur Græcè [3] τρύγες. Et his quidem causis Tragœdiæ nomen est inventum. At vero, nondum coactis in urbem Atheniensibus, quum Apollini Nomio, vel AFyAΘῶ [4], id est, pastorum vicinorumque præsidi Deo, constructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, et compita festum carmen [5] solemniter cantarent : orta est Comœdia, ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς, ἀπὸ composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ἄδειν, quod est, co-

stantio Fil. Constantini, C. P. floruisse notat Hieronym.) hæc verba afferat Rufinus Antiochensis grammatic. lib. de Metris Terentianis : « Concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. » Et postea sic : « Veteres, etsi usi ipsi quoque metris, » etc. Quæ ipsissima in his Prolegomenis nunc leguntur. *Lind.*

2. Καὶ τῆς ᾠδῆς. Hoc ex Mss. additum. *Id.*

3. *Dicuntur græce* ΤΡΥΓΕΣ. Athen. lib. II, Ἀπὸ μέθης, καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία. Vid. « Etymol. Magnum in Τραγῳδία. » *Id.*

4. *Apollini Nomio, vel* AFyAΘῶ. Hæc est scriptura priscorum codd. quæ refingenda videtur hoc modo : *Apollini Nomio vel Agyieo.* De Apolline Nomio Serv. IV Georgicor. ad illa verba, « Auditque vocatus Apollo. » Ἀγυιὰς autem Elei appellarunt, teste Pausania in Eliacis, τοὺς ὑπ' Ἀθηναίων καλουμένους στενωπούς. Et hinc Apollo Agyieus, de quo fuse Græci. Horat. Carm. lib. IV, Od. 6, « Levis Agyieus, » et ibi Porphyr. Macrob. Saturnal. lib. I, cap. 9. Postea sic legitur in Mss. *pastorum vicinorum Deo :* ubi in editis est, *vicinorumque præsidi Deo.* Id.

5. *Festum carmen.* In Mss. Dan. *festinum carmen solemniter cantaretur:* ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς *comœdia vocitata est, ut opinor, a pagis cantilena composito nomine, vel* ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, *etc.* Id.

messatum ire cantantes : quod a poetis solemni die vel amatorie lascivientibus choris comicis non absurdum est. Itaque, ut rerum, ita etiam temporum ipsorum cœpto ordine Tragœdia primo prolata esse cognoscitur. Nam, ut ab incultis et feris moribus paulatim perventum est ad mansuetudinem, urbesque sunt conditæ, et vita mitior atque otiosior processit : ita res tragicæ longe ante comicas inventæ. Quamvis autem retro prisca volventibus reperiatur Thespis Tragœdiæ primus inventor : et Comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse dicatur : Homerus tamen, qui fere omnis poeticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, et velut quadam suorum operum lege præscripsit : qui Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumque documentum ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem, et divisa ea, quæ etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haudquaquam, ut postea facta sunt, decora atque lævia. At nos ea, quæ proprie de Tragœdia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes, in alia tempora differamus, et de his Fabulis jam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de utriusque generis initio diximus; quod necesse est, jam dicemus.

Comœdia fere vetus, ut ipsa quoque olim Tragœdia, simplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit : quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quæ, respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam : tum altera, tum tertia, et ad postremum crescente numero, per auctores diversos, personæ, pallæ, cothurni, socci, et cæteri ornatus atque insignia scenicorum reperta : et ad hoc unicuique suus habitus : et ad ultimum qui pri-

marum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent; distributa et divisa quinquepartito tota est fabula : quæ tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabulis, et vixdum incipiens, Κωμῳδία ἐτεώνιος καὶ ἀρχαία[6] dicta est : ἀρχαία idcirco, quia est de nobis parum cognitis vitiis : ἐτεώνιος[7] autem, quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, et denominatio omnium, de quibus libere describebatur. Etenim per priscos poetas, non, ut nunc, penitus ficta argumenta : sed res gestæ a civibus palam cum eorum sæpe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis; quum unusquisque caveret, culpa ne spectaculo cæteris esset, et domestico probro. Sed, quum poetæ abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine[8] cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluere. Et hinc deinde aliud genus Fabulæ, id est, Satyra, sumpsit exordium : quæ a satyris, quos illotos semper ac petulantes Deos scimus esse, vocitata est : etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc, quæ Satyra dicitur, ejusmodi fuit, ut in ea, quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus Comœdiæ multis obfuit poetis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, ac deformasse genus stylo carminis : quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poesin

6. Κωμῳδία ἐτεώνυμος καὶ ἀρχαία. Mss. ἀρχαία κωμῳδία et ΕΠΟΝΟΜΑΤΟΣ. *Lind.*

7. Ἐτεώνυμος *autem.* Mss. ΕΠΟΝΟΜΑΤΟΣ *autem.* Id.

8. *Passim lædere ex libidine.* Veteris Comœdiæ scommata et maledicta eleganter indicat Artemidor. l. I, c. 58. Τὸ δὲ κωμῳδῶν ἀκούειν, ἢ κωμικὰ ἔχειν ἀναπλάσματα, ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας σκώμματα, καὶ ταραχὰς, καὶ στάσεις καὶ αἰσχρολογίας σημαίνει· τὰ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς κωμῳδίας, τὰ μὲν ἄλλα ἴσα τῇ τραγῳδίᾳ σημαίνει, τὰ δὲ τέλη χρηστὰ καὶ ἀγαθὰ ὑπαγορεύει· τοιαῦτα γὰρ αἱ ὑποθέσεις τῶν κωμικῶν δραμάτων. Vid. Schol. Aristoph. *Id.*

inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus, modo coacti omittere Satyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν Κωμῳδίαν, hoc est, novam Comœdiam reperere poetæ; quæ argumento communi magis, et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: et minus amaritudinis spectatoribus, et eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Ut igitur superiores illæ suis quæque celebrantur auctoribus: ita hæc νέα κωμῳδία quum multorum antea, tum præcipue Menandri Terentiique est. De qua quum multa dicenda sint, sat erit tamen, velut admonendi lectoris causa, quod de arte comica veterum chartis continetur, exponere. Comœdia vetus, ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus processit: ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam Comœdiam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam, postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc quum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire cœpisset, admonuit poetas primo quidem choros prætermittere, locum eis relinquentes: ut Menander fecit, hac de causa, non, ut alii existimant, alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum etiam Græci Prologos non habent more Nostrorum, quos Latini habent. Deinde Θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est, Deos argumentis narrandis machinatos, cæteri Latini instar Græcorum habent: Terentius non habet. Ad hoc, προτατικὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum arcessitas, non facile cæteri habent: quibus Terentius sæpe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quoque in metris negligentius egerunt, iambici

versus duntaxat in secundo et quarto loco; tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodivit. Quinetiam solus ausus est, quum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præscripta comica meretrices interdum non malas introducere; quibus tamen, cur bonæ sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Hæc quum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut Comœdiam scriberet: et temperavit affectum, ne in Tragœdiam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto, et ab Afranio, et Accio, et multis fere magnis comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde, quod nihil abstrusum ab eo ponitur, aut quod ab historicis requirendum sit: quod sæpius Plautus facit, et eo est obscurior in pluribus locis. Adde, quod argumenti ac styli ita attente memor est, ut nusquam non caverit, aut curaverit [9] ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, et uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem, velut ex tragœdia, loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cætera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam, excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, cæteræ quinque

9. *Non caverit, aut curaverit.* Ms. Dan. *non aut caverit, aut curaverit.* Lind.

binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post νέαν Κωμῳδίαν Latinos multa Fabularum genera protulisse : ut togatas, a scenicis atque argumentis Latinis : prætextatas, ab dignitate personarum, et Latina historia : Attellanas, a civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ : Rhyntonicas, ab actoris nomine : tabernarias, ab humilitate argumenti et styli : mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum. Inter Tragœdiam autem et Comœdiam quum multa, tum in primis hoc distat, quod in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus periculaque, lætique sunt exitus actionum. At in Tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragœdia, fugienda vita ; in Comœdia, capessenda exprimitur. Postremo, quod omnis comœdia de fictis est argumentis : Tragœdia sæpe ab historica fide petitur. Latinæ Fabulæ primo a Livio Andronico scriptæ sunt, adeo, ut ad has res etiam tum recentes idem et poeta et actor Fabularum suarum fuisset. Comœdiæ autem motoriæ sunt, aut stataria, aut mixtæ. Motoriæ, turbulentæ : stataria, quietiores : mixtæ, ex utroque actu consistentes. Comœdia per quatuor partes dividitur ; prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo licet præter argumentum aliquid ad populum, vel ex poetæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo, loqui. Protasis primus est actus, initiumque dramatis. Epitasis incrementum processusque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Catastrophe conversio rerum est ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

Comœdia est fabula [10] diversa instituta continens, af-

10. *Comœdia est fabula.* In Mss. sic est : *De Comœdia. Comœdia est f.* Adeo ut, quæ sequuntur, non Evanthii amplius, sed alterius auctoris

fectuumque civilium ac privatorum : quibus discitur, quid sit in vita utile, quid contra evitandum. Hanc Græci sic definiere [11] : Κωμῳδία ἐστίν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. Comœdiam esse Cicero ait, « imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. » Comœdiæ autem a more antiquo dictæ, quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur, apud Græcos : ut in Italia compitalitiis ludicris, admixto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur [12]. Aut ἀπὸ τῶν κωμῶν, hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum : non in aulis regiis, ut sunt personæ tragicæ. Comœdia vero, quia poema sub imitatione vitæ atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronuntiatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis invenerit primus : apud Latinos certum est. Comœdiam et tragœdiam togatam primo Livius Andronicus reperit ; aitque, « comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum : » nec injuria. Nam, ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus, ita lectione comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisque non ægerrime animadvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus moribusque pervenit. Athenienses namque, Atticam custodientes elegantiam, quum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis læti alacresque veniebant : ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant : unde nomen compositum, ut Comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur : nec deerant præmia, quibus ad scribendum doctorum

esse videantur. *Id.* Westerhovius nomine « Fragmenti Donati » edidit : satis audacter. *Zeun.*

11. *Hanc Græci sic definiere.* Diomed. Gram. lib. III, ubi eadem definitio habetur, καὶ πολιτικῶν non addit. *Lind.*

12. *Populus detinebatur.* Manuscripti exhibent, *populus attinebatur*, ut et infra videre est. *Id.*

provocarentur ingenia: sed et actoribus munera offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habetur: a quo etiam Tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fæce, quæ est humor aquatilis, Tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi quum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi Comœdiarum Tragœdiarumque scriptores hujus Dei, velut patris, numen colere venerarique cœperunt. Cujus rei probabilis ratio exstitit. Ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes ejus et facta gloriosa celebrari proferrique constaret: tum paulatim fama hujus artis increbuit. Thespis autem primus hæc scripta in omnium notitiam protulit. Postea Æschylus, secutus exemplum, publicavit. De quibus ita Horatius in Arte Poetica loquitur; vs. 275:

Ignotum Tragicæ genus invenisse camœnæ
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his Comœdia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtæ:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est; ejus duæ primæ partes sunt, Tragœdia et Comœdia. Si Latina argumentatio sit, prætextata dicitur. Comœdia autem multas species habet.

Aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut atellana, aut mimus, aut Rhintonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. Personati primi egisse dicuntur Comœdiam Cincius et Faliscus: Tragœdiam Minutius et Prothonius [13]. Omnium autem comœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur; nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comœdiarum formæ sunt tres. Palliatæ, Græcum habitum ferentes: quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ, justa formam personarum habitum togarum desiderantes. Atellanæ, salibus et jocis compositæ, quæ in se non habent, nisi vetustam elegantiam. Comœdia autem dividitur in quatuor partes: prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Prologus est prima dictio, a Græcis dicta πρόλογος [14], id est, antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Ejus species quatuor sunt: συστατικὸς, commendatitius; quo fabula vel poeta commendatur [15]: ἀναφορικὸς, relativus; quo aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur: ὑποθετικὸς [16], argumentativus, fabulæ argumentum exponens: μικτὸς, mixtus; omnia hæc in se continens. Inter prologum et prologium quidam hoc interesse voluerunt: quia prologus est velut præfatio quæ-

13. *Minutius et Prothonius.* Mss., priori nomine non mutato, legunt, *Minutius et Prothimus. Lind.*

14. *Dicta* πρόλογος. Ms. *dicta* πρῶτος λόγος. *Lind.*

15. Ἀναφορικὸς. Ms. ἐπιτιμητικος.

16. Ὑποθετικὸς. Ms. δραματικός. Quæ mox sequuntur, ex collectaneis regii exemplaris immutata sunt. *Lindembr.*

dam fabulæ, in quo solo scilicet præter argumentum, aliquid ad populum vel ex poeta, vel ex ipsius fabulæ, vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, quum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam poetarum : in nonnullis poetarum, quam fabularum. Cujus moris diversitatem antiquitas probat : nam, quum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur ante, quam poetæ pronuntiarentur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri possent. Quum autem per editionem multarum poetæ jam esset auctoritas acquisita, rursus priora poetarum nomina proferebantur, ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diversis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos curules ædiles munere publico curant : Megalenses, magnis Diis consecrati, quos Græci Μεγαλησίους appellant [17] : Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur : Plebeii, qui pro salute plebis eduntur : Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus Dei, cui ludi fiebant : unde Terentius in Andria ait, « Ex ara hac sume verbenas. »

Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt : sive quod aliquando insaniam simulavit : quo tempore tectum se

17. Μεγαλησίους *appellant.* Mss. MeΠOyOIOyC. Videtur legendum (ut et in Pyth. lib. emendatum erat) Μεγάλους Σιούς. Vult Megalenses ludos nomen invenisse ἀπὸ τῶν μεγάλων Σιῶν : hoc est, Dis Magnis. Nam Doribus, ut et Plato et Aristoteles testantur, Σιὸς est Deus. *Id.*

esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personæ diademata habent, quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute, ad gerenda cum Trojanis bella, sacramenta conjurationis inierunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis senibus candidus vestitus[18] inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Læto vestitus candidus: ærumnoso obsoletus; purpureus diviti: pauperi phœniceus datur; militi chlamys purpurea; puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum datur. Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriam sui per negligentiam significant. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur; quod pictus ornatus erat, ex Attalica[19] regia Romam usque perlatus: pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum[20], quod populo obsistit, dum Fabularum actus commutantur. Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a poeta,

18. *Candidus vestitus.* De vestitu comico vid. Pollucem. *Id.*

19. *Ex Attalica regia.* Sil. Italicus lib. XIV, 659: « Quæque Attalicis variata per artem Aulæis scribuntur acu. » *Id.*

20. *Mimicum velum.* Hæc vera est lectio. Apul. « Siparium mimicum dimoveto. » Quintilian. l. VI, c. 4. « Quum ejus accusator in sipario omnibus locis, aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemptum ex alea pinxisset. » Hæc eadem vox restituenda est Servio in Georg. Virg. Vid. Fest. et Juvenal. Scholiast. ad Satyr. VIII, et alii. *Id.*

sed a perito artis musicæ factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis. Ut significant qui tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, et dextris aut sinistris. Dextræ autem et Lydiæ sua gravitate seriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et Sarranæ acuminis levitate jocum in Comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta Fabula inscribebatur, mixtim joci et gravitates denuntiabantur.

L. VICTORIS FAUSTI

DE COMOEDIA LIBELLUS.

Sim brevis usque licet veterum de more libellus,
Meque suum quisquam non queat asserere:
Nec triviis vulgata feram, decerptave passim,
Nec proinde elata fronte superbus eam:
Attamen egregium nihil undique, et undique tersum est.
Nam, quod miraris, ridet id alter opus.

Editurus ego libellum de triplici Comœdiarum sectione, Trivisanorum decus, Andrea, tibi, quanquam prætextato, munus dicare decrevi. Non equidem admiratione bonorum corporis aut fortunæ, qua merito Venetiis et in adeo excellenti familia veneraremur; sed quoniam ingenio te singulari adolescentem multis jampridem indiciis ipse cognoveram. Etenim vere, quod de se jactabat Her-

mogenes, ætatem virtutibus, haud indole prævenisti. Quocirca nemini videatur alienum, si, quod ab ingenio proficiscitur, ingenio præstanti adolescentulo nuncupatur. Cæterum arbitror me meis, quotquot potuerunt intendi, viribus consecuturum, ne amplius quid novum aut vetus, quidve medium; et cur in Comœdia dicatur, ullus ignoret. Quod hactenus vel omissum a Latinis, vel abolitum vetustate, sæcula nostra desiderarunt. Multa quidem egregie Donatus, multa Diomedes, et adeo bonis auspiciis protulerunt, ut ea grammatici passim in sua transcribant: sed tamen huc illa parum videntur, immo nihil pertinere. Quædam igitur a Græcis auctoribus et Latinis haudquaquam nominatim pertracta, verum obiter disserta collegimus: quædam ipsi, collatis inter se multis, elicienda ac breviter curavimus adnotanda, quæ tibi pauca parvus ego devovi, perinde atque suam Virgilianus ille Micon Dianæ Venationem. Fatemur enim et eorum, quæ nos minime præterierint, subticuisse complura. Jam itaque nostram hactenus obligatam fidem absolvamus. Comœdiæ nomen a Dæmone Como religiose admodum arbitramur esse deductum, quoniam et comessari de nomine dictum Philostratus affirmat, cujus scilicet numinis dexteritate quælibet hominibus fausta comessatio daretur. Quid autem sit comessari, Philostratus imagine Comi facilius tibi, quam ego possim, demonstrabit, ubi fingit eum fervescente mero supinum dormitare, facieque præ nimio potu scintillante, rhonchos ab imo pectore stertere deducentem. Utriusque vero sexus homines, id quod ipse desiderat, gregatim vestibus permutatis, plausuque concinno, quo maxime possunt genio indulgere. Quod ipsum in hac urbe sæpius vidisti, quum mimariæ (ut aiunt) saltationes hibernis noctibus debacchantur, quæ teste Polluce χόρδακες appellari consuerunt. Noli igitur eos audire, qui comessari dictum putant ab esu, quoniam *s* simplici necessario

scriberetur, nec secus eruditi veterum codices haberent. Nam Græcum illud κωμάζω, quemadmodum *z* literæ natura desiderat, duplici *ss* Latine quidem adnotatur, sicuti φιλιππίζω, *philippisso* est. Ita κωμφδία quasi κωμαζωδία, videlicet comessantium hominum cantilena. Quæ Græcorum et Donati sententia maxime placet; quum præsertim doctissimus quisque fateatur, in Dionysiacis comessationibus id genus poematis a Veteribus fuisse celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri possunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienses (apud quos natam fere, et auctam esse Comœdiam nemo ambigit) δήμους vocarunt, quæ ab aliis κῶμαι fuissent appellatæ. Enimvero illud unum mihi negotium facit, ne scilicet Comum ἀπὸ τῶν κωμῶν Græcia dixerit: quemadmodum Romani Fornacaliam servatis ab incendio coluere fornacibus; et Robigum, sive Rubiginem, atque alios complures, a quibus præessent rebus appellavere. Utcumque tamen sese res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari Comœdiam affirmo: quoniam, etsi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμφδία quasi κωμαζόντων ᾠδὴ nominatur. Verum ex ipso jam nomine patuit quænam definitio possit Comœdiæ convenire, poema scilicet demulcendis hominum mentibus, excutiendisque potissimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, et illi Græcorum, qui Θάλειαν Musam Comicis præsidere cecinerunt; quæ scilicet, festivis pullulans jocis, ad risum usque delectet. Hoc etiam Aristoteles comprobavit, inquiens, quod in turpitudine ridiculum est, Comœdiam imitari. Quandoquidem illud inprimis poetæ rebus et verbis efficere conabantur; ipsa quidem re bifariam, videlicet vel opinione sua, vel alterius persuasione deceptas fingendo personas: deinde magna nomina, vel Deos mortalium postremis componendo, sicuti Plautus in Amphitryone Mercurium simulat agere Sosiam: vel contra, quemad-

modum in Ranis Aristophanis Fabula Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis septem Comici risus excitabant: vel scilicet plura significans verbum usurpantes, quod grammatici dicunt ὁμωνυμίαν: vel plura significationis ejusdem, quod vocant συνωνυμίαν: vel proprium aliquod ludentes nomen ea quidem ratione, qua nos interdum « oratorem » dicimus « aratorem, » quod illi nuncupant παρωνυμίαν, vel eadem sæpius non invenuste repetendo, quod appellant ἀδολεσχίαν: cujusmodi est illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc « frustra » et « frustrari, » decies eodem loco inculcatur: vel aspernandi studio diminutiva formantes: vel aliquam haud absurde literam mutantes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus aut rude ingenium exprimentes, theatrum omne risu diffundebant. Verum hæc universa nihili nonnunquam erant, nisi vocem histriones singulis adhibuissent accommodatam: quandoquidem omnis oblectatio Comœdiæ propemodum in actione consistit. Hactenus autem quæ diximus, bono omine procedant, ne (licet huic libello de perplexis adeo quæstionibus propositum non sit disputare) nimis multa esse videantur.

Si funditus Latinæ Comœdiæ quæras perspicere conditionem, inprimis ejus originem par esse arbitror non ignorare: quippe quum ad nos e Græco fonte derivata per Latinos quasi traduces emanarit. In Veterum itaque fabulis quinque perhibent esse differentias, temporum scilicet, styli, materiæ, numerorum, et apparatus. Nobis igitur tempora considerantibus, tria Comœdiarum genera sese offerunt distinguenda. Primum enim est, quod una cum Peloponnesiorum imperio, Susarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod ab triginta tyrannis quasi jugo impositis per Lacedæmonios Atheniensium cervicibus, ad ætatem usque Philippi Macedonis est propa-

gatum, videlicet per annos circiter sexaginta. Tertium, quod ab Alexandri temporibus adeo faustum sumpsit initium, ut etiam a Latinis in præsentia celebretur. Verumtamen ego Comœdiam Græcum esse inventum minime arbitror : neque (ut Thomas Magister, et eum secuti, videntur æstimare) ab agricolis civium injurias conquerentibus esse derivatam. Hoc nempe causam asperitatis, et jurgiorum in Veteri Comœdia reddit : quam mox ipsi longe aliam esse docebimus : neque videtur quidquam, ut reor, ad Comœdiæ primordia pertinere : quoniam Orpheus, quem constat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vixisse, sub Laomedonte scilicet, ac Athenis Ægeo imperante, Bacchi mysteria ab Ægyptiis tralata suis Thracensibus indicavit. Atqui Comœdiæ, quemadmodum idem asserit Thomas, veris tempore in Bacchanalibus agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri sacra in dextro latere scenæ, quemadmodum ait Donatus, vel orchestræ, ut Pollux, semper erigebatur, quod maximum est argumentum, a Bacchi mysteriis omne Fabularum genus esse depromptum. Id Horatius innuit, quum spectatorem et sacris functum, et potum appellat. Par est igitur arbitrari, prima Comœdiæ semina per Orpheum ab Ægypto in Græciam fuisse delata; unde complura non Orpheus modo, verum et alii transtulerunt. Celebres enim erant et Phœniciæ literæ nondum Græcis sexdecim a Palamede Nauplii filio configuratis : ac plurimi studia poetices habebantur : proindeque sapientes illi numeris omnia componebant : quæ una cum ceteris apud tum Ægyptios floruisse nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam, qui Fabularum initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Aristoteles in Poeticis ait, quoniam Epicharmus Comicorum antiquissimus poeta illinc esset oriundus. Syracusanus enim revera fuit, duplicesque Græcorum literas ζ, ξ, χ, primus omnium excogitavit, sicut in Iliados

Alpha Grammaticus Joannes solerti vir ingenio mecum sentit : ubi longas η et ω per Simonidem poetam in insula Chio natum scribit esse formatas, aspiratarumque characteres θ, φ, χ Cadmo illo Milesio testatur effictos : licet hæc Plinius quinquagesimo sexto libri septimi capite longe aliter tradat : nisi sit error in codicibus, aut Græci ipsi non satis sibi constent, quos ille potissimum fuerit secutus. Satius tamen arbitror hæc elementa singula singulis inventoribus addixisse. Ea igitur ægrotantium somnia prætermittas : unum hoc sciens ab Æschylo, et qui eum secutus est, Cratino, Fabulas in suam formam esse tandem redactas. Siquidem ante devictos Persas ad Salamina, cujus victoriæ Fabulam, quæ nunc exstat, Æschylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comœdiarum itaque prima semina ad Ægyptios referamus, formulam earum et ordinem Cratini temporibus adscribentes. Styli cum cæteris scripturis eadem esse differentia videtur; antiqua enim Comœdia gravis et elata semper incedit, ac nonnunquam obsoletiora quædam verba sectatur : at contra recentior perspicuum sermonem affectat, utpote quæ novis ac politioribus utatur atticismis.

Materiæ quum tres esse nemo ambigat sectiones, quædam altius videntur nobis esse repetenda. Per Atticæ urbis incrementa potissimum vigente republica, quum scilicet omnia populi arbitrio regerentur, poetæ, qui Fabulis operam dabant, ab insectatione aliena stylum minime poterant continere : seu quoniam Attici suapte natura nasutiores esse dicuntur : sive potius quod plebeii semper innato odio patricios prosequuntur. Etenim præpotenti morem populo gerentes, et judices et prætores maledictis insectari minime dubitabant : ac nihilo secius privatos, si quis vel avarus, vel impurus esse videretur : maximæque dabatur laudi, si poeta quispiam e scena gravioribus, ac plene censoriis verbis id genus homines veluti jaculis con-

fecisset. Hoc namque multi domestico probro quasi flagello quodam vexati, quum mores præteritos mutare, tum vel esse frugi, vel saltem apparere cogebantur; ne denuo sese male gerentes, male identidem audirent: cujus rei numeros omnes Cratinus dicitur implevisse; quippe cæteris austeritate præstans, acerbissima jurgia procaciter exspuebat. Hac etiam in parte bonus ille Aristophanes non dormitavit. Ejus enim Vespæ Fabula, quotquot erant sycophantæ, quos quidem ipse vocat ἠπιάλους, fecit ab incepto desistere, quo inter cætera facinore tantum placuit, ut oleagina, quæ par est aureæ coronæ, donaretur. Deinde labefactatis populi viribus, quum scilicet imperium ad paucos omnino recidisset, nulla poetis amplius libere loquendi facultas concedebatur; sed pœnas dare potentioribus necesse erat, si quis vel minimum esset oblocutus. Idem enim Aristophanes, quemadmodum in Acharnensibus Fabula de se ipse meminit, quinque talentorum mulctam perpessus est, propterea quod Cleonis cujusdam ex Atheniensium optimatibus impotentiam et peculatum per Equites Fabulam detegere conaretur. Etenim illi adeo fuit infensus, ut, quoniam ab opifice personam Cleoni similem habere non posset, sibi milto ceterisque id genus fucis concinnarit: histrionibusque præ nimio metu e scena prodire non audentibus, Cleonis personam solus agere non dubitarit. Eupolis vero præceps in mare datus est, eo quod potentiores aliquot in Baptis fabula momordisset. Quum igitur hæc animadverterent poetæ, decreverunt sibi fore prorsus a maledictis illis temperandum. Itaque styli nasum ob imminens vitæ discrimen alio converterunt, poemata scilicet Homeri vel alterius in ludibrium sæpe quidem injuriose vertentes: quorum maxime Cratinus scenæ populoque (ut aiunt) servire contendit. Noverat enim (arbitror) id quod in Oratione de Corona Demosthenes asserit, esse natura comparatum, ut homines li-

benti animo calumnias aliorum audire videantur. Ulysses itaque plurali numero Fabulam dedit, quæ totius Odysseæ calumniaretur historiam. Aristophanes quoque, postquam suo malo contra stimulum calces nihil valere didicisset, in alteram se formam quasi Proteus convertit, Æolum scilicet Fabulam a Tragicis olim celebratam, in Comicam αἰολοσσικῶνα deridendo permutavit. Ille idem Aristophanes (mirum dictu) novæ etiam initium Comœdiæ dedit, quod velim ejus egregia laude dictum arbitreris. Quippe quum unus ipse queat triplicis argumenti poeta reperiri, siquidem et aliam, cui nomen est Cocalo, Fabulam commentus esse dicitur, in qua virginum compressiones, agnitæque agitarentur affinitates. Demum Athenis Macedonum petulantia subjugatis, eas continuo Fabellas edere studuerunt poetæ, quibus illorum impuritati satisfactum esse videretur. Quandoquidem vel ex Athenæi monumentis facile possumus conjectare, quod gulæ ventrisque servitio Macedones fuerint emancipati. Menander itaque, suæ tempestati morem gesturus, Comœdiam ab Aristophanis Cocalo feliciter admodum est auspicatus: cui sic Ovidius alludit Amorum II, 15, 17, nobis obiter quænam fuerint ejus argumenta demonstrans.

> Dum fallax servus, durus pater, improba lena
> Vixerit, et meretrix blanda, Menandros erit.

Quod nos quum Græco carmine ludentes in egregiam Terentii laudem vertissemus, tibi pulcherrimos condendi iambos dedisse ansam videmur. Cæterum fuit octo tantum annis junior Alexandro, sanguine nobilis et morum integritate præclarus; Alexideque (ut arbitror) præceptore jam adolescens dare Fabulas cœpit, quæ centum et octo numero coram doctissimis quibusque steterunt, vel quinque supra centum, ut cecinisse Apollodorum Gellius scribit. Tandem Athenis in patria duos et quinquaginta natus annos obiit

mortem, decimo scilicet ante bellum Macedonicum anno, quod Pyrrhus cum populo Romano gessit acerrimum. Nec solæ quidem hæ Menandri Fabulæ Macedonum lumbos (ut his utar Persii verbis) intravere, sed et aliæ Diphili Sinopei centum Philemonisque Syracusani Menandrum æmulantis fere totidem accesserunt. Prætereo quas Apollodorus, Posidippus, et Philippides addiderunt, ac cæteri, quos nova Comœdia celebravit. Profecto mira fuit Aristophanis felicitas : cujus una Cocalus e quinquaginta quatuor (tot enim vidisse se Thomas Magister ait) adeo multas diversorum poetarum Fabulas procrearit, quæ cum parente suo reliquisque Veterum pæne omnibus ab usu nostro suffurante tempore exciderunt. Utinam exstarent vel dimidiatæ! non adeo forsan in præsentia Fabulas perspiciendo cæcutiremus; nec esset cur ego vos semicæcus ducere conarer. Sed, acta ne agamus, vitium hoc et præteritam calamitatem his quasi frugibus, quotquot exstant, Aristophanis Fabellis compensantes. Duplex esse numerorum differentia videtur : quandoquidem Veteres illi Comœdiam variis distinguere versibus studuerunt, eo quod laudi maxime daretur, si qui novum carminis genus adinvenissent. Unde Phrynicus in Ionico minori catalecticon tetrametrum excogitavit, Pherecratesque sibi versum e spondæo, dactylo, et trochæo pulcherrimum concinnavit: nec secus Eupolis tetrametrum ex trochæis conglutinavit. Verum Aristophanes, ut in omnibus est ποιητικώτατος, in hoc etiam ulli cedere noluit. Iambicum enim hypercatalecticum monometrum, et brachycatalecticum trimetrum, est mira suavitate modulatus. Insuper ex anapæstis trimetrum acatalecticum, ex choriambis vero monometrum primus omnium temperavit, atque alia complura per Servium et illius interpretes Fabularum adnotata, quæ mortalibus adeo placuerunt, ut barbaros etiam Persarum animos potuerint demulcere. Etenim apud eos Aristopha-

nem accepimus præsertim a rege celebratum. Contra vero Nova Comœdia iambos, ut plurimum solet, usurpat; quemadmodum a Stobæo, Plutarcho, Gellio citata Menandri carmina demonstrant.

Binas apparatu differentias exstitisse grammatici tradiderunt, quum scilicet in personis, tum in ipsa serie, Comœdiarumque contextu. Platonius enim auctor est Veteris Comœdiæ poetas e scena solitos esse eos educere personatos, qui statim ex ipsa facie, quos essent toto opere carpturi, spectatoribus indicarent : ut, si forte quis non audire carmina cogeretur, de persona tamen, quisnam esset deridendus, agnosceret. Sed Comici recentiores, ad excutiendos potissimum risus, histrionum facies configurarunt. De industria quidem monstrosos hominum vultus effingere conabantur, ne cuipiam forte fortuna Macedoni tunc præfecto similes esse viderentur : proindeque miser ille poeta, non secus ac si barbarum principem data opera subsannaret, publice mulctaretur: adeo nobilis illa Græcorum majestas impuris obtemperabat. Quippe distorta corpora Menander (si Platonio credimus) planeque communem hominum excedentia naturam personis imitabatur, profecto sapienter, «Quoniam, inquit ille, non solum malum, sed et mali vitanda est suspicio.» Quod autem ad Fabulæ pertinet contextum, chorus in causa est cur inter se Veteres Novique non quadrent : quandoquidem illi varia quædam modulamina temperabant, quæ chorus singulis actibus intercinendo plebem sine tædio, quousque novi egrederentur histriones, detineret. Populus enim Atheniensis, quatenus rerum dominus habebatur, quotannis Ædiles creabat, qui sumptus alendis puerorum choris subministrarent. Cæterum chorus quatuor et viginti viris, puerisve, aut feminis instruebatur, sicut Aristophanes in Avibus Fabula numerat. Si vero promiscue viri feminæque ad explendum chori numerum adhiberen-

tur (quod fecisse dicitur primus omnium Tyrtæus) mares dimidium excedebant. Si pueri, tum feminis illorum major numerus erat. Sin autem viri tantum, juvenes scilicet ac senes, identidem poetæ majores tredecim, minoribus undecim admiscebant, utpote quorum de nomine chorus appellaretur. Quilibet autem ex his chorus in quatuor (ut aiunt) ζυγὰ dividebatur, quorum singula sex continerent saltatores. Comicus, inquam, hoc pacto chorus apparabatur. Nam, sicut Æschylus canit, quinque tantum et decem in Tragœdia constabat. Interdumque dimidiato numero (sicuti Pollux ait) semichorum induci facile admodum est videre. Idem attamen scribit in Veteri Tragœdia chorum saltatores habuisse quinquaginta : verum, quoniam Æschylus totidem Eumenidas induxisset, quæ totum præ multitudine theatrum consternassent, cohibente lege ad pauciores esse deventum. Arbitror etiam in Comœdia cum Donato longe plures ab initio fuisse cantores, quoniam (ut Aristoteles in Naturali quadam sentit Quæstione) multi facilius servare numeros possunt. Quum igitur post fabulæ prologum esset orchestram ingressurus, si rusticis constaret, a dextro latere solebat emitti : sin autem urbanis, a sinistra parte prodibat, quadrataque forma consistens recedentes histriones observabat. Deinde conversus ad spectatores, quorsumcumque septies theatrum intuebatur, totidemque cantilenas moderato gestu pronuntiabat : quod omne παράβασις ab Aristophane pluribus in locis nuncupatur. Prima igitur cantilena statim ab histrionum discessu prolata χορωνὶς communi nomine dicitur. Nam, quidquid persona quapiam redecente cantatur, grammatici Comicos exponentes χορωνίδα solent appellare. Κομμάτιον vero proprie dicitur, quatenus de choro amputata recisaque particula videtur : id a quibusdam εἴσθεσις χοροῦ nominatur. Secunda, παράβασις, non secus ac tota saltatio dicitur : quoniam illinc, ubi constiterat

chorus, populum versus incedit : sive ἀνάπαιστος, eo quod frequenter hujusmodi cantus anapæstos usurparet. Tertia πνῖγος, aut μακρὸν, cantilena scilicet (ut Pollux ait) una spiritus contentione prolata, quæ tria sejunguntur ab invicem, quum alterum alteri nullam habeat rationem. Quæ vero sequuntur, inter se quadam sunt ratione conjuncta, videlicet στροφὴ vel ᾠδὴ, sive μέλος, ἐπίῤῥημα, ἀντίστροφος vel ἀντῳδὴ, et ἀντεπίῤῥημα, quod loco septimo cantabatur ; στροφὴ enim sive ἀντίστροφος membris et carminum genere quadrat. Rursus ἐπίῤῥημα undecumque sibi conveniens ἀντεπίῤῥημα solet habere. Quoniam utrobique fere semper chorus ex iambis tetrametra sexdecim modularetur, totum hoc simul χορικὸν appellatur, quando Comœdiæ partem volumus assignare ; quatuor enim sunt, videlicet πρόλογος, qui ad egressum usque chori prorogatur : deinde χορικὸν : et, quod interponitur choris, ἐπεισόδιον : postremo ἔξοδος, quæ scilicet a choro in calce Comœdiæ pronuntiatur, ut Pollux in quarto scriptum reliquit. Ea igitur παράβασις, auctore Demetrio Triclinio, quæ nullas harum partes omittit, perfecta solet appellari : qualem Aristophanes in Equitibus Fabula concinnavit. Verum complures imperfecte pro arbitrio poetarum inseruntur : id quod idem in Nebulis Fabula fecit : ubi solum ἐπίῤῥημα, quod esset vitiis carpendis accommodatum, induxit, ac in Ranis quatuor illa tantum conjuncte reposuit. Sed illud est animadversione dignum, quod ἐπίῤῥημα et στροφὴ sive μέλος, quando nullam ἀντεπιῤῥήματος aut ἀντιστρόφου reditionem exspectant, in fine semper habent παράγραφον, ut non esse κατάσχεσιν, id est, obnoxie posita videantur : quandoquidem hæc linea transversa παράγραφος scilicet, tria illa, quæ diximus, inter se discreta continuo claudit. Verum, si futuram exspectant reditionem, στροφὴ tum hæc linea, quum non secus ac ἐπίῤῥημα, duabus aliis terminatur, quarum coeuntium angulus ver-

gat introrsum : contra vero ἀντίστροφος lineis clauditur binis, quarum extrorsum utrique anguli vergant, hinc inde finale membrum, carmen scilicet ultimum amplectentes. Verum ex iis duntaxat uno solet ἀντεπίῤῥημα concludi. Quæ plane signa, prout anguli sese habent, vel futuram, vel præteritam reditionem ostendunt. Hoc Demetrius ille Triclinius scribens in Aristophanem excogitavit. Verumtamen inter cantus poetæ nonnunquam personas educere solent, quarum dissertatio σύστημα κατὰ περικοπὴν appellatur : interdum versibus alternis contendentes aliquot proferunt histriones, vel chorum etiam respondentem : quod Hephæstion videtur ἀλλοιόστροφον appellare. Verum has et alias consulto prætermittendas esse arbitror quæstiones, quæ mira poetarum licentia gignuntur : constat enim illis nihil unquam non audendum. Quocirca nobis, de choro certiora consectatis, pro materia satis abundeque dictum esse videatur, quomodo præsertim in Nova Comœdia chorus nullum habeat, vel habere potuerit locum. Siquidem Athenis, quum omnia potentiores ad arbitrium suum revocare cœpissent, nulli amplius creabantur Ædiles : perindeque sumptibus ad alendos juvenum choros institutis populus abuti prohibebatur : quod particulatim a Platonio legimus disputatum. Id itaque animadvertentes poetæ, quemadmodum lata lege de non carpendo nominatim, materia mutabatur, ita etiam cantilenis abstinere penitus decreverunt : quodque sapientes, quum tempori cedendum est, efficere solent, quæ erat necessitas, in virtutem egregiam transtulere. Nam actus Fabulæ sic agebant colligatos, ut per intervalla, quæ quidem erant minima, saltem unus histrio relinqueretur, aut frequentius complures alternis inter se versiculis disserentes. Deinque nihil vetusti chori proprium observabant : quemadmodum in Aristophanis Pluto Fabula tute jampridem vidisti. Id Horat. ita cecinit Art. P. 283:

Lex est accepta : chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Miror autem, quasi monstrum conspicatus, illum, cujus scripta sub Acronis nomine circumferuntur, vel si est ipse Acro, dixisse id lege cautum sub Augusto. Poterat mediusfidius perspexisse (modo Plautum aut Terentium legerit) an ante Augustum actæ Fabulæ quemquam mo mordissent. O quam egregie vetusta novis, Latinaque Græcis non hic modo, verum et alii fortuna similes confuderunt. Quippe hoc Athenis decretum patricii promulgavere vix anno Urbis Romæ quadragesimo septimo supra ter centum, videlicet quum tribuni militares imperio consulari crearentur.

Comœdiam itaque tempus et materia, sicut diximus, in tria genera dividunt, antiquum scilicet, et novum, et medium. Stylus vero, numeri, et apparatus duplici tantum sectione partiuntur; diversa tamen ratione : quoniam stylus et numeri vetustiora duo simul componunt, quæ ad Alexandrum usque pervenere : sed apparatus medium illud annectit recentiori. Nam in utroque (si grammaticis credendum est) nulla chori modulamenta reperiuntur.

Non autem esse arbitror alienum in præsentia quædam particulariter considerare, quæ profecto multa non erunt: quoniam facile videtur ex hactenus dictis fere omnes tum Græcas, tum Latinas metiri Comœdias, si temporum præsertim ullam habere volueris rationem : quando scilicet in scena floruerit unusquisque Fabularum poeta. Primum igitur Romæ Fabulam dare Lucius Livius occœpit decimo supra quingentesimum Urbis anno : qui quidem, Gellio teste, quinquagesimus secundus ab obitu Menandri numerabatur : vigesimo fere postea quam Romani primum Carthaginiensibus bellum indixissent : tunc enim pace composita, quæ populo tanto opere expetebatur,

id genus oblectamenti relaxandi animi gratia receptum est. Deinde spatio novem annorum interjecto, C. Nævius data Fabula spectandi copiam fecit. Post eum Plautus, anno fere decimo quinto : subinde seriatim Q. Ennius, Cæcilius, et Terentius floruere : postea non multo Pacuvius, qui medium illud argumentum, lacerandi scilicet aliorum poemata, sectabatur. Hunc enim Gellius in Accium et Pacuvium magna laude stylum exercuisse testatur. Fabulas igitur isti, de Græco petitas argumento, Latinis salibus condire statuerunt : quemadmodum in Terentii, vel Plauti, quæ circumferuntur, Fabulis est videre : Novamque penitus Comœdiam sunt imitati, nullam chori modulantes cantilenam : sed actus (ut ait Porphyrio) tibiarum concentu dirimentes. Ubi operæ pretium est animadvertere tibias chori proprietatem æmulari. Nam (ut auctor est Donatus) quæ Fabulæ graves haberentur et severæ, tibiis dextris agi consueverunt : quæ vero jocis et urbane dictis undique scaterent, continuo sinistris. Pollux enim auctor est quinque olim in scena januas extitisse; quarum media illius omnino domicilium esset, qui primas in Fabula partes haberet : altera, dextra scilicet, huic proxima, illius esse consuevit, cui partes darentur secundæ : tertia, sinistra, vel maxime tenuis, aut nullius erat personæ, vel desolatum aliquod simulabat sacellum. At reliquarum dextra eos emittere solebat, qui non ab Urbe, sed aliunde proficiscerentur : sinistra vero contra, quotquot venirent, urbanos producebat. Ab hac (ut arbitror) ejus Fabulæ chorus prodire consuevit, quas salibus jocisque referta esse videretur. Quippe, quod facete dicitur, solemus urbanum appellare. Verum ab altera, si rusticos Fabula contineret, quadam severa gravique simplicitate chorus emittebatur. Etenim eos potissimum rusticos vocamus, qui semper obducto supercilio facetias aversantur. Unde Palamedes apud Philostratum ab Achille

dicitur ἀγριώτερος, quoniam, ut erat undique severus, in deliciis etiam nihil haberet.

Cæterum, licet multa sint genera tibiarum, tamen duo scenam potissimum frequentabant, videlicet Phrygiæ: quarum nonnullæ modo dextræ, modo sinistræ ponebantur. Dextræ, quæ foramen unicum haberent: sinistræ, quæ duobus essent foraminibus distinctæ. Quippe Servius, Varronem sequutus, duas impares cavernas hujuscemodi tibiis fuisse testatur, ac foramina totidem. Unde Virgilius earum biforem cantum appellat, propterea quod graves et acutas emitterent pro tibicinis arbitrio vocalationes. Alteræ sunt Serranæ, sic (arbitror) appellatæ, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non secus atque sectores, qui serra adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompeius ait serram id prælium dici quo frequenter acies et accedere et recedere soleret. Hæ semper erant sinistræ, paresque, id est, æquales cavernis: proindeque parem concentum, acutum scilicet emittebant, quemadmodum Servius haud perplexe scriptum reliquit. Verumtamen Diomedes tibias pares et impares videtur numero definire: quod equidem non video cur possit admitti; nam par et impar qualitate fere semper accipitur a Latinis. Exemplo sit hoc Ovidianum:

Par erat inferior versus.

Et illud Virgilianum:

Formosam paribus nodis.

Atque illud:

Impar congressus Achilli.

Sed quo tandem sum incuriose digressus? Egone ut magna nomina sugillarem? Minime, si meum mihi vitæ in-

stitutum permanebit. Quocirca ne nobis aliquid Eupolidis infortunio simile contingat, perfecto jam operi paragraphum stylus obducat.

DE FABULARUM, LUDORUM, THEATRORUM, SCENARUM, AC SCENICORUM ANTIQUA CONSUETUDINE, LIBELLUS;

Ex optimis auctoribus collectus, ad Comicos facilius intelligendos, præcipue conscriptus in gratiam studiosæ juventutis.

NUNQUAM existimandum est cuiquam posthac familiarem Plautum aut Terentium futurum, eorumque intimum artificium, orationis characterem, atque venustatem, aliaque id genus plura quemquam plane assecuturum, nisi comicam omnem dignitatem, morem, et agendi consuetudinem, quæ ab antiquis in Fabulis ac Ludis observari solebant, exacte teneat. Ita fiet, ut postea nihil præter metrorum rationem ac versuum mensuras desiderare possit : quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum grammaticorum cultissimo, et in hac re plurimum exercitato, desumere licebit. Hic itaque libet adolescentulis bonarum literarum studiosis breviter proponere : primum, unde nata sit Comœdia, quoque pacto ante Comœdiarum usum antiqui poetæ luserint : deinde vero, quomodo Comœdiæ agi ac pronuntiari solitæ fuerint, ut quid Ludi sint, quid Theatra, Scenæ, Actus, Personæ, et id genus cætera, facile intelligatur. Quod opus dum aggredimur,

facilem atque attentum lectorem esse cupimus, ut tandem intelligat, quid sit Fabula, Tragœdia, Comœdia Vetus, Satira, et Nova Comœdia.

QUID FABULA, TRAGOEDIA, SATYRA, COMOEDIA VETUS ET NOVA.

Fabula generale nomen est, Tragœdiam, Satyram, et Comœdiam in se complectens. Estque Fabula narratio quædam conficta, et demissiore plerumque stylo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam Poemata inter Fabulas a nonnullis connumerantur : quapropter quibusdam visus est Homerus Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ conscripsisse.

Tragœdia autem Fabula est, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non solum privatis ac civilibus, sed maxime arduis et ad principes attinentibus minus rectum videbatur. In ea scenici amurca, et olei fæcibus (quas Græci τρύγας vocant) perlinebant ora, ante usum personarum : unde Tragœdiæ nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum sæpe ab historica fide : dictio severa, sublimis, sæpe tumida : tranquilla prima, exitus funesti.

Post Tragœdiam inventa Comœdia, quæ Vetus dicta est : in qua (ut in Tragœdia quoque) simplex carmen fuit : quod carmen chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat : eratque primo una persona cantoribus substituta, quæ, respondens alternis choro, locupletabat variabatque rem musicam. Chorus autem in Tragœdia, aut Comœdia Vetere, dicebatur multitudo coævorum juvenum, aut minorum in sacris, vel scena, cantantium atque saltantium.

Fuit Vetus Comœdia Græcis Archæa dicta, quia esset de nobis parum cognitis vitiis : item etiam Eteonymos, quia

inesset in ea velut historica fides veræ narrationis, et nominatio omnium, de quibus scribebatur. Sed, quum poetæ in Comœdiis abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacuerunt.

Satyra exinde sumpsit exordium. Estque genus Fabulæ, quæ ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos esse scimus, nomen sumpsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea, quamvis duro et agresti joco, tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos et ænigmata, magnæ res describerentur. Id vero genus Fabulæ multis obfuit poetis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent Fabulæ genus stylo carminis.

Post exoletam Satyram inventum est a poetis aliud Fabulæ genus, quæ Comœdia Nova dicta est. Ea erat Fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum : qua discebatur, quid esset in vita utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, «Comœdiam esse imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. »

Nomen habet Comœdia, vel a Como, Deo comessationis, vel ab eo quod primum Athenienses per vicos adhuc dispersi ex omnibus locis læti alacresque conveniebant : ibique rudibus et incultis versibus potentiorum, aliorumque item hominum vitia nominatim perstringebant. Nomen autem compositum, ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν. In summa, Comœdia est poema sub imitatione vitæ ac similitudine compositum, in gestu et pronuntiatione consistens. In ea mediocres fortunæ hominum, pravi impetus, pericula quotidiana, turbulenta principia, lætique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque choro nova Comœdia, contra quam Vetus, paulatimque personarum numero in quinque Actus processit : quod tunc quum ad cantores ab actoribus transibat Fabula, consur-

geret et abiret populus. In ea etiam personarum ornatus alius inventus est, pallia, socci, et id genus cætera.

Post Novam Comœdiam Latini multa Fabularum genera protulerunt, quæ tamen Comœdiæ dicebantur. Togatas vocabant a scenicis indumentis, quæ Romanam togam præ se ferebant, et ab argumentis Latinis; Prætextatas a dignitate et vestitu personarum, et Latina historia: Atellanas ab Atella, Oscorum civitate, ubi inventæ dicuntur: eæ salibus conspersæ erant, ac jocis compositæ, in se non habentes nisi venustam elegantiam; quales sunt Plautinæ: Rhyntonicæ Comœdiæ dictæ ab auctoris nomine: Tabernariæ, ab humilitate argumenti et styli: Palliatæ ab habitu et argumento Græco: Mimi, ab inverecunda imitatione vilium rerum et levium personarum. Planipedia quoque Comœdia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco utebantur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo, quod non ea negotia contineat, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco.

Omnium autem Comœdiarum scripta, quæ Dramata Græci vocabant, ex quatuor rebus omnino sumuntur: nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur Nova Comœdia in quatuor partes: prologum, protasin, epitasin, catastrophen.

Prologus est veluti præfatio quædam Fabulæ, in qua vel poeta excusatur, vel fabula commendatur.

Protasis est primus actus Fabulæ, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exspectationem tenendam.

Epitasis incrementum est, processusque turbarum, et involutio argumenti, cujus elegantia connectitur.

Catastrophe est explicatio Fabulæ, per quam eventus ejus explicatur atque approbatur.

DE LUDORUM ANTIQUORUM GENERIBUS.

Verum, ut omnis Comœdiarum ratio facilius intelligatur, atque adeo ea, quæ omnem Comœdiarum actionem spectant, attendendum est primum, quando fierent, quo loco, et qua forma. Hoc autem tum demum lector intelliget, quum pernoverit, quid fuerint apud antiquos Ludi, Theatra, Actus, Scenæ, et hujusmodi cætera.

Vetus itaque Comœdia, item etiam Tragœdia, primum agi solebat a Græcis, in vicis et pratis mollibus, adscriptis et propositis præmiis, quibus ad scribendum poetarum provocarentur ingenia: actoribus quoque munera offerebantur, caperque dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur Comœdiæ et Tragœdiæ apud vetustissimos in honorem Liberi patris. In Italia primum actæ sunt Compitalitiis Ludicris, admixto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. Compitalitii autem Ludi dicti, qui per compita fiebant; scenæque ductiles in plaustris ob id antiquis excogitatæ. Postea vero factum, ut Ludis publicis et in Theatro agerentur Novæ Comœdiæ apud Romanos.

Ludos vocabant publica spectacula, quæ tum in gratiam populi fieri solerent a senatu, et a principibus institui, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Cæsares fecisse legimus), vel ad animorum relaxationem

et oblectationem. Multo magis ad religionem instituti sunt Ludi. Nam Diis post sacrificia etiam Ludos publicos consecrabant.

Ludi igitur, et Ludicra, quæ etiam Certamina vocaverunt Latini, Græci Agonas, multorum generum fuerunt: neque vero uno tantum spectaculo in publicis Ludis detinebatur populus. Erant autem Ludi Gymnici et Athletici: Ludi Circenses: Ludi Gladiatorii: et Ludi Scenici; de quibus nunc singulatim est paucis disserendum, partim ex Budæo, nostræ Galliæ lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et Athletici Ludi in palæstris ac gymnasiis fiebant apud Græcos, quæ loca fuerunt exercendis et corporis et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis palæstris aut gymnasiis exedræ fuerunt, in quibus philosophi Græci sedentes disputabant. Sed et palæstræ appellatio omnem athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque, qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus venustatem quamdam leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerant, ii apalæstoi ab antiquis dicti sunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palæstra exercebantur, vel decertabant præmiis, palæstritæ vel palæstrici dicti sunt: Gymnicos Græci etiam vocarunt, quod nudi athletæ exercerentur. Cæterum in palæstra gymnasii (inquit Plautus) cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo se exercebant athletæ. Hujusmodi Ludi in Campo Martio apud Romanos fieri solebant.

Qui currebant in Ludis Gymnicis, hoc est, cursu corpora exercebant, vel eo decertabant, Græcis Dromi appellantur, hoc est, cursores. Quorum alii stadiodromi dicebantur, qui stadium percurrebant: alii diaulodromi, a circumactu curriculi, id est, duplo curriculo, quod diaulon vocabant: nam ii cursores, quum ad metam pervenerant,

flectentes; eo rursus recurrebant, unde cursum inierant. Erant et dolichodromi, qui sexies stadium curriculo obibant: nam dolichos longissimus cursus dicebatur.

Lucta, Græcis pale, vel in cœno, vel arena, vel pulvere fiebat; unde luctatores in Ludis Gymnicis, aut palæstra, Græcis palæstæ appellati. Ii luctaturi, ceromate, id est, oleo cerato perfundebantur: unde, qui eos ungebant, ceromatistæ dicti. Pulvere quoque post unctionem inspergebantur, ut corpora ceromate et sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent: unde natum proverbium, «citra pulveris tactum,» de iis, qui facile aliquid assequuti sunt, et citra sudorem, quod et citra pulverem dici potest. Eum pulverem Græci aphen dicebant. Inter luctatores quidam summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu hærentes: eos acrochiristas vocabant Græci. Alii vicissim feriebant arrectaria concertatione, hoc est, arrecti, et pulvere obsiti, alter alterum impetebant procursu calcitratuque: calcibus enim, cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impetendi prehendendique modo: pancratiastæ vocati, et pancration hujusmodi certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigeretur.

Qui disco se exercebant athletæ, discoboli Græcis appellabantur, hoc est, discum in sublime jaculantes. Erat autem discus lapis rotundus ac pertusus, inquit Ammonius.

Pugilatus, quem Græci pygmen appellabant, cestibus exercebatur, quales a Virgilio, lib. v, describuntur: in eo qui exercebantur, pugiles Latinis, Græcis pyctæ dicti sunt: quod nomen ad gallinaceos pugnaces translatum est.

Saltationum in Ludis Gymnicis multa genera fuerunt, quemadmodum docet Lucianus. Erat enim saltatio pyr-

rhicha, a Pyrrho inventa, a qua pyrrhicharii et pyrrhichistæ dicti : quæ eadem saltatio enoplia, id est, armata dicebatur : quod armati saltarent. Erat saltatio Cordax obscœna, et comica : et alia saltatio satyrica, quæ Sicinnis dicebatur. Fuit item emmelia saltatio, pacata et honesta. Qui vero saltus pernicitate contendebant in gymnasiis, haltici a Græcis dicebantur; qui autem halmate, id est, saltu certabant, apud antiquos utebantur halteribus : sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent. Chironomia quoque erat saltatio gesticulatrix, qualis est, quam Mauricam vocamus : unde chironomi hujusmodi gesticulatores dicti.

Circenses Ludi certamina erant curulia, quæ in circo fiebant : qui locus erat ovata specie constructus, undecumque spectaculis ornatus; e quibus innoxie patres equitesque Romani prospectare solebant : cujusmodi quemdam Flaminius Romæ construxit; unde Circum Flaminium legimus, et Circum Maximum, a Cæsare dictatore exstructum, cujus vestigia adhuc hodie visuntur Romæ, juxta ædem D. Sebastiano sacram. Fuit autem longitudine stadiorum trium, latitudine unius, cum ædificiis jugerum quaternum ad sedem ducentorum sexaginta millium hominum. Erant in eo metæ depositæ, duarum aut trium pyramidum formam referentes. In ejus summitate carceres erant, e quibus equi curribus juncti ad cursum emittebantur, et, quum ad summum devenissent, revolvebantur, donec ad priorem metam pervenirent. A curribus, hoc est, bigis; trigis, et quadrigis, Curules Ludi dicti. Unde etiam dictos puto ædiles curules, quod iis administrandis essent præfecti; erant enim omnium præstantissimi Ludi. Nam in iis se exercebat, et magnis præmiis contendebat nobilissima Romanorum juventus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum apud antiquos inter enses et

flumina, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum.

Agitatores dicti sunt aurigæ in Curuli Certamine et Ludis Circensibus, quorum factiones erant a tunicarum coloribus : ut alii dicerentur Russati, Albati, Prasini, Veneti; atque ita insistentes curribus juvenes, velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et desultores, qui duos equos absque ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant : amphippos Græci vocant. Hinc desultoria levitas in proverbium abiit : et equi desultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et celetizontes, equites erant in Certamine Curuli non bigis aut quadrigis utentes, sed equo uno insidentes : cujusmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi gladiatorii plerumque post Scenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces : quorum exempla apud auctores crebra sunt. Horum institutores ac magistri lanistæ vocabantur. Non enim ignari gladiatoriæ artis prodibant in publicum spectaculum, ad præmia consequenda. Itaque apud lanistas prius exercebantur in umbratilibus pugnis, quas sciamachias Græci vocarunt : quod hujusmodi pugnæ simulacra sub tecto fieri solita erant, non ut vera pugna, in sole et pulvere. Hujusmodi lanistæ sunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur; qui docent omnes numeros impetendi, cedendique, vulnera inferendi, vitandique, aut ubi punctim cæsimve feriendum. Ludi vero Scenici, qui et Agones Musici et Dionysiaci dicebantur, quasi Libero patri dicati, ad Comœdiarum, Tragœdiarum, aut Satirarum recitationem pertinebant; item ad cantus et poemata : scena ob

id in theatro composita atque exstructa ea ratione, quam mox describemus. Qui se in his Ludis exercebant, scenici etiam dicebantur, et Dionysiaci artifices. Ludorum aut Certaminum Diis consecratorum quatuor erant apud Græcos genera. Erant enim Nemea, Isthmia, Pythia, et Olympia : quæ omnium erant maxima spectacula. In his Ludis proponebantur victoribus magna præmia, quæ qui custodiebant, Ludisque præerant, βραβευταὶ Græcis, Latinis designatores appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et spectatores moderari virgarum terriculo. Unde mastigonomi et rhabduchi etiam dicti, quod virgas gestarent, ut in officio continerent spectatores. Musicis quoque agonibus erant critæ, id est, judices, a quibus critici, id est, poematum judices dicti sunt. Ludorum, qui Diis consecrabantur, apud Romanos quatuor erant species. Eos Ludos ædiles curules munere publico quotannis curabant. Megalenses, sive Magni Ludi dicti, quod magnis Diis consecrati essent: quibus Ludis quatuor actæ sunt Terentii Comœdiæ : Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra. Funebres, aut Funerales Ludi, ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice instruebatur. His Ludis acta est Comœdia Terentii Adelphi. Plebeii, sive Romani Ludi, pro salute plebis edebantur : quibus Ludis acta est Phormio. Apollinares Ludi, Apollini consecrati, aut in honorem Apollinis instituti.

DE THEATRIS ET AMPHITHEATRIS ANTIQUIS.

Quo melius et commodius spectarentur Comœdiæ, Tragœdiæ, aut Ludi, sive ii Gladiatorii, sive etiam Scenici, vel alterius generis essent, instituta sunt ab antiquis, quæ theatra vocabantur, a commode videndo ac

prospiciendo sic appellata. Nam ante theatrorum usum, scenæ super plaustris ductilibus exstruebantur, ac per compita ductæ, populo præbebant oblectationem. Theatra autem erant ædificia, vel apparatus in populi gratiam instructi, ad hemicycli speciem, ad spectandos ludos: spectacula Latine possumus dicere. Quum forum institutum fuerit (inquit Vitruvius), tum Deorum immortalium diebus festis, ludorum spectationibus, eligendus est locus Theatro quam saluberrimus. Fuerunt autem Theatra duorum generum: alia lignea et pluribus tabellationibus exstructa, qualia Ludis publicis quotannis fiebant Romæ, atque ea perennia non fuerant: alia sumptuosa et nobilia, ex solidis rebus, id est, ex structura cæmentorum, lapide aut marmore constituta, quale est quod construxit M. Scaurus in ædilitate sua, item etiam Pompeius, et alii permulti. Ita autem compositum fuit antiquis Theatrum, ut eo conveniens, et commode sedens, turba e longinquo facile spectare posset, concavo æqualique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba ad alterum Theatri caput facilius ferrentur. Postea vero excogitatum est Theatrum in rotundam formam exstructum, alio multo excellentius atque capacius, magisque sumptuosum: quod quia veluti ex duobus constaret Theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id Amphitheatrum dictum est, quale est, quod hodie Romæ videtur, aliquando ab Antonino Pio ædificatum, et a Gothis devastatum (Colisæum vulgus vocat), quod potissimum ad alia spectacula vulgo proponenda factum atque inventum fuit; nam ad Scenicos Ludos prospiciendos, magis idoneum erat Theatrum: ob quos præcipue inventum fuisse credibile est. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit suam Hecyram, egisse in Amphitheâtro: scena per me-

dium ipsius exstructa, et ad unum tantum hemicyclum spectante; nam ab utroque Amphitheatri semicirculo spectari non poterant Comœdiæ: quo factum, ut, dum in aliud latus vacuum, alia spectacula confestim proponerentur, veluti pugiles, funambuli, et hujusmodi cætera, populus ante absolutam Comœdiam illuc concurrerit, ad loca commodiora occupanda, quemadmodum ipse Poeta conqueritur, neque propter strepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem, absolvi potuerit. Quod ne accideret in publicis Ludis, existimo potissimum movisse Caium Curionem, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, ut Theatra duo lignea, eaque amplissima excogitaret, in quibus etiam duæ essent scenæ, propter spectatorum commoditatem. Erant autem (quod mirum fuit) cardinum singulorum versatili suspensa libramento, inquit Plinius; e quibus utrisque antemeridiano Ludorum spectaculo edito inter se aversis (ne invicem obstreperent scenæ) et repente circumactis, ut contra starent; postremo jam die descendentibus tabulis, et omnibus inter se coeuntibus, faciebat Amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Itaque vides, quemadmodum Scenici Ludi, dum agerentur, aversis Theatris agebantur, ne turba fieret; dum autem proponebantur, aut producebantur gladiatores, in Amphitheatri reducebantur formam, et in unum duo Theatra coibant. Sed et novissimo die (ait idem) divisis duabus per medium scenis, athletas edidit Curio, raptisque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gladiatoribus suis produxit. Vides quemadmodum pulpitum etiam auferebatur, dum gladiatores prodirent; nam ipsam aream occupabat: hoc autem factum fuit, fessis turbatisque volubilium Theatrorum cardinibus. Nam ante non erat opus eximere pulpitum, quum contra sta-

rent scenæ, et locum præberent circumactis Theatris in Amphitheatri formam, post Ludos Scenicos absolutos.

THEATRI CONFORMATIO, EJUSQUE PARTES.

Sed, quo tandem artificio, quave industria ædificatum fuerit apud antiquos Theatrum, prospiciendis Scenicis Ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum prætermisisse videamur, quæ ad hunc sermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quasi ad unguem expressum, sed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis descriptum, quæ tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re scripserunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum est (quemadmodum paulo ante docebamus) Theatrum fuisse in semicirculi figuram compositum, atque ita conformatum, ut æque gestus prospicerent, ac voces audirent (sine tumultu tamen), qui ad latera et in summis sederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta scenam. Caveam vocare videtur Plinius locum in Theatro, gradibus ac sedibus constructum atque compositum, in quo sederet populus. Cavea ipsa (inquit de Theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: quum Pompeii theatri (sic enim legendum est; nam nunquam Pompeius Amphitheatrum edidit,) toties multiplicata Urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millia sedere. Nisi mavis caveam accipere pro tota Theatri capacitate, ut etiam scenam ipsam comprehendas; quod tamen minus probaverim. Gradus autem dicebantur in ipsa leniter pendente Theatri forma, sedes lapideæ, in hemicyclum etiam exstructæ, e quibus commode prospiciebat populus. Super his gradibus (quos non amplius quindecim esse conjecimus) sedebant spectatores, et ad

eos undecumque commeabant, nullo inter conscendendum alteri noxam afferente. Illuc autem per cuneos accedebant, qui tum in ima Theatri cavea, tum etiam supra ipsam, adeo ingeniose conformati erant, ut ab iis per alios scalares gradus ad quemlibet gradum spectatorium facilis pateret ascensus. Cunei spectaculorum (inquit Vitruvius) in Theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter cuneos ad primam præcinctionem. Supra autem alternis itineribus superiores cunei medii dirigantur. Cunei, in imo dirigentes scalaria, erant numero septem. Gradus spectaculorum, uti subsellia composita, erant non minus alti palmo pede, non plus pede et digitis sex, latitudines eorum non plus pedes duos semis, non minus pedes duos constituebantur, ut per id spatium latius, seu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas sedes deerraret populus, absque eorum incommodo, qui jam consedissent. Post tres quoque singulos gradus, qui quartus in ordinem succedebat, duplo latior erat cæteris, ad leviorem Theatri proclivitatem, et ut singulis ordinibus singuli tres gradus relinquerentur. Ac, ne petulanti aut insolenti populo, propter sedes quantumvis accessu faciles, præberetur rixæ causa, cautum erat ne quilibet in quibuslibet sederent gradibus: sed in tribus primis, qui proximi essent scenæ pulpito, amplissimæ et extremæ dignitatis viri, in sequentibus consulares, in aliis patricii, ac deinceps plebeii in reliquis gradibus sederent. Itaque veteres architecti, naturæ vestigia persequuti, indagationibus vocis scandentes theatrorum perfecerunt gradationes, et quæsiverunt (inquit Vitruvius) per canonicam mathematicorum, et musicam rationem, ut, quæcumque vox in scena esset, clarior et suavior ad spectatorum perveniret aures; ac, ne

vox impediretur, ita compositi erant gradus, ut linea, quum ad imum gradum et ad summum extenta esset, omnia cacumina graduum angulosque tangeret. Atque, ut vox actorum suavior et delicatior spectatoribus videretur, antiqui Græcorum artifices inter sedes theatri Cellas constituerunt ratione musica, in quibus vasa ænea, pro ratione magnitudinis Theatri facta, collocabantur; quæ ita fabricata erant, ut, quum tangerentur a voce, sonitum facerent inter se. Eoque artificio collocata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque haberent locum vacuum, et summo capite spatium, ponebanturque et suspensa cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingressa harmoniam efficeret, et gratiam quamdam afferret spectatoribus, utque intellectu facilior esset. Tale quiddam audio adhuc hodie exstare in quibusdam templis antiquis, quæ nunc quoque supersunt integra, apud nostræ tempestatis Græcos. In quorum fornice inferiore atque superiore varia sunt foramina hinc inde conspersa, ac sibi veluti ex diametro ab uno ad aliud latus correspondentia, in quibus vasa ænea impacta sunt, quorum os (quod angustius est, quam ipse venter) tantum exterius patet, non etiam prominet. In ea vasa, vox in templo canentium inclusa incredibilem efficit harmoniam, sonosque distinctissimos, et admodum gratos, atque auditu faciles. Sed in theatris vasa resupina suspendebantur. Tale quid autem Romæ factum fuisse suis temporibus negat Vitruvius, sed in Italiæ regionibus et in pluribus Græcorum civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum Theatro ejus ænea vasa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in oppidis non magnis Theatra construxerunt, propter æris inopiam, fictilibus doliis ita sonantibus electis, hac ratiocinatione compositis, usi sunt. Quapropter Plinius ait, in Theatris vocem optime currere in doliis inanibus. In ligneis

autem Theatris (ait Vitruvius), quæ Romæ passim fiebant, non erat vasis æneis opus, quum tabulationes haberent complures, quas sonare necesse erat. Aditus permulti et spatiosi dispositi erant circa Theatrum, nec conjuncti superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetui et directi, sine inversuris: uti, quum populus dimittebatur e spectaculis, non comprimeretur, sed haberet ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione. Reliquum Theatri artificium a gradu omnium superiore in altitudinem trium contignationum exporrectum erat, etiam in hemicyclum; atque ita exædificatum, ut porticus efficeret, undecumque patentes, et columnis hinc et inde ornatiores factas, in quas populus se reciperet, si quando propter imbres aut cæli tempestatem minus commodam, ludi interpellarentur. Eam Theatri partem Præcinctiones videtur appellare Vitruvius: Plinius, «parietem circumjectum.» Sed inferiores et imi Theatri porticus duplices erant, mediaque spatia sub divo inter porticus viridibus adornabantur, quod (inquit Vitruvius) Hypæthræ ambulationes haberent magnam salubritatem. Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci sylvestris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad odorem conciliandum. Quin etiam ne solis ardor aut etiam conspectus populum ab officio deturbaret, utque salubrius spectatores conspicerent (nam porticus propter imbres tantum ædificatæ fuerunt), excogitata sunt Vela toto Theatro, atque adeo ipsi Theatri caveæ supertensa, quæ spectatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Catulus, quum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus Ludis; mox (ait Plinius) Cæsar Dictator totum forum Romanum intexit. Nero Cæsar velis, rudentibus superstratis, et colore cæli stellati Amphitheatrum contexit, ut

solem defenderent. Ima Theatri sedes, vel potius id spatium quod ab ima sede Theatri interjacebat pulpito, Orchestra dicebatur, quasi saltatorium, quod illic, apud Græcos et apud Latinos antiquiores, saltantes histriones populo oblectationem afferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam Thymelici, hoc est, Citharistæ, Citharœdi, Tibicines suas præstabant actiones ipsis Græcis, atque id spatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum Theatri ab imo gradu ad pulpitum usque scenæ vacuum relinquebatur. In Theatrorum orchestris (inquit Plinius) scobe aut arena superjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter existimo probe emundatum fuisse, si quando pugilum Ludis arena conspersa videretur. Novissime autem apud Romanos orchestra senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca designata, propter commoditatem; ut inde, non solum verba et gestus, sed etiam pedum motiones, et vel minima quæque conspicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito scenæ, de cujus compositione mox dicendum est.

POSITIO ET CONSTRUCTIO SCENÆ IN THEATRO.

Ante Theatrum, ceu frons quædam ipsius, Scena opposita fuit, pro re nata et agenda Comœdia aut Tragœdia exstructa; uno aut altero tantum die usui futura; nisi fortasse ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de scenis sumptuosis, et præter consuetudinem supra modum luxuriantibus, hic non intelligimus. In hunc autem modum disposita erat, quantum ego conjectura assequi possum. Scena binis pluribusque contignationibus aut contabulationibus, si mavis, exstructa fuit: circa quas singula ambulacra, aut porticus columnis pluribus distinctæ vide-

bantur : atque ea frons scenæ appellata fuit. In cujuslibet contignationis frontispicio, quod Theatrum respiciebat, portæ ingeniosissime depictæ et exitus varii fuerunt, in quibus, præsertim superiorum contignationum, Mimi, Mirmillones, et cæteri Ludi varios gestus ac gesticulationes edebant, unde Scenici proprie dicti. Chorus etiam, mea sententia, in iis superioribus contignationibus referebatur, dum agerentur Tragœdiæ; nisi mavis, post scenam in loco destinato fuisse chorum, et cantores ac tibicines, qui locus Odeum, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et Deorum descensus, et cætera id genus, ad magnas et sumptuosas Comœdias apta. Existimo tamen in humili Comœdia non fuisse tantum apparatum. Ima scenæ contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quasdam latiores sub quibus casulæ et rustica domicilia in Novis Comœdiis, variis scenæ locis, constructa erant, urbes quoque, et loca remotissima referebantur in Tragœdiis : e quibus prodibant actores, et illuc quoque se referebant ad tempus. In eadem scenæ parte excitatum fuit, quod Podium appellabant (etsi podium in columnis id significare soleat, quod vocant Pedaste), circa secundæ porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum capax, idque fere videbatur referre, quod in ædificiis nobilioribus circa secundam præcipue contignationem prominere videmus ad fenestras, Perronem vulgus vocat, post pulpitum exertum videbatur. Opertum erat tentorio quodam insigni, et quod ipsum undecumque ambiret, ut in eo secretius et magis abdite spectarent Principes, qui nonnunquam illuc se conferebant. Nam e Podio Ludos ac Comœdias spectasse Neronem scribit Tranquillus. Dictum aiunt, quod in eo spectatores aut etiam tibicines pedibus innixi essent, non sederent; vel

quod in eo nonnunquam pedibus gesticularentur histriones in actuum commutatione. Pulpitum in scena (Græci λόγιον vocabant), locus erat in quem prodibant actores e casulis aut domunculis suis scenicis, ad recitandum: nostri vocant *Les planches*. Fuit exactissime situm ante frontem scenæ, et loco ipsius medio, qui Theatri centro responderet; semper ligneum fuit, atque exemptile, etiam si scena structili materia constructa fuisset. Eximebaturque in athletarum et gladiatorum spectaculis, scena nihilominus integra manente. Paulo altius videbatur ima scenæ porticu, in qua actorum domos constitutas esse dicebamus: ad idem leniter ascendebant actores pronuntiaturi. haud æque longum fuit atque ipsa scena, altum tantum erat pedes quinque, ut, qui in orchestra sederent, facilius pedum motiones et singulos agentium gestus perciperent Id spatium, quod utrinque a pulpito ad extremam scenam vacuum relinquebatur, Græci vocabant Proscenium, ne quis existimet fuisse scenæ latera. Periacta vocarunt Græci in scenis suis turres, aut machinas, trigonas habentes, vel triangulares, miro artificio constructas, in uno atque altero scenæ latere positas, variis coloribus secundum angulos distinctas, versatiles; ut inter spectandum, dum animi ad histriones paulo attentiores essent, paulatim revolverentur, et modo rubræ, modo virides, aut alterius coloris apparerent; quæ res non parvam oblectationem spectantibus afferebat. Hæ, quum fabularum mutationes erant futuræ, seu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, versabantur, mutabantque speciem ornationis in frontes. Ex iis projectitios ignes vibrabant, in iis fingebant tonitrua, pluvias, et quidquid in Tragœdia admiratione dignum fuit; sed hoc maxime in honorifico et sumptuoso Comœdiarum aut Tragœdiarum genere. Secundum περίακτα, nempe ad scenæ latera, itinera et Ver-

suræ procurrentes erant, quarum una efficiebat, ut actores a foro, altera, ut peregre prodire aut illuc regredi viderentur. In media scena Valvæ Regiæ conformatæ erant, circa quas utrinque fuerunt composita Hospitalia quæ vocat Vitruvius, e quibus actores prodiisse puto. Omnium scenarum, quas Romani in Theatro unquam construxerunt, longe nobilissima fuit ea, quam M. Scaurus in ædilitate sua construxit. Eam triplicem fuisse refert Plinius, altitudine 360 columnarum. Ima pars scenæ marmoreos habuit parietes, non facile dixerim sectos an solidis glebis politos. Media fuit e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragenum pedum. Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad sestertium millies. Scenarum autem (ait Vitruvius) genera sunt tria, unum quod dicitur tragicum, atque id omnium sumptuosissimum fuit: alterum comicum: tertium satiricum. Horum autem ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione: tragicæ enim deformantur columnis, fastigiis, et signis, reliquisque regalibus rebus: comicæ autem ædificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem communium ædificiorum: satiricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis. Post scenam Porticus erant constructæ, quo quum imbres repentini Ludos interpellaverant, actores se recipiebant ex pulpito, aut in quibus vestium commutationes et personarum indumenta adservabantur. Ipsam autem personarum repræsentationem in scena, atque adeo composi-

tionem Comœdiæ, Græci Drama vocarunt. Sed et scenam vocant Comici, quidquid duæ aut tres personæ sermonis integri et absoluti colloquuntur, illicque finit scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad vicinam currit. Actus autem plures scenas comprehendebat. Estque in Comœdia pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens, sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, et facilius commutetur, quidquid in reliquis Comœdiæ partibus superest: id autem actus commutare dicebant. Interea mimi dicteria et diverbia referebant, recitabanturque nescio quæ jucunda, quæ populum alia oblectatione afficerent. In Comœdia vero plures erant hujusmodi actus, secundum rei gravitatem, aut rationem. Comœdiarum autem recitatio in scena Actio dicebatur; unde etiam qui agebant, et fabulas pronuntiabant, Actores dicti. Actio quoque ad orationis pronuntiationem transfertur; ut etiam ipsa oratio rhetoris vel scripta vel pronuntiata actio dicatur.

SCENICORUM ACTORUM DIVERSITAS.

In scenam non solum Comœdiarum aut Tragœdiarum Actores (qui tragœdi et comœdi dicebantur) prodibant in spectaculum, sed etiam mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi; omnes uno nomine hypocritæ (id est, alienæ personæ simulatores) dicti; et eorum actio, hypocrisis, id est, alienæ personæ simulatio; Latinis histriones, ludionesque, aut etiam ludii dicuntur. Mimi imitatores sunt gestuum, vocum, aut gressuum alicujus personæ inter alias, cujus ridicula sit vox, aut aliud quidpiam. Pantomimi omnium personarum imitatores sunt effictoresque, ut et mulieres, et senes, et juvenes, ac cujuscum-

que ætatis personas confingant; etiam ita ex gestibus describunt, ut id quod agunt videre videare. Hujusmodi sunt quos Itali *buffones* vulgo vocant. Archimimi principes sunt histrionum, hoc est, inter histriones solertissimi et excellentissimi. Ethologi mimi, aut ethopœi, morum sunt effictores, affectuumque cujuscumque personæ quam sustinent, aut quam agunt et referunt in scena, unde ethopœia, morum alienorum imitatio: et ethici pictores ac statuarii dicti, qui suas imagines ita depingunt, aut cælant, ut sensibus expressis propemodum spirent. Thymelici inter scenicos actores sunt, hoc est, citharœdi, citharistæ, lyristæ, tibicines. Citharœdi, qui et fidicines dicuntur, citharæ accinebant. Citharistæ citharam tantum pulsabant, non autem accinebant. Hujusmodi thymelici per orchestram præstabant actiones suas. Ludii sive ludiones (ut jam dictum est) ii erant qui Comœdiam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicæ factis; neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis; ut significant, qui tres numeros in Comœdiis ponunt, qui tres continent modos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebatur autem Tibiis paribus, aut imparibus; et dextris, aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua gravitate seriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et serranæ acuminis lenitate jocum in Comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta Fabula inscribebatur, mixtim joci et gravitates denuntiabantur. Mimi aut Ludii, dum agebant, assumebant capiti

personas, hoc est, confictas variarum personarum facies: vel reticulo denso facies obvelabant, ne agnoscerentur. Ita etiam instituti erant hujusmodi histriones, aut mimi, ut et corporis motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes secundum modos edocti erant, quæ mirum in modum populum afficiebant. Hi simul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut saltantes appellabantur Chorus: divisi in duas partes, semichoria. In actione autem Comœdiæ, eorum aliqui primas partes, alii secundas tenere dicebantur, pro variis actuum rationibus: eorum enim alii prologum dicebant, alii in nuntios, exploratores, custodes, servos, heroas, Deos, senes, amatores, meretrices dividebantur, personasque in Orchestra assumebant, pro sua actione ac ludo.

APPARATUS SCENÆ IN VICIS ET THEATRIS.

Apparabatur scena apud antiquos Græcos in agris, verno tempore, cum ædificiis et habitationibus triplicibus, instructis culminibus, peripetasmatis, tapetibus, linteisque candidis. Additæ postea sonantes pelves, ignesque manibus excussi: cavernæ quoque subterraneæ ac putei confingebantur; figuris maris, Tartari, fulminum, tonitruum, noctis, cæli, diei, regiarum, prætoriorum, ingentes aulæ, fornices ad viarum similitudinem. Apud Romanos Aulæa in scena primum sternebantur, quum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipsa scena Sipariis, quæ posterior ætas pro aulæis sumpsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat præterea velum minutum quod populo obsistebat in scena, dum actus commutabantur. In vicis si fiebat scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis componebatur; quasi concamerata quædam densatio, ut subterpositos tegere posset,

unde ab inumbratione dicta. In Theatro autem (ut jam dictum est) fiebat scena, camerato contextu, binis pluribusque contignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores. Duas aras utriusque habebat; dextram Liberi patris; sinistram ejus Dei, in cujus honorem Ludi fiebant. Unde illud: «Ex ara hinc sume verbenas.» Atque is demum erat scenæ apparatus in Theatro.

DE HISTRIONIBUS ET MIMIS SCENICIS.

Omnis Tragœdiarum ac Comœdiarum gratia, et scenæ decus, in Histrionibus consistebat. Histriones enim et mimi in scena Comœdias recensebant secundum suos modos et cantica. Nam cantica, ut paulo ante docebamus, temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicæ factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant hujusmodi carmina ad tibias, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi essent scenici. Unde illud est Ciceronis: «Non intelligo, inquit, quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.» Tibicines appellabantur qui hujusmodi cantica ad tibiam fundebant, antequam ageretur Comœdia, vel inter ipsos actus. Unde illud Plauti: «Tibicen vos interea hic delectabit.» Ludiones autem et histriones ad tibicinis modos saltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronuntiabant. Unde Livius: «Ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, aut indecoros motus more Tusco dabant.» Proprium enim ludionum ac morionum erat motus decoros ac gestus omnino decentes ostendere. Tibicinum autem erat decorum, modos, hoc est, mensuras in cantu observare, remissosque, aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio. In Tragœdia et Satyra sexdecim numero interveniebant mo-

riones et histriones; in Comœdia etiam quatuor et viginti. Qui simul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum est, Chorus vocabantur; divisi in duas partes, Semichoria: ubi autem gestus et cantus absolverant suos, tum in partes plures dividebantur; ut alii essent qui senes, alii qui amatores, mulierculas, servos luderent, personisque ac vestium varietate induerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

AMICTUS ET PERSONÆ HISTRIONUM SCENICORUM.

Personati histriones agebant Comœdiam, neque agnoscebantur. Sed ita compositæ ac conflatæ erant personæ, ut referrent id ipsum quod a mimo agebatur; liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Nam, quod nonnulli dicunt, histriones tantum gestibus Comœdiam egisse, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum esse videtur. Vestiebantur quoque histriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc est, vel servorum, vel senum, vel alterius personæ diversis modis. Senibus comicis candidus Vestitus dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentes discolori veste contegebantur. Servi comici amictu vestiebantur exiguo, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditius agerent. Parasiti cum intortis palliis prodibant. Milites chlamyde purpurea utebantur. Puellæ habitus erat peregrinus. Leno pallio varii coloris vestiebatur. Meretricibus dabantur Syrmata, hoc est, vestes expansæ, et quæ longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, seu pulla gestabant luctuosa funeralibus, quæ incuriam sui per negligentiam significabant. Sed, si quando varian-

dum in Comœdiis erat, vestitusque commutandus pro affectibus, quos ex Comœdiæ actibus significabant, lætis vestitus dabatur candidus : ærumnosis obsoletus : diviti quoque purpureus ; pauperi phœnicius. Tragici aut tragœdi actores Calceamentorum genere a Comœdis variabant, eoque discernebantur. Utebantur enim Tragici in Theatro Cothurnis, quod tale genus erat calceamenti, ut dextro lævoque pedi conveniret : cæterum altum et prominens, actoresque proceriores efficiens ac referens; varii coloris, et honestum atque elegans; usque ad suram plerumque devinctum, more Punico. Comici actores, aut comœdi, in scenis Soccis utebantur, quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit Pallium, ita etiam Soccus altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lutum, atque hibernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quintilianus : « Comœdia in cothurnos non assurgit ; nec contra Tragœdia socco ingreditur.» Tragœdia enim, quum grave et magnum argumentum, magnasque et ingentes personas præ se ferret, cothurnis uti debuit. Comœdiam autem, quum esset humilis, et rusticos proponeret in scena, palliis et soccis commodius erat ornari. Quod præterea de his rebus dici posse quispiam judicabit, id in aliud tempus exspectet necesse est : non enim hic omnia simul discutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tum vero quia per negotia minus fuit commodum.

ANTONIUS GOVEANUS.

DE LUDIS MEGALENSIBUS.

De Ludis Megalensibus quia certi nihil apud Auctores reperiebam, non abs re putavi, quæ colligere ipse potui, in medium afferre. Μεγαλησίους Magnos dici a Græcis Deos auctor est Donatus; Σιοὺς enim Æoles Deos vocant: unde Sibyllas dici vult Aristo, quod Deorum mentes consiliaque perspiciant. Magnos vero Deos intelligo, quos majorum gentium Cicero vocat, qui a terris in cælum non pervenere: tales habebantur Jupiter, Neptunus, Minerva, Juno. At neque magnis omnibus Diis, sed tantum cælestibus erant hi Ludi consecrati. Hos esse, quos Romanos interim videmus appellatos, ex eo colligo, quod Asconius scribit, Romanos Ludos Magnos quoque appellari, quod Magnis Diis erant instituti: quos eosdem Circenses dictos putat. Unde illud Virgilii: « Magnis Circensibus actis. » Non esse eosdem Ludos Megalenses, et eos quos Megalesia dicimus, ex Ciceronis Oratione de Haruspicum responsis aperte colligimus, ubi Megalesia Megalensibus celebrari dicit. Verba sic habent: « Nam quid ego de illis Ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris Magnæ conspectu Megalensibus[1] fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more

1. Quod Antonius Goveanus a Megalensibus Megalesia distinguere; Megalenses autem eosdem cum Romanis facere voluit, æque in utroque falsus est. Ciceronis ex Oratione de Responsis Haruspicum locum citat Goveanus: et ex eo colligit, a Megalensibus alia esse Megalesia: quod Cicero Megalesia Megalensibus celebrari solita dicat. Deinde tradit Ludos Megalenses eosdem esse, qui Circenses, Romani, Magni nominantur. Quæ quum dicit, non animadvertit, in quam difficiles sese rerum absurdissimarum laqueos inducat. Non abutar pluribus argumentis. Tota res uno verbo confici potest. Nam, si Ludi Me-

institutisque maxime casti, solemnes, religiosi ; quibus Ludis primum ante populi consessum Senatui locum P. Africanus iterum Consul ille Major dedit; ut eos Ludos hæc lues impura pollueret: quo si quis liber aut spectandi aut etiam religionis causa accesserat, manus afferebantur: quo matrona nulla adiit, propter vim consessumque servorum. Ita Ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita in hac urbe consederit; qui et uni Ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris Magnæ nomine suscepta declaretur; hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt, tota denique hoc Ædili servorum Megalesia fuerunt.» Extrema hæc verba declarant illos Ludos, quos Megalensibus in Palatio in ipso Matris Magnæ conspectu fieri dicebat initio, esse Megalesia: nam et Livius scribit M. Junium Brutum ædem Magnæ Matri Deum in Palatio dedicasse, et Ludos, ob eam dedicationem factos, Megalesia appellavisse. Megalenses porro Ludi, sive Romani, sive Magni, sive Circenses, sub regibus fuere instituti; fiebantque sub initium mensis Septembris: durabant autem non amplius dies novem. Cicero in actione prima in Verrem : « Nonæ sunt hodie Sextiles; hora nona convenire cœpistis; hunc diem jam ne numerant quidem : decem dies sunt ante Ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est; ii Ludi dies quindecim auferent: deinde Romani continuo consequentur: ita prope XL diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ a nobis dicta erunt, responsu-

galenses committebantur pridie Id. April. ut ex Livio constat, Ludi autem Romani pridie Kalend. Sept. ut e priore actione in Verrem cognoscitur; quis est usque eo hebes, qui non videat, ut iidem sint Megalenses et Romani nullo modo fieri posse? Ego vero, ne dicam dolo, vocem illam, *Megalensibus*, e Ciceronis loco et expungendam puto, et e glossemate aliquo in ordinem Ciceronis verborum irrepsisse suspicor. *Mur.* — Cf. quod attinet ad veram lect. Edit. nost. Cic.

ros esse arbitrantur. » Quorum dierum si quis rationem subducat, et sub initium Septembris cadere Ludos Romanos, et non amplius novem dies durasse deprehendet. De iis Ludis Romanis ita Cicero libro quinto in Verrem: « Nunc sum designatus Ædilis; habeo rationem quid a populo Romano acceperim; mihi Ludos sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Liberæ, Liberoque faciendos, mihi Floram Matrem populo plebique Romanæ Ludorum celebritate placandam, mihi Ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt appellati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos, mihi sacrarum ædium procurationem, etc. » Quo loco Megalenses Ludos non omisisset, quos Ædiles summa religione et dignitate faciebant, nisi iidem et Megalenses Ludi fuissent et Romani. Hac tamen tota de re asseveranter dictum nihil velim.

DANIELIS HEINSII,

AD HORATII DE PLAUTO ET TERENTIO JUDICIUM, DISSERTATIO.*

> At nostri proavi Plautinos et numeros et
> Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
> Ne dicam stulte, mirati: si modo ego et vos
> Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
> Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Durum equidem judicium, et quod non nemo hac ætate de leporum omnium parente, summo Critico ac maximo

*Vide inf. pariter de Plauto et Terentio judicium, auctore J. F. *Laharpe.*

Poetæ excidisse nollet; cujus tamen vernæ melius de Plauto judicabant, quam qui nunc familiam in literis tueri hac ætate creduntur. Qui nec sæculi, quo vixit, et quo, quum Poesis, tum Latina lingua, ad supremum culmen ac fastigium evecta fuit, ignorare potuit judicium; vir tantus, et, quod rei caput arbitror, principibus, qui inter se quotidie de iis judicabant, intime familiaris ac amicus. Augusto autem, optimo ingeniorum judici, tam gratus atque acceptus, ut non raro lepidissimus homuncio ab eo diceretur, et quem, si antiquitati habenda hic fides, etiam habere ab epistolis optavit. Qui quum contra tanti Terentii fecerit Fabellas, ut et integras ex iis ῥήσεις descripserit, et ubique accommodet, soli denique artem tribuat; hominis αὐθάδους potius quam eruditi esset, ita dissentire a tanto viro, ut ne causam prius cognoscendam crederet. Quare videamus saltem, quid afferri pro utroque possit. Ne vel Flacci judicium in posterum, ut solent, aut Terentium secure nimium damnare quidam pergant in Comœdia. Omnia autem pro Horatii judicio, qui Plautum sic amamus et e manibus rarissime putemus deponendum, dicentur potius quam nostro. Ac de numeris quidem nonnulla Donatus: qua etiam in parte haud parum Veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem Grammatico, quum inquit:

> Agnovit metrum, servatque Terentius artem;
> Nam prologos trimetro didicit componere versu,
> Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Quamquam certe Fabius non stetisse intra trimetros deplorat. De quo forte alias dicturi sumus. Ad alterum priusquam veniamus, quædam præmittenda erunt. Quum eædem Comœdiæ propemodum sint partes ac Tragœdiæ, finis quoque ex parte idem, ex parte diversus, multa esse utrique communia necesse est. Delectare enim ac docere est

Comœdiæ; neque minus Comici διδάσκαλοι et κωμωδιδάσκαλοι, quam Tragici, a Græcis dicuntur. Nec movere risum sane constituit Comœdiam, sed plebis aucupium est et abusus. Nam ridiculum, ut recte Aristoteles, « vitium est et fœditas, doloris expers; quæ partem in homine aliquam corrumpit absque morbo. » Sicut fœda et detorta facies, si nullo cum dolore hoc fiat, risum movet. Unde ipsum quoque risum omnes fere antiquissimi Philosophi indignum sapiente judicarunt. Adeo ut Plato, tanquam sacrilegum, traducere non dubitet Homerum, qui ridentes introduxit Deos : quod in homine non τῆς κατὰ λόγον, verum τῆς κατ' αἴσθησιν, quemadmodum Philosophi loquuntur, διαθέσεως sit signum; a qua longe abest Deus: αὐτὴ ἡ οὐσία λόγου, καὶ αὐτόνους. Unde Thespis :

Ὁρᾷς ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
Οὐ ψεῦδος, οὐδὲ κομπον, οὐ μωρὸν γέλων
Ἀσκῶν, τὸ δ' ἡδὺ μοῦνος οὐκ ἐπίσταται.

Quare divinitus ab Aristotele dictum est, partem turpitudinis esse, id quod est ridiculum. Diserte enim ait, ὅτι τὸ γελοῖον, μόριον τοῦ αἰσχροῦ ἐστιν. Ita, quæ vel in verbis auctorum vel sensibus, vel in sermone hominum et factis, aut detorta sunt aut depravata, animos plebeios vehementer movent, et hoc ipso risum ut plurimum excutiunt. Ideoque inusitata dicta et obscœna, optimorum cavillationes, singulorum contumelias, sententias perversas, ideoque inexspectatas, aliaque id genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, et inprimis improborum) risum maxime in Comœdia, quam Veterem dicebant, expressisse constat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus segetem largissimam vel unus Aristophanes suppeditat. Qui non modo Plautum, sed quoscumque hac in parte superavit, omnesque τοῦ γελοίου mo-

dos ac figuras lepidissime expressit. Denique ut acetum, nisi vinum sit corruptum, bonum nunquam erit; ita, quæ sincera sunt et vera, risum nunquam excitabunt. Apposite Quintilianus, ubi de Ridiculo : « Et hercule omnis salse dicendi ratio in eo est, ut aliter quam est rectum verumque dicatur. » Quare et compositus ad risum sermo, ab oratione recta, quam πολιτικὴν magistri vocant, quam longissime abeat necesse est, cujus propriæ virtutes, ἡ σαφήνεια, ἡ ἐπιείκεια, ἡ ἀφέλεια, ἡ ἀλήθεια, perspicuitas, æquitas, simplicitas, veritas, ponuntur. Qua in parte supra admirationem omnium Menander apud Græcos, Terentius Romanis fuerit necesse est : qui ut viris sapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacumque ratione risum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitæ scilicet humanæ, et inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicæ potentiæ, licentia Antiquæ, ut observant Critici, defecit. Cujus locum occupavit Nova. Cujus et formam nondum penitus vidisse absolutam, sed jam concepisse animo, putatur Aristoteles. Ejus vero unicum propositum, humanos nosse atque imitari mores. Quo et D. Hieron. Epistola ad Furiam, de Viduitate Servanda, respicit, quum inquit : « Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, quum etiam Comicus, cujus finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit : SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENUS. » Omnis autem imitatio, ut postea dicemus pluribus, natura placet et delectat. Hoc enim proprium est hominis, ut recte Aristoteles, qui et μιμητικώτατος τῶν ζώων, merito ab eo dicitur. Joci vero, si petantur undique, molesti ac frigidi, aut theatrales fiunt, si a vita sint alieni : qui ut plebi forte, ita doctis placere ac sapientibus non possunt. Constantis enim viri ac sapientis animus laxari vult, non solvi. Illam autem constitutionem, καὶ τὴν, ut cum Stoicis hic loquar, ἐν

ταὐτῷ τοῦ ἤθους μονὴν, risus solvit. Quem præclare, τῆς περιχαρείας ὑπερέχυσιν τῆς ψυχικῆς, antiqui vocant. Ideoque et Socratici, quorum libri penuarium leporum omnium fuerunt ac facetiarum, quod e Xenophonte et Platone etiam hoc tempore apparet, χαριεντίζεσθαι, non γελωτοποιεῖν, solent. Ac ne ipsi quidem Siculi, ad festivitatem nati, et qui primi omnium Comœdiæ putantur inventores, alium illius finem, quam τὸ χρήσιμον, id est, utilitatem posuerunt. De Epicharmo Theocritus:

Πολλὰ γὰρ ποττὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα·
Μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Id quia secus in Comœdia Antiqua, statim defecit; in qua omnia, a veritate et consuetudine aliena, hoc est, vere γελοῖα, et ad risum erant comparata. Quis non ridet, quum exemplum vitæ, pater omnium virtutum, ipsa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates ridetur? quum in corbe festivissime philosophatur? quum, quot pedes pulex saliat, subtiliter ac geometrice metitur? Pleraque enim falsa de sententiis opinionibusque veterum Philosophorum, et ad risum facta aut excogitata sunt, quæ præcipue hunc excitare solent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiem ridendi, quantam unaquævis ex Aristophanicis, suppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Cæterum, ut modo dicebamus, quidquid maxime ab agendi consuetudine aut dicendi alienum est, risum maxime movere solet. In sententiis, qualis illa Comici Nebulis,

Καί τοι πρότερον τὸν Δί' ἀληθῶς ὤμην διὰ κοσκίνου οὐρεῖν.

In verbis, ut quum furacissimus servus κλεπτίστατος a domino vocatur, qui laudare taciturnitatem in eodem videtur:

Ἀλλ' οὔ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
Πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

Quod ipsum aliquanto castigatius Nero extulit, qui de tali servo, « Nulli apud se plus fidei habere, » dicebat: « nihil enim ei neque inclusum neque signatum esse. » Vox enim κλεπτίστατος tantum abest, ut sermoni convenire possit, ὥστε οὐδὲ αὐτου τὴν διάλυσιν (dicerent subtiles harum rerum judices) πολιτικὴν εἶναι, hoc est, ut ne quidem voce alia, quæ eam exprimat, consuetudini aut usui accommodari possit. Itaque corrumpit vocem, plane ut faciem, qui sic movere risum cogit: qualia prope infinita Aristophanis. Exemplo sint diminutiva, quæ tam diligenter tertio Rhetoricorum in illius Babyloniis Rex Criticorum Aristoteles notavit: χρυσιδάριον, λοιδορημάτιον, ἱματιδάριον, καὶ νοσημάτιον. Quod et in sermone ejus passim et in sensibus observes, quos non raro risus causa effert corruptissimos; sæpe tamen quum illudit aliis. Quare voces, phrases, sensus, etiam structuram Novæ, ut imitari cuivis tutum est, ita Antiquam si quis imitari velit, maximo delectu ac judicio est opus: quod si quisquam, recte Aristoteles notavit. Atque hæc causa, cur, ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula sit Nova, in qua omnes, ut jam absoluta, acquiescunt; quum antiqui Comici, iis pariter quæ dicunt, et dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud spectarunt quam ridiculum, plerisque in locis imprudenter excedant, ideoque et vitium plerumque, quod βωμολοχίαν dixit Aristoteles, incurrant. Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, quæ in primis locum in his habet, eosdem et urbanos et honestos vocari ait: εὐτραπέλους enim, quasi εὐτρόπους, dici. Sicut autem de corporibus ex motu, ita ex urbanitate judicari de animo; utrum nempe honestus sit, an turpis. Qui de corporibus locus, quum obscurus nobis videretur, neque quidquam in recentibus scriptoribus, qui interpretati eum sunt, præsidii ad manum esset, ad Andronicum Rhodium, cujus Paraphrasin in illos libros plane admiran-

dam, primi et edidimus, et in Latinum convertimus sermonem, ut sæpe alias, confugimus. Qui hoc modo: Ἡ δὲ μεσότης, εὐτραπελία, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτράπελοι, οἷον εὔτροποι· καὶ γὰρ του ἤθους δοκουσι τοιαυται κινήσεις, οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παίζοντες ἐμμελῶς, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε· ὥσπερ γὰρ αἱ κινήσεις τὰ σώματα χαρακτηρίζουσιν· οἷον πυρ μὲν ἡ εἰς τὸ ἄνω κίνησις καὶ πᾶν κουφον· βαρὺ δὲ ἡ εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐπι τῶν ἄλλων ὁμοίως· οὕτω και ἀπὸ τῶν ἔξω και φαινομένων τοῦ ἀνθρώπου κινήσεων, αἱ ἕξεις τῆς ψυχῆς φαίνονται και τὰ ἤθη. Quod est ex interpretatione nostra: «Medium vero, εὐτραπελία, id est, urbanitas, quique in eo excellunt, εὐτράπελοι, quasi εὔτροποι, hoc est, bene morati, dicuntur. Etenim potissimum a moribus videntur esse hi motus. Hi autem sunt, qui concinne, et quemadmodum, et quum oportet, jocantur. Sicut enim corpora distinguunt sui motus, ut, exempli gratia, ignem et quidquid leve est, motus qui in altum fertur, grave contra, motus qui ad medium, eodemque modo in aliis; ita ex iis qui extra sunt, et qui in oculos incurrunt hominum motibus, habitus quoque apparent animæ et mores.» Quia autem risus iis, ut plurimum, qui minus sunt honesti, quales homines plebeii sunt aut scurræ, gratus esse solet; hinc fit, inquit idem Aristoteles, ut, qui scurriles sunt, urbani etiam dicantur. Addit autem, quod spectare huc propius videtur: «Discrimen vero ex Antiqua Comœdia apparet et Nova; nam in illa id quod obscœnum, in hac autem, quod suspicionem tantum ejus movet, risum quoque exprimit; quæ non parum differunt ad venustatem.» Idem de cavillis quoque addit et conviciis. Quibus abstinuisse Plautum constat, quum obscœnitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Aristotelis judicio discrimen videamus. Byrrhia apud Terentium, in Andria:

Ego illam vidi virginem: forma bona

Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.

Vides in his, non obscœnitatem, sed suspicionem rei parum verecundæ, καὶ ὑπόνοιαν, quæ tam est honesta, ut a quavis virgine id, urbanitate salva, dici possit. Quid enim suavius, quam «in somnis amplecti?» et quidem, si de viro et formosa conjuge dicatur! Non enim dicit βινεῖν, quod Aristophanes dixisset, nec quæ in re tali Plautus usurpare solet, qui nec honeste ea dicit, et obscœne circumloquitur. Nam qualia sunt ista Casina!

Ol. Ubi locus sumptus porro est, continuo stricto gladio: atat!
papæ! papæ! Cl. Quid id papæ!
Ol. Flagitium oh erat maximum: gladium ne haberet metui:
id quærere occepi.
Dum gladium ne habeat quæro, arripio capulum.

Nam cætera, in quibus plane loquitur, præsertim quum de Venere ἀῤῥήτῳ agit, ea vero ne commemorare quidem malo. Puto autem satis esse manifestum, etiam quum circumloquitur quæ parum sunt honesta, ne honeste quidem, et cum honestarum aurium fastidio, id fieri. Vides ergo passim Veteris imaginem, etiam, de quo mox paulo post, dicacitate ac maledicentia. Quæ Athenis partim leges, partim metus, partim ipsa emendavit ratio, quum tamen sola risum felicissime moverent. Novæ autem rex princepsque Menander fuit: cujus expressa imago ac effigies Terentius. Quam quum uterque accepisset, Aristophanis virtutes hac mercede expressit Plautus, ut nec omnes posset, (quod et linguæ diversitas, et Romanorum leges, et tempora, ac Rerumpublicarum ratio vetabat, sublata jam maledicendi libertate, quæ præcipua, quod nemo nescit, τοῦ γελοίου pars est,) et quæcumque in Aristophane Plutarchus a communi consuetudine loquendi

abhorrere notat, retineret. Nam et κατὰ τὸν λεκτικὸν, ut Critici loquuntur, καὶ τὸν τῆς διανοίας τρόπον θυμελικὸς est, et theatralis, non πολιτικὸς, neque τῇ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἰδέᾳ διαπρέπει. Neque pauciora addidit, in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odiosus fit, quod non nostrum, sed Horatii judicium est, et Donati; quos utrosque emunctæ naris, utrosque Criticorum primos suo tempore fuisse, constat. Sed et in dicteriis, de quo jam dicebamus, ita Veterem Comœdiam amavit Plautus, ut ad eam sæpe flectat, et quod proprium in illa erat, ἐτεωνύμως, et expresso nomine, aut circumscribendo, non tam vitam hominum, quam hominem perstringat. Ut in illo:

> Etiam Epidicum, quam ego Fabulam æque ac me ipsum amo,
> Nullam æque invitus specto, si eam agit Pellio.

Sed et crudelissime infelicem Nævium Milite excepit:

> Nam os columnatum Poetæ inesse audivi barbaro,
> Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Videtur autem κώδιον Κρατίνου, et quæ reliqua in Veteri Comœdia occurrunt, ὅση κόνις. Nam ad Aristophanis τὸ εὔθικτον frustra sane adspiravit. Quis enim risu non emoritur, quum vinositatem Cratini excepit Irene?

> Ει. Τί δὲ Κρατῖνος ὁ σοφός ἐστιν; Τρ. Ἀπέθανεν,
> Ὅθ' οἱ Ἀχαιοὶ ἐνέβαλον. Ει. Τί παθών; Τρ. Ὅ, τι;
> Ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέον.

Id est:

> P. Sapiens autem Cratinus quid agit? Tr. Obiit,
> Quum Lacones huc irruerent. P. Quo morbo? Tr. Quo?
> Misere pallere cœpit (ferre enim hoc non potuit)
> Frangi quum videret vino plenum dolium.

Alter enim vitium Cratini ridet; alter Nævii miseriam. Ridiculum autem a miseria prudenter Aristoteles sejungit. Risus enim cum atroci alicujus malo aut calamitate si conjunctus sit, immanis fit ac barbarus. Illa autem plane extra Novæ legem Comœdiæ:

> Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium:
> Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Et quæ deinde sequuntur. Quod profecto est a pulpito ad plaustrum redire. Legat cætera qui volet. Sed hæc, ὡς ἐν προθεωρίας μέρει, obiter sint dicta. Nunc, ingenii exercendi causa ac judicii ad singula eamus, et utrumque paulo quam plerique accuratius inspiciamus. Primum in Comœdia Tragœdiaque, est dispositio. Neque dubitandum, quin, quum Aristoteles de dispositione disputat Tragœdiæ, etiam Comœdiæ ex iis convenire pleraque existimaverit, nisi quod ut Tragicus disponit, ita Comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis: alter ipse sibi dat quod disponendum est; nisi si ab alio desumat argumentum, certe apud Græcos. Nam Latini Fabulas Græcorum, dispositione aliquantulum plerumque immutata et personis, expresserunt. Ut quum e Menandri Eunucho suam paucis immutatis Terentius expressit. Ea ratione, ut Davus Parmeno, Chrysis Thais, Chærestratus hic esset Phædria. Plautus, in Tragico-Comico Amphitryone, more Tragicorum Fabulam accepit et disposuit: sed et nomina retinuit ex parte, quod non solet in Comœdia: ex parte, fecit. Unde raro invenisse argumentum Tragicus Poeta dicitur (quod aut e relatione aliorum aut e scriptis, ut plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant): contra autem Comici. Aristoteles, τὸ δὲ μύθους ποιεῖν, Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν. Ita eam vocem, non ut quidam, hic accipio. Μῦθος enim, ut ubique fere Aristoteli, non drama est, sed ea actio, e qua drama constituitur, ἡ πρᾶξις, ἡ τῆς πραγματείας σύστασις: quomodo

et accipit, quum dixit, μῦθος δ' ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ. Et ipse πολυμύθους eos vocat, qui vel varias, vel quæ tempore eodem, ab alio, non uno, et eodem gestæ sunt, conjungunt. Ideoque Fabulam eligere, et electam recte ac ordine disponere, ut prima virtus, ita primum maximumque opus est. In Amphitryone maneamus. Nam, ut argumentum hoc accepit, ita ipse ex animi sententia disposuit. Quare potuit, ut voluit, ligare Fabulam ac solvere. In ea igitur divina δέσις: mira enim ratione impeditur Fabula et intricatur actio. At transitio, quæ non est Tragica sed Comica (μετάβασιν vocavit Aristoteles), pars quæ opponitur τῇ δέσει (quam et λύσιν seu solutionem vocant), ex sententia succedere non potuit. Quare, impeditus et oblitus sui, ire cogitur ad Deum; hoc est, ἀπὸ μηχανῆς finire: quod est ultimum refugium Poetæ, quum τὴν δέσιν, hoc est, nodum, quem ligavit ipse, solvere non potest et rem parum provide tractavit. Nam cæteræ, quæ ibi adhibentur machinæ, ad scenæ et choragii ornatum, καὶ τὴν ὄψιν, ut Philosophus de iis loqui solet, referuntur: quale est brontium, et ceraunoscopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero, quæ a machina, lubentius in Tragico quam Comico excusat Aristoteles; quia argumento Tragicus astringitur, quod accipit. Quamquam ne huic quidem eam fecit gratiam, quum inquit: Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν: id est: Manifestum ergo est, etiam exitum Fabulæ, e Fabula ipsa peti debere, non a machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis quæ circa reditum Græcorum fiunt. Medeam autem, non Euripideam, sed alterius intelligit Poetæ. Idem et Horatius, e Pariano, credo, Neoptolemo, e quo pleraque præcepta sua in hoc scripto hausit, fugiendum monet:

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Ubi nodus est ἡ δέσις, quæ interdum ope humana solvi non potest. Qui quidem, nisi præter Poetæ voluntatem aut ex argumenti eveniat necessitate, non a Deo, quod cujusvis etiam imperitissimi est hominis, verum a Poeta solvi debet. Rursus, sicut pictor primo ambitum delineat, deinde singula absolvit, ita sapiens Poeta actionem suam circumscribit. Primum, ut sit tota, hoc est, ut principium, ut finem habeat, et medium; quæ in minimis quoque esse possunt. Minima autem sensum vix admittunt: magna nimium dispergunt. Sic formicam vix videmus: in conspectu elephanti visus vix colligitur. Quare Comœdiæ Tragœdiæque magnitudo, et periodus, ut cum Philosopho hoc dicam, e natura utriusque et ratione peti debent. Et, mutatione prima, hoc est, cum infelicitate ad felicitatem in Comœdia, contra autem in Tragœdia mutari potest actio: ita ut ex argumento nihil, quod ad rem spectet, præmitti sit necesse. Summus Aristoteli ambitus unius Solis est: potest esse aliquot horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiusque. Plautus vero novem menses uno dramate complexus est. Ut vix major ampliorque Homericæ Iliados, quam Amphitryonis sit periodus. Alcmena autem concipit et parit. Quod si fieret ubique, nullo episodio jam opus esset: ideoque nec ars esset, scribere Comœdiam. Præterquam quod sit monstri instar, et cum ratione ac natura pugnet, ut quæ simul et concipiat et pariat. Qualia nonnulla in scriptore hoc summus Criticorum Cæsar Scaliger notavit. Atque hæc vitaverant Poetæ Græci, quorum scripta hic tantopere commendat Flaccus: Technici Græcorum, quomodo vitanda essent ac cavenda, sæpe inculcarunt suis. Plautus susque deque habuit, ut in Captivis. Quam incuriam Poeta quum videret, continere se non potuit, quin exclamaret:

Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna :

contra negligentiam suorum et incuriam gravissime taxaret. Quidni enim, qui hoc tum agebat, quod ante eum Aristoteles? qui ubique Euripidem et alios in illis reprehendit : de Comicis quæ scripsit, hodie non exstant. Porro simul ac Poeta Actionem habet, locum quoque ut actioni det necesse est, quia sine loco fieri nil potest. Hic autem locus σκηνὴ δράματος a Criticis vocatur, cujus finem transilire nefas. Nemo enim tempore eodem, quod a Plauto recte dicitur, alibi atque alibi versari potest : nisi aliquid monstrosum fiat in Comœdia. Idem tamen, quum Curculionis scenam Epidauri posuisset, Romam transit in eadem, et in Romanorum mores, scenæ suæ jam oblitus, libere invehitur : et quidem, ut antiqui Comici, tributim, ita ut et singula describat loca, Act. IV, scena « Ædepol. » Jam τὰ ἄλογα in Fabulis quam multa? ita voco, quæ nihil verisimile habent. Tale est, Sosiclem Menæchmum, qui veniret e Sicilia, surreptum item qui in Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita simili fuisse, ut dignosci a spectatoribus non possent; quum nil simile haberent istæ gentes. Quod vitium ne a chorago quidem emendari potest. Nam Mercurius Amphitryone et Jupiter Dii sunt : quibus omnia concedi, etiam hic, solent. Quare incurrere τὸ ἄλογον non possunt. Ubi enim Dii agunt, cessat ratio. Quidvis enim posse eos, nemo est qui non intelligat. In Terentio, cui soli artem Flaccus noster assignavit, nihil tale. Omnia cum judicio, cum ratione, circumspecte, ex arte, et cum cura. Nam et Fabulæ insignem fere cum agnitione mutationem habent : quas, inter τὰς μὴ ἁπλᾶς sive πεπλεγμένας, esse perfectissimas necesse est. Qualis et in reliqua ubique Dispositione est. Quod ad Dictionem autem, quis negabit, quædam esse in Plauto, quæ nec locum extra scenam, neque usum nisi inter histriones habent? unde solo et exiguo

theatri ambitu circumscribuntur. Nam et ἀγωνιστικὸν in foro, neque minus γραφικὸν, sive usitatum in scribendo characterem, longe excedunt: quo ubique Nova, et jam emendata, respicit Comœdia. Quare Varro, quum sermonis laudem illi tribuit, idem quod ubique in scriptis, quanti faceret antiquitatem, profitetur: ut qui τὰ ἀπηρχαιωμένα, quæ in Plauto partim ævum quo hæc scripsit, partim quæ plerisque placet, ipsa desita excusat antiquitas, commendat. Unde et ipse qui sic judicavit, ut nimium antiquitatis in scribendo studiosus, neque satis ævi sui memor, Varro ab antiquis Criticis notatur. Qui quum sentiant sic, judicentque, nobis, qui ab illis merito pendemus, equidem tacendum reor. Auctor de Causis Eloquentiæ Corruptæ: « Neminem nominabo; genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidii Bassi aut Servilii Noviani ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet. » Quod ex vocibus antiquis patet, quas ex libris ejus Critici legerunt, quum non pauca alia ex scriptis ejus peti possint. Ideoque Cicero, qui de ætatis suæ et sermone et venustate maxima cum cura judicabat, laudem hanc Terentio cessisse merito pronuntiat. Sic enim ad Atticum: Secutus sum, non dico Cæcilium; « Mane ut ex portu in Piræum: » malus enim Latinitatis auctor est: sed Terentium, cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis, putabantur a Lælio scribi:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræum.

Et Servius proprietate cæteris præpositum hunc notat. Idem de sententiis, quas διανοίας vocant, judicari potest. Omnes enim fere Plauti et θυμελικαὶ sunt, et ab usu alienæ, quales passim habet. Imprimis quum philosophatur καὶ γνωμοτυποῖ. Ut ecce:

Insanum est malum, in hospitium divorti ad Cupidinem.

Vere scenicum et illud:

Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.

Et quis illud extra scenam usurpare ausit?

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin sint inepti, qui hæc et alia id genus ad serium dicendi genus transferunt. Consequuntur enim, quod non vident, ut inviti risum moveant; quod non pauci hodie in scriptis maximo molimine a Lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Aristoteles, in oratione, uniuscujusque institutum indicat et voluntatem. Quod in singulis repræsentare, nisi viri aut prudentis aut Philosophi, nullius est. Nam quemadmodum e singulis experientia, ita nemo singulorum mores sine hac exprimit. Quare omnium accuratissime et optime, quid sit facere ut sit ἠθικὴ oratio, Philosophus ostendit. Quod vel solum tanti est, ut nihil minus nonnulli, qui ad Rhetoricarum suarum leges magnorum quoque et sublimium ingeniorum orationes exigere audent, hac in parte videant: in qua, ad ipsius quoque antiquitatis stuporem, Afer iste regnat. Recte ergo Varro: «In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesi Terentius.» Significat enim, Cæcilium εὑρετικὸν, aut potius εὐοικονόμητον fuisse: quemadmodum ἀνοικονόμητος nonnunquam præ reliquis videtur Plautus, cui sermonis idem assignavit laudem. Quod, si quidquam sapimus, Terentium est Plauto præferre. Ut quum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque causa fuit alia, quare, quod observant Veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibusdam prætulerit

Terentium, exempli causa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, quum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, quum Tragœdiæ, Comœdiæ, ac Satiræ effingat formas, quid de nostro judicet, diserte expressit. Ubertatem enim tribuit Tragœdiæ, quam dat Pacuvio: gracilitatem Satiræ, quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero Comœdiæ, quam dat Terentio. Ut si quis uberrimo sermonis genere heroicum definiat Poetam; et hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius, lib. VII, cap. 13: « Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. » Quæ est de Comœdiæ, quemadmodum in scholis loquimur, essentia: quum Plautus sæpe Tragico, nonnunquam quoque serio, utatur. Quamquam ibi sane sermo, ut priore loco a Varrone accipitur. Sermo enim et τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentissimus, et fœmina quæ pure loquitur; qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, et humanam optime delineare vitam, summus atque extremus viri atque auctoris maximi conatus est. Recte Grammatici ad Sophoclem: Ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος: « Est autem illud maximum in Poetice, exprimere ethos. » Debebat addidisse, in Dramatica præsertim. Et Horatius tam multis vitam Tragœdiæ τὸ ἦθος esse docuit. Aristoteles vero, etiam in Tragœdia, post Actionem (quam Fabulam plerumque vocat), quæ essentiæ pars prima, partem essentiæ secundam constituit τὸ ἦθος. Mirum est autem, locum Varronis a nemine intellectum. Qui quum palmam in argumentis Cæcilio concedit, principem Comœdiæ haud dubio Cæcilium constituit. Quare? Pars Tragœdiæ præcipua est Argumentum. Aristoteles modo μῦθον, modo τῶν πραγμάτων σύνθεσιν, vocare solet. Qui et multis probat, eum, qui hac parte excellit, etiamsi cæteris destituatur, Dramaticum poetam dici posse. Pars se-

cunda est τὸ ἦθος, quod quum Terentio assignat Varro, locum illi proximum concedit. Quod non potest ignorare, qui antiquos Criticos, imprimis autem Aristotelem, cum cura legit ac intelligit. Sermonis enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum abest ut cum reliquis conferri possit, ut postremo loco, et post τὴν διάνοιαν, ponatur. Quare ex sententia Varronis, qui hic Aristotelem expressit, primus est Cæcilius, secundus est Terentius: quos deinde Plautus sequitur. Quod debebat cogitasse Siren ævi nostri Justus Lipsius: qui profecto locum summi Romanorum Critici non penetravit. Τὸ ἦθος autem Plauto Horatius abjudicat, quum inquit:

Aspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi.

Et videtur Charinum habuisse in animo, qui Mercatore τὸ μανικὸν καὶ τὸ ἐρωτικὸν confundit ἦθος, hoc est, ita amat, ut Menæchmus furit. Furere autem præ amore, Comœdiæ non ἦθος, sed Tragœdiæ est πάθος: ut ex Phædria aliisque patet. Quare? quia πάθος aliquod immane exspectatur. Quod Tragœdiam constituit, ut μετάβασις conveniat furenti. Sed hæc triviales non intelligunt: qui summum virum Aristotelem tam facile contemnunt, quam nos et judicia illorum et magistros merito contemnimus, quibus persuasum est, omnem veram eruditionem ex hoc uno fonte limpidissimo petendam. Charinus autem Plauti ad frigiditatem usque calet, quam non potuit vitare. Qualia sunt ista, Scena «Divum atque hominum:»

Jam Cyprum veni, etc.

Item,

Porro proficiscor quæsitum. Nunc perveni Chalcidem.
Video ibi hospitem Zacyntho. Dico quid eo advenerim:

Rogito quis eam vexerit, quis habeat si ibi inaudiverit.
Hospes respondit, Zacyntho ficus fieri non malas.

Vides hominem tam tristem, ut festivus esse quærat. At divinus hac in parte, duos amatores in Eunucho, suo more, Phædriam et Chæream, divinitus utrumque ἠθοποιεῖ. Quare quum Poetæ omnes, quorum imitatione constat institutum ac consilium, pictorum instar, teste Criticorum rege ac principe, aut similes, aut (quod non raro evenit, vel imperite καὶ ἐξ ἀσθενείας, vel captandi risus causa) nunc pejores quam sunt exprimant, nunc meliores; servos pejores Plautus, ut plurimum; Terentius hos semper similes, non meliores; meretrices vero partim similes, partim meliores aliquando introducit; similes, ut Thaidem; meliores, ut Bacchidem. Parasitos semper deteriores et voraciores Plautus, nunquam meliores. Ut et Dossennus, qui hos solos propemodum curabat, in personis reliquis ἐκπίπτων. Phormio Terentianus plane est admirandus: ut et Gnatho. Plautini, quia risum quærunt, veritatem et sermone et sententiis amittunt. Tres virtutes enim sermo, quem non sine causa ἠθικὸν dixerunt Græci, nos Moratum dicimus, Æquitatem nempe, Veritatem, et Simplicitatem, postulat: quæ τὸ ἐνδιάθετον, hoc est, id quod unicuique est insitum, ob oculos proponit. Quum ridiculum, ut violentum, quia a natura alienum, quod recte de eo Aristoteles pronuntiat, corruptum sit, et a corruptis causis, quod jam dixi moveatur. Moratum, quia simile est naturæ, leniter delectat: quod ætatum singularum, hominum, ac nationum, totiusque vitæ, simulacrum quoddam ac imaginem, in scena repræsentat. Plane ut pictura quæ a vero abit, et vel cubitalem nasum, vel distortum os facete repræsentat, risum movet: similis delectat. Atque hoc est quod omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expressit. Ut Hermogenes: Παρά τε αὐτῷ Μενάν-

δρῳ ἂν μυρία εὕροις τοιαῦτα καὶ γυναῖκας λεγούσας, καὶ νεανίσκους ἐρῶντας, καὶ μαγείρους, καὶ παρθένους θρυπτομένας, καί τινας ἄλλους· ὅλως τε διὰ τὸ ὑποπίπτειν τῷ ἠθικῷ λόγῳ καὶ τῶν ὁμοίων, ταυτά γε πάντα, ἢ τάγε πλεῖστα αὐτῶν, ὑποκεῖσθαι τῇ ἀφελείᾳ δεῖ. Quemadmodum Hieronymus Menandrum et Terentium cum maximo judicio conjungit. Ad Paulinum enim : « Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. » Audi orationem patris irati. Heaut. Act. v. Scena 4.

Non, si ex capite sis meo
Natus, itidem ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

et quæ sequuntur. Audi mitis viri potius quam boni :

Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi.
Is meus est factus. Si quid peccat, Demea,
Mihi peccat : ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? potat? olet unguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum :
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur. Discidit
Vestem? resarcietur. Est, Dîs gratia,
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.

Et divina illa :

Credo hercle : nam ingenium novi tuum
Liberale. Sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem arbitrare te vivere?

Et quæ sine motu animi et suavissima voluptate legi non possunt Hecyra :

Odiosa hæc est ætas adolescentulis :
E medio æquum excedere est. Postremo jam nos fabula
Sumus, Pamphile, senex atque anus.

et cætera: pluscula sunt enim. Quis, quum illa in Phormione legit, non uxorem honestam adulteri agnoscit?

An quidquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.
Hæccine erant itiones crebræ et mansiones diutinæ
Lemni? hæccine erat quæ nostros fructus minuebat calamitas?
Quid? ego æquo animo cupio misera in hac re defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas jam magis expetenda est, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem exspectem, aut sperem, porro non fore?

Et, quandoquidem simplicitas, maxima moratæ orationis virtus, si intendatur, suavitatem parit; nemo sine incredibili ac summa voluptate illud Bacchidis leget:

Recte amasti, Pamphile,
Uxorem tuam: nam nunquam ante hanc diem meis oculis
Eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa est.

Ideoque Fabulæ Terentianæ doctiorem histrionem, quam reliquorum, desiderabant. Semper enim, quæ morata est oratio, τῇ ὑποκρίσει fulcienda. Nam quæ moribus affectibusque destituitur, teste Philosopho, est ἀνυπόκριτος. Neque ulla fere apud eum syllaba exstat, quæ non animi aut affectus alicujus sit index. Jam ut ad lepores, sales, gratias, et venustates veniamus; certum est, fere omnes eas tolli a ridiculo, non secus quam in vita ab excessu morum virtus, ab excessu apparatus in scena tollitur voluptas. Quare Menandro ac Terentio lepores tribuunt antiqui, sales Plauto Horatius concedit: quos nonnunquam inurbanos esse notat. Audi Paterculum: « Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque, et

Afranium sub pari ætate floruerunt.» Græci χάριτας et χαριεντισμοὺς vocant. Remissiores sunt enim, quam ut risum violenter moveant : circumspectiores, quam ut frigeant. Absurdum enim sæpe causa est risus, aut inusitatum. Contra autem sermo, qui et usitatus et moratus, quique leniter decorum servat, sicut eo ipso fit venustus et delectat; ita quidam eminere joci possunt. Qui quidem in hoc Afro, (nisi Lælio eos potius ac Scipioni tribuendos putes) et Menandro, si judicium Horatii et antiquorum sequimur, ex eodem sale, e quo nata Venus est, deprompti videntur. Ecce statim Andria, Act. v, Sc. 4 :

> Davo istuc dedam jam negoti. S. Non potest.
> P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus.
> Quidnam? S. Vinctus est.
> P. Pater, non recte vinctus est. S. Haud ita jussi.

Jam Gnathonem vide : qui quum putidos Thrasonis mores Phædriæ ac Chæreæ exposuisset, contra autem illi persuasisset, et jam gratias ineptus homo ac ridiculus haberet:

> Bene fecisti : gratiam habeo maximam.
> Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

respondet ad utrumque conversus :

> Dixin' ego in hoc inesse vobis Atticam elegantiam?

Certe tota Scena tertia tertii Actus in Adelphis, in qua luditur a Syro Demea, divina est. Qualia enim illa?

> Mihi quidem non placent,
> Et clamo sæpe : salsamenta hæc, Stephanio,
> Fac macerentur pulchre.

Plane enim præter exspectationem omnia. Jam quum Ve-

tus Comœdia nihil æque ac παρῳδίαν amet, quæ plerumque et acerba est, et extra Scenam quæritur, urbanissimus virorum rationem; qua ex actione ipsa, parodiam, lepidam sane et venustam, peteret, invenit. Nam, quum Demea dixisset,

> Fit sedulo,
> Nihil prætermitto, consuefacio: denique,
> Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
> Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi.
> Hoc facito.

et quæ sequuntur: respondet Syrus:

> Conservis ad eumdem istunc præcipio modum:
> Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st, hoc lautum 'st parum.
> Illud recte: iterum, sic memento. Sedulo
> Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.
> Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
> Inspicere jubeo: et moneo, quid facto usus sit.

Ita sane et Plato, et Xenophon, omnesque Socratici jocantur. Nunquam frigide, nunquam obscœne, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plautina quædam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Aristophanis Thesmophoriazusis de Euripidis matre adducit.

> Ἄγρια γὰρ ἡμᾶς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακὰ,
> Ἅτ' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.

Cui illud, quamvis non in simili omnino genere, adjungas licet:

> Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala:
> Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores θυμελικὸν, sive theatrale, vocarent. Ridiculum

enim potius quam festivum est: et, ut sit festivum, nemo, vere in his subactus, dixerit venustum esse: ab usu enim quam longissime remotum est. Jam vero, quum in verbis frigidum aut in rebus; de verbis Aristoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiæ vicinum illud vitium (quamquam illud quoque habere hic locum potest) quod discedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut nonnihil a dicendi hic magistris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida translatione. Ut quum dentes calceati dicuntur. Capt.

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et quum virtus, « senteis esitare, » et « scruposam viam commeare » dicitur: quæ sane frigent. Vel in minimis alusiunculis et longe petitis. Ut Pœnulo:

Mi. Assum apud te eccum. Ag. At ego elixus sis volo.

Et quod illi placuit non semel:

Magis calleo quam aprugnum callum callet.

Item,

Callum aprugnum æque callere non sinam.

Et,

Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Et Curcul.

Facite ventum ut gaudeam.
Ph. Maxime. Cu. Quid facitis? quæso. Ph. Ventum. Cu. Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. Ph. Quid igitur vis? Cu. Esse, ut ventum gaudeam.

Quas quum Grammatici Latini, qui citius cælum digito,

ut ita loquar, expugnassent, quam ut minimam Horatii Oden expressissent, Morologias in Plauto dixerint; nondum video, quare Horatio, ut summo maximoque Poetæ, ita Critico incomparabili, quem acutum doctumque Virum ipse D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non licuerit. Ejus sane generis sunt, quæ in Aristophane accusat, quæque trivialia potius, quam ut Viris eruditis, etiam in scena placere aut debeant, aut possint, accuratus censor Plutarchus judicavit. Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαίδευτος καὶ ἰδιώτης, οἷς ἐκεῖνος λέγει, ἁλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχεραναῖ. Λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα, καὶ ὁμοιόπτωτα, καὶ παρονομασίας. Τούτοις γὰρ ὁ μὲν μετὰ τοῦ προσήκοντος λόγου καὶ ὀλιγάκις χρῆται, ἐπιμελείας αὐτὰ ἀξιῶν· ὁ δὲ πολλάκις, καὶ οὐκ εὐκαίρως, καὶ ψυχρῶς. Et adducit exemplum: ut quum τοὺς ταμίας, λαμίας vocat. Nam, quæ ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri possunt; in quo nihil putidum est, aut ineptum. Quamquam multa, quæ notavit, potius Antiqui Comici virtutes, quam illius, de quo ibi judicavit, vitia censenda sunt. Princeps enim inter illos fuit, et ad leges eas plane se composuit: quod de Plauto nemo dicet. Est et frigidum, quod longe ab eo abest, quod aut esse, aut posse fieri putatur. Quale est, «pugno frangere elephanto brachium,» «horiola in cælum pervenire.» Est et frigidum, quum ita a familiari sermone oratio recedit, ut ad usum amplius transferri nequeat. Tale est illud ibidem:

> Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,
> Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.

Crescit tamen frigidum, quum addit alter;

> Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.

Quæ si pedem unum extra scenam feras, protinus putiscent: neque ad usum applicari poterunt. Qualia nec Scipio,

nec Lælius, flos nobilitatis, vel in scena, approbassent. Plutarchus certe, extra liberalium Theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inepti sunt, qui plebeiis tantum scribi Comœdiam existimant; quum non minus eruditis scribatur. Quod et Flaccus scivit; qui non sine causa:

> Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
> Sudoris minimum; sed habet Comœdia tanto
> Plus oneris, quanto veniæ minus.

Deinde autem Plauti et Dossenni utitur exemplo, quos securos de judiciis doctorum ait. Et hæc ad divinum, ut jam dixi, ac subactum in his Principem, cujus nec judicium nec cæterorum ignorare ea tempestate potuit. Et, cujus judicium vereri debuisset, nisi idem aliorum fuisset. Jam illa Epicharmi imitatio, ut festivissima, ita, si sit frequens, frigore non caret. Quæ fit, quum vel falsa opponuntur, aut subjectum idem est cum prædicato. Ut quum Epicharmus dixit:

> Τότα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼ ἦν, τότα δὲ παρὰ τήνοις.
> Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.

Bis enim idem dicit; quæ est fraus in verbis præter expectationem. Idem autem est cum prædicato subjectum: ut in illis Curcul. Act. v, Scena 4.

> Quoi homini dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.

Sticho:

> E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Captivis:

> Hos quos videtis stare captivos duos,
> Hi stant, non sedent.

Quæ jam docti collegerunt. Unde et istam summi Critici censuram meruit:

> Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi
> Dicitur.

Quamquam sane alibi non invenuste iis usus est. Quæ Menander tamen, et imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanquam cum periculo conjuncta, serio fugerunt. Hæc pro viro maximo Horatio; neque adversus Plautum dicta sunt, quem amamus, suspicimus, diligimus, ac veneramur; verum, ut judicium sic acuamus; simul ut acuti isti, quod videntur sibi, ita facetissimum scriptorem ament, legant, tractent, atque ediscant (quod et recte et ordine ab iis fieri fatemur: neque enim satis commendari potest) ut nec plane et ubique Veteribus probasse se meminerint: et, quod hic præcipue spectamus, de Horatio ejusque crisi minus libere loquantur: Terentii autem miram ac prope ineffabilem amœnitatem, elegantiam, judicium, ac venustatem, intelligere paulatim discant. Cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque videt. Ne cum illo simul et Afranium, antiquum Comicum, condemnent, cujus verissimum atque absolutum exstat judicium:

> Terentio non similem dices quempiam.

Nobis Eruditi ignoscent, quod hæc fusius, si cogitent præsertim, munus veri Critici esse ac Censoris, non litterulam ejicere alibi, aut innocentem syllabam damnare, vocem tollere alibi, aùt emendare, sed sincere de auctoribus ac rebus judicare: quod et solidæ et absolutæ eruditionis est. Quo, ni fallor, omnes adspiramus. Neque ulla in re magis antiquitas præivit nobis. De Auctoribus autem Comicis, uter melius judicare potuerit; isne qui ætate illa vixit, qua ad summum culmen poesis pervenit, qui Poeta

summus, summus Criticus, familiariter cum Cæsare Augusto ac Mæcenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant? ipsi viderint.

PETITUS

DE ORDINE COMOEDIARUM

PUB. TERENTII.

Omnia non sunt plana atque liquida. Primam omnium ANDRIAM esse, liquet ex Donato, Præfatione in Andriam: « Hæc prima acta est Ludis Megalensibus, » etc. Suetonius Tranquillus in Vita Terentii: « Scripsit Comœdias sex, ex quibus primam Andriam quum Ædilibus daret, etc. » Quod et testantur hi versus in Andriæ Prologo:

> Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
> Ut pernoscatis, et quid spei sit reliquum:
> Posthac quas faciet de integro Comœdias,
> Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

Editam testantur quum Didascaliæ, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpicio Coss. hoc est, anno ab Urbe Condita 588.

HECYRA, semel atque iterum exacta, tertio stetit; unde factum, ut, quo loco edita primum sit a Terentio, non ex vero proditum sit a Donato, Præfatione in hanc Comœdiam: « Factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio et T. Manlio Coss. » Atqui, si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio Coss. non igitur quinto loco: nam Cn. Octavius et T. Manlius consules fuerunt anno ab Urbe Condita 589. Ergo facta est post Andriam, quam edidit

Terentius anno proxime præcedenti; proinde Hecyra secunda est, ordine Fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit HEAUTONTIMORUMENOS, ut constat ex Didascaliis, quæ in fronte illius leguntur, in hæc verba: «Acta tertia M. Juventio et M. Sempronio Coss.» Qui consules fuerunt anno ab U. C. 591.

Sequitur quarta PHORMIO, de qua Didascaliæ: «Facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss.» Quod etiam testatur Donatus, Præfatione in hanc Fabulam: «Edita est quarto loco M. Valerio et C. Fannio Coss.»

Post Phormionem quinta est edita EUNUCHUS, iisdem Coss. iisdem Ædilibus; habes id ex Didascaliis, et Donati Præfatione in hanc Fabulam: anno nimirum ab U. C. 593.

Bis eodem die producta in scenam, tertium denique acta: pretium octo millibus sestertium numeratum est Poetæ.

ADELPHI sexta est Comœdia a Terentio facta, eaque edita est Lucio Anicio, M. Cornelio Coss. hoc est, anno ab U. C. 594. Ludis funebribus L. Æmilii Pauli, ut habes in Didascaliis. Iisdem Ludis funebribus relata Hecyra, sed non placuit, ut est in Didascaliis. Prius tamen in scenam producta est Hecyra, quam Adelphi, ut colligo ex Donato, qui dicit: «Factam et editam quinto loco.» Male, ut audivimus; nisi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. quasi omnino edita non esset, quum neque spectata, neque acta tunc sit; neque tum male dices «quinto loco,» quum producta est his ludis funebribus Æmilii Pauli ante Adelphos. Quare audiendus non est Donatus, qui eam «secundo loco actam dicit, etiam tum rudi nomine Poetæ; itaque sic pronuntiatum Adelphi Terentii, non Terentii Adelphi. Quod adhuc de Fabulæ magis nomine Poeta, quam de Poetæ nomine Fabula commendaretur.» Quæ futilis argumentatio est: nam nulla Fabularum Terentii pronuntiata est TEREN-

TII, exempli gratia, PHORMIO, HEAUTONTIMORUMENOS, antequam tertium edoceretur Eunuchus. Idque observat Donatus Præfatione in Eunuchum, tertium editam fuisse post Adelphorum editionem.

LOCA MENANDRI ET APOLLODORI,

QUÆ TERENTIUS LATINE EST INTERPRETATUS.

SCHREVELIUS LECTORI.

Subjecit editioni Terentianæ a se recensitæ Nobil. ac celeberrimus Dan. Heinsius loca aliquot Menandri, quæ Terentius Latine est imitatus, ex collectione Andreæ Scotti : nos iis alia ex eodem Menandro adjunximus, atque insuper ex Apollodoro, quod illos duos proprie imitatus fuerit atque expresserit Poeta, quod ex Comœdiarum ejus ἐπιγραφαῖς est manifestum. Ea autem nobis suppeditarunt, partim excerpta Grotiana ex Tragœdiis et Comœdiis Græcis, partim quædam Terentii editio a Martino Heinneccio procurata, partim Doctiorum in Terentium Commentaria.

ANDRIA. ACT. I. SC. I (vs. 37).

« Feci ex servo ut esses libertus mihi. » Versus Menandri legitur etiam in Elenchis :

Ἐγώ σε δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον.

Ego te, quum servus esses, liberum feci.

(Vs. 164.) « Mala mens, malus animus. » Videtur Terentius allusisse ad illud Menandri :

Γνώμης γὰρ ἐσθλῆς, ἔργα χρηστὰ γίγνεται.

Bonæ mentis, bona sunt opera.

ACT. I. SC. III (vs. 204).

« Nihil me fallis. » Menandri apud Donatum :
Νῦν δὲ οὐδὲν λέληθάς με.
Neque tu nunc me lates.

ACT. II. SC. III (vs. 370).

« Olera et pisciculos. » Menandri verba e Perinthia huc pertinentia, quæ ab Athenæo libr. VII, Deipnosophist. referuntur :
Τὸ παιδίον δ' εἰσῆλθεν ἐψητοὺς φέρον.
Intravit puer minutos pisciculos ferens.

ACT. III. SC. III (vs. 484).

« Nunc primum fac istæc lavet. » Menander :
Λούσατε αὐτὴν τάχιστα.
Lavate illam actutum.

ACT. III. SC. VI (vs. 556).

« Amantium iræ. » Expressit Terentius illud Menandri, et explicat Victorius Var. Lect. l. IV, c. XIV.
Ὀργὴ φιλούντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.
Amantium iræ exiguo durant tempore.

ACT. IV. SC. VI (vs. 756).

« Mirum vero, impudenter mulier si facit Meretrix. » Menander :
Οὐδέποθ' ἑταίρα τοῦ καλοῦ πεφρόντικε.
Meretrix pudorem pensi nunquam habet.

ACT. IV. SC. VIII (vs. 920).

« Sycophanta. » Menander Γεωργῷ:
Καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον
Ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ.

Cui vestis squalida, sycophanta dicitur
Statim, quamvis patiatur ipse injuriam.

(Ibid.) « Sic est hic. » Menander:

Οὗτος αὐτός ἐστιν.

EUNUCH. Prologo (vs. 6).

« Responsum non dictum esse, quia læsit prior. » Hic versus congruit senario, ex Menandri Olynthia:

Ὡς οὐχ' ὑπάρχων, ἀλλὰ τιμωρούμενος.
Ut qui non prior incipiam, sed me vindicem.

ACT. I. SC. 1 (vs. 79).

« Sed ecca ipsa egreditur. » Menander in Prologo Fabulæ, Thais inscriptæ, elegantissimis verbis ejus ἦθος expressit, quos Plutarchus in Commentario de Audiendis Poetis refert hoc modo:

Ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, Θεὰ,
Θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ, καὶ πιθανὴν ἅμα,
Ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνὰ,
Μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί.
Nunc illam talem cane, Dea,
Ferocem, sed pulchellam, et illecebriloquam;
Injustificam, clusiforem, poscinummiam,
Et neminamantem, semper simulantem tamen.

ACT. II. SC. III (vs. 253).

« Is quæstus. » Menander:

Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων.
Cum adulatore agitur nunc omnium optime.

(Vs. 278). « Ne sursum. » Menandro est, στρέφεσθαι ἄνω κάτω. Sic enim:

Ὤιμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους, ὦ Φανία,
Οἷς μὴ τὸ δανείζεσθαι πρόσεστιν, οὐ στένειν
Τὰς νύκτας, οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω,

Οἴμοι, λέγειν. . . .
Putabam ego, divites, o Phania!
Quibus nulla fœnore accipiendi necessitas incumbit, neque gemere
Noctu, neque sursum deorsum versando sese
Ejulare. . . .

Versus hi ita recte leguntur in Plutarchi libellis, non modo impressis, verum etiam Ms. duobus Περὶ Εὐθυμίας. Nam apud Stobæum cap. 95, mendose est, στρεφομένους ἂν νύκτα.

ACT. II. SC. IV (vs. 331).

«Liquet mî dejerare.» Menander:
Ὅρκον δὲ φεῦγε, κἂν δικαίως ὀμνύῃς.
Jusjurandum devitato, etiam quum juste jurare poteris.

ACT. III. SC. I (vs. 421).

«Nunquam tibi dixi.» Menander:
Ἔχω δ' ἐπίκληρον Λαμίαν· οὐκ εἴρηκά σοι;
Est mihi Lamia, quæ nullos coheredes habet. Nonne dixi tibi?

ACT. III. SC. II (vs. 476).

«Tacent; satis laudant.» Menander:
Κἂν ὅλως μηθὲν λαλῇ,
Διὰ τοῦ σιωπᾶν, πλεῖστα περὶ αὑτῆς λέγει.
Eo ipso, dum plane nil loquitur, tacendo quamplurima de se ipsa dicit.

ACT. IV. SC. IV (vs. 688).

«Hic est vietus, vetus, veternosus senex, Colore mustellino.» Voluit exprimere locum Menandri:
Οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων.
Hic est mustella senex.

ACT. IV. SC. VII (vs. 760).

« Sed tu quod cavere possis. » Translata a Menandro sententia, cujus hi citantur a Stobæo senarii :

Εὐήθειά μοι φαίνεται δηλουμένη,
Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ' ἃ δεῖ.
Manifesta mihi videtur hæc esse fatuitas,
Assequi, quid fieri oporteat, neque facere tamen.

ACT. V. SC. X (vs. 1056).

« Quodvis donum, præmium. » Menander :

Εὖξαι τί βούλει, πάντα σοι γενήσεται.
Elige quod optes, optata feres omnia.

HEAUTONTIMOR. ACT. I. SC. II (vs. 204).

« Illum insimulant durum. » Menander :

Σκληρὸν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν.
Quod in increpando erga filium sit sævus.

(Vs. 210). « Periculum ex aliis. » Huc pertinet illud Menandri :

Βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.
Mala intuens aliorum, doctus ego fui.

ACT. II. SC. I (vs. 233).

« Occasio, locus, » etc. Menander :

Μικρὰ πρόφασίς ἐστι τοῦ πράξαι κακῶς.
Ad prave agendum, parva satis occasio est.

ACT. II. SC. II (vs. 285).

« Texentem telam studiose » etc. Menander apud P. Victor. lib. IX, cap. 15. Var. Lect.

Ἐξ ἱσταρίου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.
Animum a tela suspensum omnino studiose occupabat.

(Vs. 293). « Una ancillula Erat, » etc. Menander apud Politianum :

.....Καὶ θεραπαινὶς ἦν μία·
Αὐτῇ συνύφαινε ῥυπαρῶς διακειμένη.
Et una ancillula erat;
Hæc, sordidi animi plena, texturam una faciebat.

(Vs. 314.) « Facinus magnum et commemorabile. » Menander :

Μέγα καὶ περιβόητον ἔργον.

(Vs. 342.) « In aurem utramvis otiose ut dormias. » Menand. Plautio :

.....Ἐπ' ἀμφότερον ὡς, ἵν' ἐπίκληρος ᾖ,
Μέλλει καθευδήσειν.
In aurem utramque, quandoquidem dotata est, cubet.

(Vs. 359.) « In eum res rediit jam locum, ut sit necessum. » Menander :

.....Τρία γάρ ἐστι, δέσποτα,
Δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται· ἢ κατὰ τοῦς νόμους,
Ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἦγε τρίτον ἔθει τινί.
Ad res gerendas his tribus compellimur,
Necessitate, lege, consuetudine.

ACT. II. SC. III (vs. 382).

« Formæ mores consimiles forent. » Menander apud Stobæum :

Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμῇ τρόπος
Χρηστὸς, διπλασίως προσιὸν ἁλίσκεται.
Quando mores probi naturali formæ ornatum afferunt, duplex illa deprehenditur.

ACT. III. SC. I (vs. 419).

« Nos quoque senes est æquum senibus obsequi. » Menander :

Γέρων γέροντι γλῶσσαν ἡδίστην ἔχει·
Παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή·
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξία
Ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.
Seni senilis lingua jucundissima :

Puerque puero, et apta mulieri mulier :
Et æger ægro : pressus infortunio
Lenimen est homini malis exercito.

(Vs. 504). « Aliena melius ut videant. » In hanc sententiam Menander :

Οὐθεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
Σαφῶς · ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Aperte sua mala nemo videt, o Pamphile,
Sed alterius peccatum conspicabitur.

ACT. IV. Sc. II (vs. 675).

« Nil tam difficile 'st, quin quærendo. » Menander apud Stobæum Λόγῳ κ'.

Ἁλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ
Ἅπαντα.
Omnia queunt laboribus et industria comprehendi.

ACT. IV. Sc. V (vs. 796).

« Jus summum, sæpe summa malitia. » Menander apud Stobæum Sermone μϚ'.

. . . . . Ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους
Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.
. . . . . Qui leges intuetur optimas
Nimis accurate, ille sycophanta prorsus est.

ACT. V. Sc. I (vs. 893).

« Argentum ut dares. » Expressit hunc Menandri versiculum :

Λουτρὸν, θεραπαινίδας, καὶ ἀργυρώματα.
Balneas, ancillas, et pecunias.

ACT. V. Sc. III (vs. 983).

« Modo liceat vivere, est spes. » Apollodorus :

. . . Οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς
Πράσσοντα, τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἀεί.
In miseriis nullis labascere convenit,
Meliora sed sperare semper affore.

ACT. V. SC. VI (vs. 1055).

«Quid istic? Video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.» Menander :

Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν,
Τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ' ἔργοις πατήρ.
Valde in monendo si quis asper filio,
Verbis acerbus est quidem, sed re pater.

Sic idem Menander :

Πρὸς υἱὸν ὀργὴν οὐκ ἔχει χρηστὸς πατήρ.
Boni parentis ira nulla in filium.

Ibid. (vs. 1062, 1063.) «Rufamne illam virginem, cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.» Menander :

Δύ' ἔσθ' ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ,
Ἤτοι προσηνῆ ὄψιν, ἢ χρηστὸν τρόπον.
Τὴν ὁμόνοιαν γὰρ τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ.
In nuptiis spectare res decet duas,
Amabilem aut speciem oris, aut mores probos.
Concordiam nam continent hæc mutuam.

Formam cum probis moribus conjungit hoc versiculo idem Menander :

Ὡς ἡδὺ τὸ κάλλος, ὅταν ἔχῃ νοῦν σώφρονα!
Quam grata forma est, cui comes modesta mens!

ADELPHIS. ACT. I. SC. I (vs. 43 sq.).

«Et, quod fortunatum isti putant, Uxorem nunquam habui.» Menand.

Ὦ μακάριόν με! . . . γυναῖκ' οὐ λαμβάνω.
O me beatum, qui uxorem habere nolo!

ACT. I. SC. II (vs. 85 sq.).

«Quem neque pudet quidquam, nec metuit quemquam.» Menander apud Priscian. lib. VIII.

Ὃς δ' οὔτ' ἐρυθριᾷν οἶδεν, οὐδὲ δεδιέναι,

Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει.
Ille vero, qui nec erubescere novit, neque metuere,
Universæ impudentiæ primas tenet.

Ibid. (vs. 99.) « Homine imperito nunquam quidquam injustius, » Menander :

Οὐκ ἔστ' ἀνοίας οὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
Τολμηρότερον.
Nihil imperito videtur esse audacius.

ACT. II. SC. I (vs. 198).

« Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria. » Menander :

Οἴμοι! τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.
Hei mihi, ut repentinum infortunium insaniam parit!

ACT. II. SC. III (vs. 260).

« Fratrem homini nemini esse. » Menander :

Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ἐστιν ὁμονοίας ἔρως.
Quam jucundus est inter fratres concordiæ amor.

ACT. III. SC. II (vs. 331).

« Quid jam credas? aut cui credas? » Menander :

Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί.
Credenda cunctis esse cuncta ne puta.

ACT. III. SC. IV (vs. 491).

« Quod vos vis cogit, » etc. Vide locum Menandri, quem hic et supra expressit ad Heautontim. ACT. II. SC. III.

ACT. IV. SC. V (vs. 643).

« Tacet. » Menander :

Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Apud multos silentium loco responsionis est.

Ibid. (vs. 647). « Erubuit, salva res est. » Menander :

Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.
Qui erubuit, esse mihi videtur vir bonus.

Ibid. (vs. 676, sq.) «An sedere oportuit Domi virginem tam grandem?» Menander:

Θυγάτηρ ἐπίγαμος, κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
Διὰ τοῦ σιωπᾶν περὶ αὐτῆς λέγει.
Filia nubilis, etsi plane nihil loquatur,
Ipso tamen silentio plurimum de se prædicat.

Ib. (vs. 695.) «Menses abierunt decem.» Menander Plautio:

Γυνὴ κύει δεκάμηνος.
Mulier, postquam concepit, mensem agit decimum.

Ib. (vs. 697.) «Dormienti confecturos Deos.» Menander:

Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τὸ συμφέρον
Ῥεῖ, κἂν καθευδήσῃ, πάλιν τἀναντία.
Sponte sua nam res ad usum manant; sed et, dum quis dormit, rursum contrariæ.

Act. v. Sc. iii (vs. 808).

«Communia esse amicorum inter se omnia.» Menander in Adelphis, Erasmo citante:

Τὰ τῶν φίλων κοίν', οὐ μόνον τὰ χρήματα,
Καὶ νοῦ δὲ καὶ φρονήσεως κοινωνία.
Communia amicos inter, non pecuniæ
Tantum, sed et mens pariter et prudentia.

Act. v. Sc. iv (vs. 871).

«Duxi uxorem.» Huc spectat illud Menandri apud Stobæum:

Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων,
Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.
Uxorem habere, liberorum, Parmeno,
Patrem esse, curas multas in vitam invehit. Et:

Τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων, ἦν λύπη, φόβος,
Φροντίς.

Liberorum patrem esse factum, mœror fuit, formido, et anxietas.

HECYRA. ACT. II. SC. I (vs. 200).

« Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias. » Menander :

Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει.

A fœmina nil fœmina unquam discrepat.

Ibid. (vs. 208.) « Postmodo rescisces. » Menander :

Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα.

Quænam sint commissa, hæc tu postmodum rescisces.

ACT. III. SC. III (vs. 380).

« Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. » Apollodorus :

Οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν
Ἢ καὶ ταπεινός.

Ita quisque, ut res dant sese, et gravis et humilis esse solet.

ACT. III. SC. V (vs. 457).

« Salvum atque validum. » Menander :

Εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον.

Fortunatum salvumque.

ACT. IV. SC. II (vs. 595, sq.).

« Ut ne cui meæ Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam. » Menander :

Πικρόν ἐστι θρέμμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων.

Amarulentus est alumnus senex domi manens.

ACT. IV. SC. IV (vs. 710).

« Amaræ mulieres sunt. » Menander apud Stobæum :

Φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι καὶ πικρόν.

Natura mala mulier atque effrænis est.

ACT. V. SC. III (vs. 823).

« Abhinc menses decem fere. » Vide dictum Menandri, Adelph. ACT. IV. SC. V (vs. 695).

PHORMIONE. ACT. I. SC. II (vs. 138).

« Quod fors fert, feremus æquo animo. » Menander :
Ἔνεγκ' ἀτυχίαν καὶ βλάβην εὐσχημόνως.
Fortunam adversam, dispendiumque, decenter ferto.
Ibid. (vs. 139). « Istuc viri est officium. » Menander :
Τοῦτ' ἔστιν ἀνδρός.
Hoc viri est.

ACT. I. SC. IV (vs. 203).

« Fortes fortuna adjuvat. » Menander apud Stobæum :
Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ Θεὸς συλλαμβάνει.
Audaciam justam vel adjuvat Deus.

ACT. II. SC. II (vs. 329).

« Injuriarum audisti. » Menander Misogyno :
. . . . . Ὄμνυμί σοι τὸν Ἥλιον
Ἢ μὴν ποιήσειν σοι γραφὴν κακώσεως.
. . . . . Juro Solem tibi,
Injuriarum me tibi scripturum dicam.
Ibid. (344). « Cum ratione. » *Rationem*, quod est in Palatino codice, magis placet. (Nos Recipimus.) Nam ita quoque citat Victor. lib. v, cap. xx, ubi inter alios versus Menandri hunc adducit :
Τὸ γὰρ τρέφον με, τουτ' ἐγὼ κρίνω Θεόν.
Nam quod me alit, id ego plane judico Deum.

ACT. III. SC. III (vs. 561).

« Solus amico amicus. » Apollodorus :
Μόνος γε τοὺς φίλους ἐπίσταται φιλεῖν.
Ut qui solus amicos amare didicit.

ACT. IV. SC. I (vs. 574).

« Senectus ipsa est morbus. » Apollodorus :
Τὸ γῆρᾶς ἐστιν αὐτὸ νόσημα.
Ibid. (586). « Ego meorum solus sum meus. » Apollodorus :
Ἐγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος.

ACT. IV. SC. IV (vs. 697).

« Dicis quod mali est, » etc. Menander :
..... Λέγεις
Ἀεὶ τὸ λυποῦν, μηδὲν ἀντιπαρατιθεὶς
Τῶν προσλεγομένων.
Semper quod mœrorem affert narras, nihil eorum addens, quod exadversum alloquiis sit idoneum.

DES. ERASMUS ROTERDAMUS

DE METRIS.

Comici Latini multam libertatem sibi usurparunt in versibus, sed nemo largius Terentio : adeo ut apud priscos quoque fuerint qui judicarent, in hujus Fabulis nullam esse carminum legem. Sed hos falli manifestum est. Rursus fuerunt qui non negarunt, ab hoc servari metrorum leges, sed ob immodicam libertatem non esse operæ pretium torqueri doctos carminum dimensione, quod et res sit immensi laboris, nec ita multum inferat frugis. At ego ab utroque genere dissentio : nam, ut manifestius est, quam ut egeat probatione, Terentii Comœdias versibus constare : ita, qui negligendam putarunt metrorum rationem, frequenter Poetæ sermonem corruperunt, dum aliam vocem pro alia subjiciunt, quod nimium sæpe usu venit scribis, in auctoribus solutæ dictionis : dum addunt atque adimunt :

dum verborum invertunt ordinem. Nonnihil etiam hic peccarunt eruditi, qui, dum carminum genera distinguunt ac dimetiuntur, parum attenti, interjecerunt verba quædam, ut explerent versus hiatum, aut resecuerunt quod videbatur superesse. Videtur autem studio factum a Terentio, ut dissimulato carmine quam proxime accederet ad orationem solutam: quod idem affectasse videtur Horatius in Sermonibus et Epistolis. Hinc tanta in dimetiendo difficultas, ut existimem ipsum Donatum, aut Cornutum, aut Asperum, si viverent, in locis aliquot vel hæsuros, vel inter se dissensuros. Proinde nos quatriduanam opellam sumpsimus, ut adolescentulis aliquam hujus difficultatis partem adimeremus, non quidem in omnes Fabulas, sed in unam perpetuo, et in cæteris carptim: quo ceu filo adjuti sese facilius e cæteris explicent labyrinthis. Constant autem hujus Fabulæ his ferme metrorum generibus. Iambico trimetro, qui et senarii dicuntur a numero pedum. Iambico tetrametro, qui ab aliis quadrati, ab aliis octonarii dicuntur: monometrum ac dimetrum raro interjicitur. In hoc genere quovis loco pro iambo ponit tribrachyn, spondæum, dactylum, anapæstum, modo totius carminis penultima syllaba sit brevis. Siquidem in hoc versu: « Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius: » omnes spondæi sunt, excepto ultimo, cujus generis et alios aliquot reperias. Eamdem libertatem sumit in trochaicis tetrametris catalecticis, satis habens si totius carminis penultima sit brevis. Illud tamen ubique cavetur, ne vel trochæus ingrediatur iambicum carmen, vel iambus trochaicum. Iambicum tetrametrum interdum in fine fraudatur una syllaba, producta penultima, quoties iambico dimetro acatalectico accinitur dimeter catalecticus. Veluti si, «Jam lucis orto sidere, » accinas « Cultor Dei memento. » Quanquam in hoc quoque genere usurpatur, quum communis, de qua dictum est, comicorum libertas, tum

illa peculiaris, quod pro penultima longa ponit interdum duas breves. Exemplum est in actus quarti scena secunda (Andriæ): « Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum : » hic penultima producta est. Ibidem, « Orare jussit, si se ames, hera, jam ad sese venias. » Item, « Hanc expetivi, contigit, conveniunt mores, valeant : » in his pro penultima longa ponuntur duæ breves. Hos versus etiam scazontes appellant. Est scazontis genus diminutum : quod dimetro iambico accinit duos trochæos, velut in actus tertii scena secunda.

« Adhuc Archillis quæ adsolent : » hic dimeter est. « Quæque oportet : » duo sunt trochæi. Contra in aliis additur pes legitimo numero. Interim prior carminis pars est trochaica, posterior iambica, et contra. Admiscentur interdum et cretici, sive amphimacri, qui pes mediam habet brevem inter extremas longas : sic ut singuli versus habeant quaternos aut ternos creticos, nisi quod hic quoque usurpatur libertas comica, sicut in cæteris. Exemplum est in quarti actus scena prima : « Ut malis gaudeant, atque ex incommodis. » Quatuor cretici sunt, nisi quod tertius est spondæus. Ibidem : « Tum impudentissima eorum oratio est. » Tres habet creticos. Quanquam arbitror prius carmen vitiatum mutato dictionum ordine. Etenim, si sic legas, et tamen res cogit denegare, *Ibi tum eorum impudentissima oratio est*, ut posterior versus excipiat synalœpham prioris, carmen probe constat. Quidam tamen malunt hic esse Trochaicos catalecticos. Iambici trimetri facilior est dimensio, quum penthemimeris finit dictionem. Velut, « Effertur, imus. » Et, « Sic cogitabam. » Difficilior, quum contra : ut, « Honesta et liberali : accedo ad pedissequas : » in « be » cæsura est. Idem efficiunt crebræ synalœphæ : ut ibi, « Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam. »

In tetrametris item iambicis ac trochaicis durior est

dimensio, si prior dimeter non finiat dictionem, præsertim si non sit iambus, aut si accedat synalœphe : ut, « Meum gnatum rumor est amare : id populus curat scilicet. » Prior dimeter finitur in « ma, » syllabam productam : et excipitur a synalœphe « re id. » Rursus ibidem : « Qui postquam audierat non datum iri, » etc. Prior dimeter desinit in « i, » admixta synalœphe. Turbat et illud lectorem minus exercitatum, quod interdum repente miscet iambica cum trochaicis, trimetra interdum et dimetra aut monometra cum tetrametris, acatalectica cum catalecticis, cretica cum iambicis ac trochaicis : quod locis aliquot adnotavimus in margine. Ea mixtura maxime fit, ubi res sunt turbulentiores. Fit interdum, ut scena prior desinat in hemistichium, et ab hujus clausula incipiat scena proxima : velut in Andriæ actus tertii scena tertia, « Sed eccum video ipsum foras exire. » Dimeter est plenus cum sesquipede. Perficitur initio scenæ sequentis : « Ad te ibam ; quidnam est? » ut sit scazon tetrameter catalecticus. Nonnunquam dictio, quæ pertinet ad sensum versus sequentis, per elisionem adnectitur fini præcedentis : ut in prologo Eunuchi : « Qui bene vertendo et eas describendo male, ex Græcis bonis, » etc. Durius est, quum dissecta dictione prior syllaba finit versum, reliquæ incipiunt sequentem : Eunuchi actus tertii scena prima : « Continuo si quando illa dicet, Phædriam intromittamus comessatum, tu Pamphilam. » Elisiones item et synæreses, præsertim minus usitatæ apud recentiores, faciunt ut lector impeditus frequenter hæreat in carmine. Eliditur autem in comicis versibus *v* consonans, ut in prima scena : « Sine invidia laudem invenias et amicos pares. » Rursus ibidem : « Liberius vivendi fuit potestas, nam antea, » etc. Item in scena tertia : « Enimvero, Dave, nihil loci est, » etc. Carmen enim incipit ab anapæsto. Et ante in scena prima : « Enimvero spectatum satis. » Eliditur et *s*, tum in fine, tum in media

dictione. In fine, ut in prima scena : « Sed quid opus est verbis? » Sed quid opu'st. Elisa simul et vocali *e*.

Idem fit in « satis : » « Nec satis digna cui committas, » etc. Rursus in Prologo Andriæ fit in medio dictionis : « Id isti vituperant : » aliisque locis compluribus, quorum aliquot in margine adnotavimus. Interdum elidunt *l*, ut in prima scena Andriæ, « Pro uxore habere hanc peregrinam, ego illud sedulo : » ut « grinam ego il » faciant dactylum. Hanc libertatem frequenter usurpat Homerus, dum *s* elidit in Ὀδυσεὺς, et *l*, in Ἀχιλεύς. Sæpenumero contrahuntur vocales, velut in his, « fuit, » « Deos, » « dies, » « meus, » « suus, » « scias, » « nihil, » « mihi, » ut sint monosyllaba. Similiter « ei » « hujus » « cujus » monosyllaba ponuntur subinde : « eorum, » « meorum, » dissyllaba. « Liberius vivendi fuit potestas : » « di fuit » facit spondæum. « Scias posse haberè jam ipsum suæ, » etc. « Scias posse » spondæus est : et « suæ » unica syllaba est. « Meum gnatum rumor est amare. » « Meum gna » spondæus est. Item « antehac » dissyllabum est : « Nam quod antehac fecit. » Frequenter eliditur *d* in « quid » et « sed » pro vocali, et, sicut in « periculum » elidimus *u*, idem hic facit in « paululum » et « annulum. » Quin et syllabæ quædam aliter pronuntiantur, quam apud recentiores usurpatæ sunt ; velut in « suspicio » secunda producitur : unde factum est, ut quidam legant *suspectionem*. Rursum in « cave, » « vale, » « mane, » et « ubi » finalis corripitur. Minimo momento mutatur genus carminis, velut in actus quarti scena prima. Si legas, « In denegando modo quis pudor est paululum, » trimeter est iambicus. Rursus, si « In » adnectas fini versus præcedentis, versus constabit quatuor creticis : Denegan-do modo-quis pu-dor est paululum. Si in « modo » facias pyrrhichium, erit trimeter trochaicus catalecticus : « Dene-gando modo quis pu-dor est-paululum. » Porro inter iambicos tetrametros acatalecticos et trochaicos tetrametros catalecticos tanta est affinitas, ut interdum nihil

referat eumdem versum utrum per iambos an per trochæos metiaris: velut in actus tertii scena quarta, « Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem. » Si « mihi » facias unicam syllabam, trochaicus est: si duas, iambicus est: quale est et in actus v, scen. 1. « Satis jam satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea. » Item sequens: « Satis pericli cœpi adire, orandi jam finem face. » Licet per iambos vel per trochæos metiri. Hujus generis sunt et alii complures.

PERLETI DISSERTATIO DE METRIS TERENTIANIS.

DUCE PRÆSERTIM BENTLEIO.

§ 1. Iambicus versus senorum pedum Latinis veteribus *senarius* vocabatur, a pedum et ictuum numero; Vid. Horatius A. P. vs. 251. seqq. Sex enim secundum illum habet ictus versus senarius; et tamen *trimetrus* sive *ternarius* Græcis vocatur, quasi tres tantum ictus redderet ob pedis celeritatem, præsertim quum totus *iambis* puris decurrit. Latini igitur per μονοποδίαν, *singulos* pedes, hos versus dividebant; Græci per διποδίαν, seu *geminatos*. Inde qui Græcis est tetrametrus, Varroni a pedum numero est octonarius. Et omnino iambicum *binis* pedibus scandi, vetus institutum est.

§ 2. *Ictus*, percussio dicitur: quia *tibicen*, dum rhythmum et tempus moderabatur, ter in trimetro, quater in tetrametro, solum pede feriebat sic: *In hâc habitasse plá-tea dictum'st Chrysidem; et, Animo nunc jam ótioso esse*

impero. CH. *hem Davúm tibi.* Ictui consimilis est arsis sic dicta et thesis.

§. 2. *Arsis*, gr. ἄρσις sive elevatio appellatur, quod in iisdem syllabis, quibus tibicen *pedem* accommodabat, actor vocem acuebat ac tollebat. In *thesi* autem, quæ græca est vox θέσις, sunt cæteræ syllabæ, quæ ictu destitutæ minus idcirco audiuntur. Quam vero modulationem per arsin et thesin esse Mortianus ostendit. Attamen si, quod supra dictum est, senarii versus distinctionem Græcorum respiciamus, ter *ictu* percussum habebimus eum hoc modo, *Poéta quum primum ánimum ad scribendum áppulit.*

Romani contra senos voluerunt in quoque trimetro esse ictus, qui sic exprimi possint, *Poéta qúum primum ánimum ad scríbendum áppulit.* Sic item in *tetrametris* quaterni Græcis sunt ictus, octoni Romanis. Verum quia in paribus locis, 2, 4, 6, minus plerumque elevantur et feriuntur, quam in imparibus, 1, 3, 5; idcirco hos more Græcorum hic placuit omittere.

§. 4. Ex accentibus Bentleius sibi notatis docet facile apparere, qui iambicus sit versus, qui trochaicus. Si enim accentus in prima versus syllaba sit, trochaicum esse, sin minus, iambicum. Trochaicos autem Terentius admiserit versibus suis non paucos. Verum utrique, exeuntes præsertim, nullo negotio cognoscuntur, iambici ictu in antepenultima posito, ut *ócius; óbsecro; nón facis:* trochici fines, *crédas, éstis, áddo, érgo,* penultima acuta.

§. 5. Omne versuum genus suam habet *cæsuram* sive incisionem, qua verbum terminatur, et vox in decursu paulum interquiescit. Ita fere cæsura Romanis placuit, quæ in priore tertii pedis syllaba sit, ut in Heroico:

Arma virumque cano, | *Trojæ qui primus ab oris*
Italiam fato | *profugus,* etc.

At non Epici solum poetæ, sed etiam Comici hanc cæsuræ sedem in trimetris servant, ut Noster :

Ne cùi sit vestrum | mirum, cur partés seni
Poéta, dederit | quæ sunt adolescentium.

§. 6. Quintilianus Instit. Orat. X, 1, 99 : « In Comœdia, inquit, maxime claudicamus, licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur : quæ tamen in hoc genere sunt elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus *trimetros* stetissent. » Quæ vero Quintiliani quasi minus in hac re periti adserta Bentleius multis disputatis refellit, qui bonum esse arbitratur atque necesse, res varias describendas versuum quoque varietate, seu diversa ἤθη καὶ πάθη diverso carmine adjuvari. « Illud tamen, ait, prius admonendum, Nostrum sicut a *trimetris* suas fabulas, rebus sedatioribus, inchoasse, ita semper tetrametris finivisse, quippe quod fabulæ catastrophe, quum res turbulentæ paulatim et ægre consilescerent, hoc carminis genus magno spiritu effundendum postularet. Præ omnibus tamen trochaici pleni firmum actoris latus requirebant, qui nunquam scilicet nisi in maximo affectuum tumore veniunt.

§. 7. Porro super hos iambicos trochaicosque etiam *creticis*, bacchiacis, choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis utitur Terentius, eisque in monodia duntaxat, nunquam in diverbio. »

§. 8. Trimetros vero versus iambicos Terentii et Plauti et cæterorum Comicorum et Tragicorum M. Tullius senarios dicit et nominat. « Quintilianus etiam trimetros senarios nominavit. Et Flavius Caper in artibus suis trimetros versus iambicos Terentii senarios appellavit. »

§. 9. De *Clausulis* T. Varro L. L. VII. dicit : Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam,

ut apud Accium, *An hac jam obliti sunt Phryges?* apud Terentium, *Discrucior animi.* Huic addatur, *Occidi.* Talem habet Virgilius, Æn. X, 728: « Ora cruor. » Cæterum de clausulis hoc uno verbo dixisse sufficiat: Si ab eis initium sit; liberæ sunt et nullius metri legibus adstrictæ: Si sententiam claudunt, a præcedentibus legem accipiunt.

§. 10. Nec desunt *catalectici* et *acatalectici* versus, de quibus Priscianum ac Diomedem vide. Catalecticus autem versus dicitur, cui syllaba deest; cujusmodi inter alios Eun. vs. 287, qui, si Faerno auctore *curset* legatur pro *cursitet*, sit catalecticus. Acatalecticus nominatur versus, cui nihil deest in fine; v. Priscian.

§. 11. « De *Licentia* romanorum Tragicorum Comicorumque paulo inclementius loquitur Horatius, A. P. 255—274. Candide magis de iis judicat Terentianus Maurus:

Culpatur autem versus in tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus:
Ut ille contra, qui secundo et talibus
Spondeon aut quem comparem receperit.
Sed qui pedestres fabulas *socco* premunt,
Ut *quæ loquuntur sumpta de vita* putes,
Vitiant iambon tractibus spondaicis,
Et in secundo et cæteris æque locis:
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant, arte, non inscitia:
Ne sint honora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Magis illa Nostri: nam fere Græcis tenax
Cura est iambi, vel novellis Comicis,
Vel qui vetusta prælucent Comœdia.

§. 12. Quod igitur in Græcis et Latinis Flaccus vituperat, et in Comicis excusat Maurus, id Anglus studet,

quo facilius teneatur, illustrare: hoc modo Græci scilicet ad hanc formam in iambicis,

Vi commŏdāvi | commŏdāvi, commŏdā,

Latini ad istam, non semper, sed quotiescumque vellent,

Vi commēndāvi | commēndāvi | commoda.

§ 13. Ubi nempe illos videbis puris fere iambicis commode progredi, hos vero, spondaico pede inserto, impeditius. Etsi non desunt multa, quibus maxime, si quis sit tardiusculus gradus Latinorum, excusetur. Nam Bentleium audiamus, qui dicit: « Profecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccavit; studio, non ignorantia, necessitate vel saltem commoditate inductus, et, qualecumque illud delicti est, magnis virtutibus redempturus. »

§. 14. Sermo enim ea de causa propius apud Nostrum ad consuetudinem accedit, quam apud Menandrum. Oratio apud unum de medio sumpta deque vita honestiorum civium; versus minime cavi, sed verbis sensibusque spissi: apud alterum, dum metro servire coactus est, stilus paulo elatior, et sententiæ dilatiores. Adde huc, consonantes in lingua Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica: adde omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, esse barytona; ita ut nullum vocabulum latinum, præter monosyllaba, habeat in ultima syllaba accentum. Inde minoris esse facile judices operæ atque artis, ad Menandri normam græce scribere, quam latine ad Terentii. Hæc autem disserenti Bentleio Rufinum adjunxerim, qui eadem de re dicit: Veteres, usi ipsi quoque metris negligentius iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco; tamen a Terentio vincuntur reso-

lutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis.

§. 15. Præterea notandum est, ut a Græcis Comicis descivisse Latinos, pro brevibus syllabis tardas infulciendo, ita eosdem vitio prorsus contrario peccasse, corripiendo scilicet ejusmodi syllabas, quæ in Latino sermone sint longæ. Priorem syllabam in *ille* et *esse* constanter producebant Epici, Noster interdum corripit, sæpius producit. *Propter* apud Epicos semper priore longa est; Noster semel corripit, And. 440, contra ibid. 449, iterum producit. Eadem reliquorum ratio est, quibus venia quidem, præsertim hodie, lingua jamdudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit majorem. His ego addo Rufinum, de metris Terentii ac Plauti cæterorumque comicorum dicentem sic: Quantum autem ad versum comicum spectat.... scio plurimos affirmare, Terentianas vel maxime fabulas metrum ad disciplinam græcarum comœdiarum non custodisse, id est, quas Menander, Philemo, Diphilus et cæteri ediderunt.

§. 16. Etiam videbimus, quid de *Crasi* censendum, qua duæ vocales, quarum una brevis, in unam contrahuntur: ut *diu*, *deum*, *deorum*, *meum*, *meorum*, *etc.* Hæc et si qua alia hujusmodi, jure, quoties vellent, contrahebant Comici, quod idem Epicis jus erat. Durius quidem Nostratibus sonant *hujus*, *cujus*, *ejus*, *novo*, *levi* in unam syllabam contracta.

§. 17. Vix inter licentias numeres, quum Comici finales in syllaba brevi, sequente tamen consonante, nonnunquam abjiciunt, ut *tristi'*, *famelicu'*; siquidem idem facit passim Lucretius. Similiter Catullus in epico carm. CXVI. litteram *s* ex verbo *dabis* absorbere jubet pronuntiantem. Sæpissime ab *est* vocalis resecatur, ut *consimilist*, *palamst* pro *consimili est*, *palam est*.

§. 18. « Quin et ubi *synalœphæ* vis cessat, et vel vocalis quæpiam vel, *m*, finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente, ne hoc quidem in licentiis ponas : qualia plura apud Nostrum, *Omnes qui amant, Mé et ætate, Quæ erat mortua Dúm id efficias Quicum uno rém habebam.* Hoc modo et Epici, Lucretius, Virgilius, Horatius in hexametris.

In his autem aliisque similibus observandum est, nunquam hoc fieri, nisi in verbo monosyllabo, quod verbum si in vocalem exit, oportet syllaba esse longa.

§. 19. Maxime vero id Latinis Comicis, qui fabulas suas populo placere cuperent, ante omnia cavendum erat, ne contra linguæ genium ictus seu *accentus* in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. Id in omni metro, quoad licuit, observatur, ut in his :

A'rma virúmque cáno, Trojáe qui primus ab óris
Itáliam fáto profugus Lavínaque vénit
Lítora, etc.

Qui perite et modulate hos versus leget, hic eos, ut hic accentibus notantur, pronuntiabit ; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pedum initia,

Itali | ám fa | tó profu | gús La | vínaque | vénit.

Recordemur autem et Priscianum ita scandere versum, ut Anglus pueros solere redarguit. Sed grammaticus ille de metro agit, hic de accentu, quem ultimæ syllabæ latine nullum esse recte monet.

§. 20. Priscianus de versibus comicis narrat, *fuisse quosdam qui abnegarent, ulla esse in Terentii Comœdiis metra ; vel ea, quasi arcana quædam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent. Idem paulo post omnes quidem Comicos, crebris synalœphis*

et episynalœphis et collisionibus et abjectionibus s *literæ fuisse usos scandendo versus suos, Terentium autem plus omnibus.* « Verum profecto hoc est, et causa unica, cur magistelli isti vel negarent metra esse apud Nostrum, vel ut arcana quædam venditarent. Quod vero hic queritur et criminatur magnus Grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima : qui synalœphas illas data opera consectatus est, quo syllabæ ultimæ liquescerent coalescerentque cum sequentibus, eoque vetiti ac vitiosi in ultimis ictus artificiose effugerentur. » Hæc eadem fuit Erasmi metrum Terentianum curantis sententia. Atque Rufinus comminutum esse opinatur metrum Terentii ad imaginem prosæ orationis. En vero hæc Bentleii in perscrutanda Terentiana metrica et comica arte sane expertissimi atque ingeniosissimi viri judicia, quæ hactenus in arctum coacta sumus prosecuti.

§. 21. Præterea, quod equidem adjungo, verisimile est, metro usum esse Terentium ad sermonem quotidianum ac diverbia variorum hominum ac rerum accommodato. Proinde Priscianus sic ait : Terentius trochaico mixto, vel confuso cum iambico utitur in sermone personarum, quibus maxime imperitior hic convenit, quem puto, ut imitetur hanc confusionem rhythmorum, facere. Sunt autem trimetri ac plus minusque et habent penultimam versus syllabam in quibusdam longam et in quibusdam brevem, ut in Andria,

« Adhūc Archillis quæ ādsŏlēnt, quæque ŏpōrtēnt
Signa ēsse ād sălutēm ōmniă huic ēssĕ vĭdĕo. »
V. Priscian, de metr. comic.

§. 22. Nec omittendum est, quod Schmiederus ausus est affirmare, Terentii Editiones antiquissimas e codicibus absque versuum distinctione in lucem prodiisse, ab anno demum 1487, versibus distinctas, quorum dimetiendorum

Angelus Politianus primus periculum fecisse dicatur. Postea deinceps de metris Terentianis aliorum hominum doctorum, quos non otium est nominare, alia ac diversa judicia innotuerunt.

§. 23. Quod vero metrum attinet observandum alicu jus poetæ, aures Romanorum difficiles satis fuisse, Cicero testatur dicens : « In versu quidem theatra tota exclamant, si fuerit una syllaba brevior aut longior. » Orat. §. 173.

§. 24. Verumtamen Terentio nostro suam metri licentiam minus difficile ab iisdem theatris esse condonatam, id ex causis supra dictis palam fieri videtur. Sed his adjicere liceat, quæ Rufinus monet. « Nostri enim, inquit, in modulandis rhythmis, seu metris, veteris comœdiæ scriptores sequi maluerunt, id est, Eupolim, Cratinum, Aristophanem. Prologos itaque et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt : deinde longissimos, id est, tetrametros subdiderunt, qui appellantur *quadrati*: postea in sequentibus variaverunt : modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est, semipede adjecto, vel integro pede iambo, vel sesquipede. Hæc per medios actus, varie rursus in exitu fabularum quadratos, duales dixinus, in secunda scena locaverunt. Sed iidem quod rati legitimi, cum sedecim syllabis, juxta jus proprium constare debeant, plerumque inveniuntur viginti aut amplius syllabarum. Hinc existimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse. » Hæc usque de metris Terentianis.

ELOGIA VETERUM

DE PUB. TERENTIO.*

Varro, Parmenone; Nonius in, Poscere.

In argumentis Cæcilius poscit palmam; in ethesin Terentius; in sermonibus Plautus.

* In his judiciis quædam ne absurditate quidem carent: quale Volcatii Sedigiti pridem doctis visum est. « Elegantia sermonis » et « mores, » consensu tribuuntur: etiam « ars et metri diligentia. » In « argumentis » quid valeat subinde videbimus. Nemo autem nescit, aliud vulgi, aliud eruditorum de Poetis judicium esse. Certe, si quis attendat, Horatii versus adlati, vulgi sententiam, non ipsius, summi sane Critici, exprimunt. Quid enim ipse admiraretur in principe Comicorum, noluit cuiquam occultum esse. Ipsi eruditi tantum inter se non discrepare videbuntur, si singulos intueamur, quin unius et alterius sententia cæterorum auctoritate obrui queat. De Horatio dictum est: quem non legit, multo minus Terentianas in eo imitationes observavit, qui ad interpretes sibi hic eundum existimat. Servii auctoritas tanti non est, ut loco rationis esse debeat. Nonne enim multa sunt, quæ eruditionis potius, quam judicii facultatem in eo Grammatico testantur? Fabius Quintilianus pleno laudat ore Terentium; nisi quod incaute de trimetris addit: confutatus merito a Georgio Fabricio. Cæterum, qui paucissimos accuratæ criticæ successu omni ævo præstitisse ignorat, illum pleraque interioris doctrinæ mysteria fugiant necesse est. Non sufficit eruditio, quæ confidentiam persæpe generat; ut plus satis prompti sint, ad pronuntiandum, qui Auctoris genium nondum perdidicerunt: ne dicam de pervulgatis opinionibus, quæ haud raro eximias quoque mentes devertunt: quum præsertim, quod probe notandum, de Nova Comœdia judicaturis, respectus Veteris subinde obstaret, animumque divorse traheret. Dicam iterum: Accedat vir ingenio et doctrina præstantissimus ad ferendam paulo explicatius de magno aliquo et perfecto ex Veteribus Poeta sententiam: nisi iterum iterumque re-

Cicero, de optimo genere oratorum.

In re quod optimum sit quæritur : in hominibus dicitur, quod est. Itaque licet dicere, et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragi-

legerit, nisi cogitaverit subtilissime, aut exegerit singula attentissime, facile linea excidet. Documenta nolumus jam nisi ex proximo petere. Sicut acerrimi vir ingenii Franciscus Guyetus nuper admodum, rectissime et felicissime amplexus Afranii sententiam, « omnes omnium Comicorum in uno Terentio eminere virtutes, » judicavit; ita superiore sæculo, nollemus summo viro, et quod caput rei est, κριτικωτάτῳ, Julio Scaligero ea de nostro poeta excidisse, quæ nullo modo defendi, ac ne tolerari quidem possunt.

Illud quidem libenter sumimus, quod de judicio populi fatetur: quo etiamsi superatum esse legam a Philemone Menandrum, nondum tamen ideo Menandro major est Philemon. Debet enim, ni fallor, eruditis idem licere, quod populo: ut hic quidem pro suo captu, illi pro ingenio et doctrina sententiam ferant. At enim populi judicio hic standum est: populo dabantur fabulæ; et is « non ad discendam sermonis puritatem eo confluebat, sed ad animum risu ac jocis relaxandum: » quæ Scaligeri verba sunt. Sed παρισγία populi non tollit artium instituta. Quando in foro reus accusatur ac defenditur, populus non confluit ad discendam sermonis elegantiam; neque propterea non laudabitur Orator, qui ei studet. Confluxerit populus ad oblectandum animum visu et auditu rerum ridicularum; huic desiderio explendo, nemo opinor poeta fabulam scripserit: histrione enim quam poeta dignior hæc opera esset. Poetæ institutum ad philosophiam spectat: atque in Comœdia hoc ipsum agit, ut, dum putat populus ludicram rem geri, amore virtutum, odio vitiorum, quæque his affinia sunt, et ad emendandos mores pertinent, imbuatur. Rudioribus itaque temporibus, rudius hoc solebat fieri: animisque nec compositis nec excultis aliquid indulgendum erat. Accedente quodam cultu, ut in omnibus civitatibus ab inconditis moribus ad gradus quosdam disciplinæ proceditur, temperandum erat quidquid nimium videbatur; invitatis et placide traductis ad rectiora animis, ut voluptatem non jam ex solo risu, quod imperitissimorum est, sed ex consuetudine vitæ fortunæque humanæ, eleganti rerum textu ac consecutione per imitationem expressa, sibi petendam judicarent. Quam ipsam rem quum Comœdia Nova sibi proposuisset, aliorum industria sane profecerit; certe solius Terentii ingenio ad fastigium ascendit. Si igitur Volcatius Sedigitus de Comicis judicium ferre voluit, cur tam diversa miscuit? Cur Plautum et alios ideo prætulit, quod plus de antiquæ Comœdiæ genio referrent; cur po-

cum; et Cæcilium fortasse comicum. Unum vero est genus perfecti, a quo qui absunt, genere differunt, ut ab Accio Terentius; sed in eodem non sunt pares.

pulo, etiam cultiori sæculo haud ægre ad solutiora respicienti, adulatus potius, quam Poeseos instituto, et doctrinæ legibus obsecutus est? Sed mittamus Sedigitum: qui tamen errandi Scaligero auctor fuit: nam, ut ejus judicium defenderet, suo non bene usus est. Quis enim porro ferat ista? « At res putentur ipsæ, profecto languidiores erunt Terentianæ: » quam apud Plautum scilicet aliosque. Quis demum ille languor? si omnia excutias, hoc dicendum fuerit: Quæ res in Comœdia ita exhibentur, ut minus capetur risus, neque jocis et facetiis omnia impleantur, illæ languidiores sunt. Nunquam tulisset ille princeps Criticorum æquo animo, si quisquam alius pronuntiasset languidiorem esse Poesin, ubi retinetur, quod est difficillimum, sed Poeta accurato dignum, ex hilaritate modus. Quid? quod urbanitatis eruditæ ac festivitatis artificio nemini cedit Terentius. Tantum obest rationi auctoritas, cui te semel permiseris. Et excogitandum tamen aliquid fuit, ne sine ratione videretur disputari. « Quando, » inquit Scaliger, « res eo perducta est, ut nos in lingua patria, hoc est, Latina simus peregrini, quam ex nitidissimi cujusque auctoris operibus emendicatam, ad ea, quæ sentimus, applicaremus: atque in ea Terentianæ munditiæ potiores essent salibus Plautinis: quantum propter animi voluptatem tribuerunt Plauto Prisci, tantum ætas nostra ob linguæ Latinæ cultum, Terentio. Ille igitur illorum secunda fortuna commendatus: hic nostra miseria magnus factus est. Nam equidem Plautum ut Comicum, Terentium ut locutorem admirabor. » Si miseria junioris ævi causam dedit ἁμαρτήματι κρετικῷ, quid ergo ante tot sæcula Horatium movit, ut stultitiæ postularet eos, qui sales Plautinos ad urbanitatem et leporem referrent? ut non phrasin magis Terentii, quam sales et lepores tanto studio consectarentur? At unus et item alter ob solum linguæ Latinæ nitorem nuper tantum Terentio tribuit. Nescio, quinam illi fuerint: omnium minime decebat Scaligerum in eo numero esse: qui, si tanta intentione animi tractasset Terentium, quanta Virgilium, non minus perfectum in suo opere illum per omnia judicasset. Sunt autem, ut omnibus patet, inter eruditos non pauci, et fuerunt qui orationem Terentii merito quidem adamarunt, longe plura autem, id est, omnia ea, quibus opera hujusmodi commendantur, in eo admirati sunt: nec ut « locutoris » (absit verborum vilitas, ubi plus quam verba spectantur) sed ut Comici et Philosophi exacti hoc exemplar sibi proposuerunt. Enimvero, qui præter stylum nihil in Terentio amare didicit, eum a Musis et Gratiis quam maxime alienum esse, nemo abnuat. Sed hæc hactenus stylo fusiori reperiat, qui adibit ad Julium Scaligerum Poet. lib. III, cap. 96, et lib. VI, cap. 2. *Jo. Henr. Bæclerus.*

Et infra:

Iidem et Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod est igitur eorum in orationibus e Græco conversis fastidium, nullum quum sit in versibus?

Lib. VII, Epist. 3, *ad Attic.*

Secutus sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræeum (malus enim auctor latinitatis est), sed Terentium, cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi: Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræum.

In Lælio.

In Andria familiaris meus Terentius dixit....etc.

Et mox:

In obsequio, quoniam Terentiano verbo libenter utor, comitas adsit.

Horatius, lib. II, Epist. ad Aug.

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma frequens.

Ovidius, lib. II Tristium, vss. 357-60.

Nec liber indicium est animi; sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.

Accius esset atrox : conviva Terentius esset ;
Essent pugnaces qui fera bella canunt.

Volcatius Sedigitus, apud A. Gell. lib. XV, cap. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant.
Eum, me judice, errorem dissolvam tibi :
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat cæteros.
Dein Nævius, qui servet pretium, tertiu'st.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Velleius Paterculus, lib. I, cap. 17.

Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque, et Afranium suppari ætate nituerunt.

Fab. Quintilian. lib. X, cap. 1.

In Comœdia maxime claudicamus ; licet Varro dicat, Musas, Ælii Stilonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent : licet Cæcilium laudibus ferant : licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur : quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.

Idem, Declamat. IX, sive Gladiator.

Terentium, quem inter cæteros captivos, secundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exsolverat, memoriæ

tradidere majores, insigne receptæ libertatis pileo testantem in triumpho ducis esse conspectum.

Plinius, lib. I, Epist. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat: Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.

A. Gellius, lib. VII, cap. 14.

Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Idem, lib. VII, cap. 21:

Neque magno intervallo postea Q. Ennius, et juxta Cæcilius et Terentius, ac subinde Pacuvius: et Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

Ausonius, in Protreptico ad Nepotem.

Tu quoque qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis et adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

Lactant. de Falsa Sap. cap. 4.

Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poeta testatur: Ita enim comparatam esse hominum naturam, etc.

Eusebius in Chronico.

Ptolomæi VI, id est, Philometoris regno decessit P. Te-

rentius, quo tempore Aristarchus, Homericorum ille versuum censor, floruit.

Hieron. in Chronico, Olymp. 155, *ann.* 3.

P. Terentius Carthaginiensis, Comœdiarum scriptor, ob ingenium et formam libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam, antequam Ædilibus venderet, Cæcilio (Acilio) multum se miranti legit.

Idem, de Optimo Genere Interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt: numquid hærent in verbis? ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?

Idem, ad Suniam et Fretellam.

Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat proprietate: quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in OEconomico Xenophontis, et in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros in Græcis Comœdiis transferendis.

Idem, ad Paulinum.

Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

Paulus Orosius, lib. IV, cap. 19.

Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans urbem ingressus est; quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginiensium captivis pileatus, quod indultæ sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est.

Livius, lib. XXX, non comicum hunc intelligit, sed ad Terentium Culleonem senatorem Rom. refert, qui pileo capiti imposito secutus est Scipionem triumphantem: certe de alterutro Quintiliani etiam locus ex Declam. IX intelligendus est. *Lindenbrogius.*

Sidonius Apollinar. Carm. XX.

Quid vos eloquii canam Latini.
Arpinas, Patavine, Mantuane,
Et te, comica qui doces, Terenti,
Et te, tempore qui satus severo,
Graios, Plaute, sales lepore transis?

Rufinus Grammaticus Antiochensis.

Agnovit metrum servatque Terentius artem;
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Servius in illud, lib. I Æneid. « *Talibus incusat.* »

Sciendum est Terentium, propter solam proprietatem, omnibus Comicis esse præpositum; quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior.

Fl. Sosipater Charisius, lib. II.

Ἤθη, ut ait Varro de Latino sermone, lib. V, nulli alii

servare convenit quam Titinnio et Terentio. Πάθη vero Trabea, inquit, et Attilius et Cæcilius facile moverant.

Isidor. Origin. lib. I, cap. 39.

Fabulas poetæ quasdam delectandi causa finxerunt, quasdam ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. Delectandi causa fictas, ut eas, quas vulgo dicunt, vel quas Plautus et Terentius composuerunt.

Ex antiquo cod. Ms. in Bibliotheca Reg. Gall.

Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ
Romanis ducibus bellica præda fui.
Descripsi mores hominum, juvenumque, senumque,
Qualiter et servi decipiant dominos:
Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus;
Hæc quicumque legit, sic, puto, cautus erit.

DE ÆLIO DONATO.

Hieronym. in Chronico, Olymp. 284.

Victorinus rhetor et Donatus grammaticus, præceptor meus, Romæ insignes habentur: e quibus Victorinus etiam statuam in Foro Trajano meruit.

Idem, Apolog. advers. Rufinum.

Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios: Vulcatii in Orationes Ciceronis: Vi-

:torini in dialogos ejus, et in Terentii Comœdias præce-
)toris mei Donati, æque in Virgilium, et aliorum in alios:
Plautum, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.
Argue interpretationes eorum, quare non unam explana-
tionem secuti sint, et in eadem re quod vel sibi, vel aliis
videatur enumerent.

Hieronym. in Eccles. cap. 1.

Comicus ait: Nihil est dictum, quod non sit dictum prius: unde et præceptor meus Donatus, quum ipsum versiculum exponeret: Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt!

DE EUGRAPHIO.

Gerbertus quondam scholasticus ad Airardum, Ep. VII.

Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exsequaris negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic postea Maximus Pontifex factus, Sylvester dictus fuit, vixitque sub Othone III, Imp. circa A. C. 998. Vid. Fascicul. Tempor. Onuphrius Panv. in Chron. Eccles. et alii.

TESTIMONIA
GALLICORUM SCRIPTORUM.

MONTAIGNE,

ESSAIS, *liv. II, chap.* 10.

QUANT au bon Térence, la mignardise et les graces du langage latin, ie le treuve admirable à représenter au vif les mouvements de l'ame et la condition de nos mœurs; à toute heure nos actions me reiectent à luy : je ne le puis lire si souvent, que ie n'y treuve quelque beauté et grace nouvelle... Pour l'estimation et préférence de Térence, faict beaucoup que le père de l'éloquence romaine l'a si souvent en la bouche, seul de son reng; et la sentence que le premier iuge des poëtes romains[1] donne de son compaignon. Il m'est souvent tumbé en fantasie comme, en nostre temps, ceulx qui se meslent de faire des comédies (ainsi que les Italiens qui y sont assez heureux), employent trois ou quatre arguments de celles de Térence ou de Plaute pour en faire une des leurs : ils entassent en une seule comedie cinq ou six contes de Boccace. Ce qui les faict ainsi se charger de matière, c'est la desfiance qu'ils ont de se pouvoir soustenir de leurs propres graces : il faut qu'ils treuvent un corps où s'appuyer; et n'ayants pas, du leur,

1. Horat. Art. poet. vs. 270 sqq. «At nostri proavi.... »

assez de quoy nous arrester, ils veulent que le conte nous amuse. Il en va de mon aucteur tout au contraire : les perfections et beautés de sa façon de dire nous font perdre l'appétit de son subject ; sa gentillesse et sa mignardise nous retiennent partout ; il est partout si plaisant,

Liquidus, puroque simillimus amni [1],

et nous remplit tant l'ame de ses graces, que nous en oublions celles de sa fable.

MADAME DACIER,

Traduction de Térence (*Préface*).

Plaute a plus d'esprit que Térence, et il est au-dessus de lui par la vivacité de l'action et par le nœud des intrigues ; enfin il fait plus agir que parler ; au lieu que Térence fait plus parler qu'agir. C'est ce que les plus zélés partisans de Térence ne sauraient contester ; et s'il y en avait qui ne voulussent pas tomber d'accord d'une vérité si claire, il n'y aurait pour les convaincre qu'à faire jouer une pièce de Plaute et une de Térence : je suis persuadée que l'une attacherait plus que l'autre, et surprendrait toujours davantage le spectateur par la nouveauté et par la variété de ses incidents. Voilà les grandes qualités qu'on ne saurait disputer à Plaute. Mais comme les hommes ne savent donner ordinairement que des louanges exclusives, ils croyent que quand on donne à quelqu'un l'avantage en quelque chose, on le préfère en tout. C'est un préjugé fort injuste ; chacun a ses vertus ; et comme il n'y

1. Horat. Epist. 2, lib. II, vs. 120.

a rien de plus vaste en général que la poésie, et en particulier que la poésie dramatique; il n'y a rien aussi où les hommes ayent des talents plus divers, et où ils réussissent plus différemment. Les uns manient bien un sujet, et savent nouer et dénouer une intrigue. Les autres excellent à représenter les passions. Celui-ci ne sait que peindre les mœurs, celui-là réussit à certains caractères, et est malheureux en d'autres. En un mot; il en est du théatre comme de la peinture, où les uns sont bons pour l'ordonnance, les autres pour les attitudes; celui-ci pour le coloris, et celui-là pour la beauté des figures.

Térence est châtié dans sa composition, et sage dans la conduite de ses sujets. Véritablement il n'a pas cette vivacité d'action, et cette variété d'incidents qui enflamment la curiosité, et qui jettent l'esprit dans l'impatience de savoir de quelle manière se fera le dénoûment. Mais il donne des plaisirs plus fréquents et plus sensibles: s'il ne fait pas attendre avec impatience la fin des aventures, il y conduit d'une manière qui ne laisse rien à désirer, parce que l'esprit et le cœur sont toujours également satisfaits, et qu'à chaque scène, ou pour mieux dire, à chaque vers on trouve des choses qui enchantent et que l'on ne peut quitter. On pourrait comparer Plaute à ces romans qui, par des chemins souvent ennuyeux et désagréables, mènent quelquefois dans des lieux enchantés, où tous les sens sont ravis. Mais on peut dire que ces lieux enchantés, presque tous aussi beaux les uns que les autres, se trouvent à chaque pas dans Térence, où une seule scène amuse agréablement tout un jour; et je ne sais si aucun poète a jamais su trouver ce secret.

C'est sans doute par cette raison que les anciens ont tous donné à Térence cette louange dont parle Horace:

Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Car il est vrai que jamais homme n'a eu plus d'art que lui; mais cet art est si bien caché, qu'on dirait que c'est la nature seule qui agit, et non pas Térence.

Un effet merveilleux de cet art où il excelle, c'est la peinture des mœurs; jamais personne ne les a si bien peintes. C'est une vérité que les anciens ont reconnue. Varron a dit: *In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius.*

Pour réussir dans cette peinture, il faut avoir une expérience consommée avec une connaissance parfaite de tous les mouvements de l'ame. Il n'y a qu'un grand philosophe qui en soit bien capable, et c'est un des plus grands efforts de l'esprit humain. Les maîtres de l'art nous disent souvent qu'il n'y a rien de plus difficile dans la poésie, que d'exprimer les mœurs; cela est encore plus difficile dans la poésie dramatique; il est facile d'en voir la raison.

Il y a des manières différentes de peindre les mœurs; car, ou vous faites les hommes comme ils sont, ou vous les faites pires, ou vous les faites meilleurs. De ces trois manières, les deux dernières sont, à mon avis, les plus faciles et les plus imparfaites; car, comme vous ne suivez alors que votre idée, moi, qui n'ai pas la même idée que vous, je ne puis juger de la perfection de votre ouvrage; parce que je n'ai point de modèle sur quoi je puisse juger de la ressemblance de vos portraits. Il n'en est pas de même de celui qui fait les hommes comme ils sont: tout le monde a en soi ou devant les yeux l'original qu'il a voulu copier, chacun en peut juger par soi-même, et c'est ce qui en fait la difficulté. Térence règne sans rival dans cette partie; car il peint toujours les hommes au naturel, et par là il s'est engagé, si je l'ose dire, à rendre raison de ses peintures, non seulement à son siècle, mais à tous les siècles; et ce n'est pas l'entreprise d'un esprit borné.

Sur le passage que j'ai cité de Varron, *In argumentis*

Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius, les savants demandent lequel c'est des deux que Varron préfère. Il est vrai que l'on préférera toujours celui qui disposera bien un sujet à celui qui peindra bien les mœurs, si l'on fait consister la principale partie du poëme dramatique dans la disposition du sujet, et si l'on met la peinture des mœurs au second rang. Cependant je ne puis m'empêcher de dire que, quoique je sache fort bien que c'est la disposition du sujet qui constitue le poëme dramatique, je préférerais toujours un poète qui n'excellerait pas dans cette partie, et qui excellerait dans l'autre : c'est-à-dire, que j'aimerais mieux une comédie dont le sujet ne serait pas merveilleusement bien conduit, pourvu que les fautes n'en fussent pas grossières, et dont les caractères seraient admirablement bien peints. En un mot, j'aimerais mieux Térence que Cécilius ; et je crois même que l'on pourrait justifier ce goût par la peinture. Toutes les figures bien finies et naturelles feront excuser dans un tableau les défauts de l'ordonnance ; mais je ne sais si l'ordonnance la plus belle et la plus régulière pourrait faire excuser les défauts des figures. Je ne propose pas cela comme un sentiment que l'on doive suivre, je dis seulement mon goût, bon ou mauvais. Cependant je suis persuadée que, si on lisait un fragment qui nous reste d'une pièce de Cécilius, intitulée *Plocium*, qu'il a traduite de Ménandre, et qu'on prît la peine de le conférer avec son original (car Aulugelle nous a conservé l'un et l'autre), on serait convaincu qu'il n'y a pas de plus grands défauts dans les comédies, que ceux qui sont contre les mœurs et les caractères.

Un autre grand avantage que Térence a sur Plaute, c'est que toutes ses beautés contentent l'esprit et le cœur ; au lieu que la plupart des beautés de Plaute ne contentent que l'esprit. Et cela est très-différent ; l'esprit est borné, et par conséquent il n'est pas difficile de le satisfaire : mais

le cœur n'a point de bornes, et par cette raison il est très-mal-aisé de le remplir. Et, à mon avis, c'est là une des plus grandes louanges qu'on puisse donner à Térence.

Les préceptes et les sentences que les Grecs appellent διανοίας, sont encore plus nécessaires dans la comédie que dans la tragédie; mais il n'est pas aisé d'y réussir, parce qu'il faut se tenir dans les bornes d'une simplicité toujours trop resserrée pour des esprits vifs et impétueux. Cela est si vrai, que la plupart des sentences de Plaute ne sauraient entrer dans l'usage de la vie civile; elles sont enflées et pleines d'affectation: au lieu que dans Térence il n'y en a pas une qui ne soit proportionnée à l'état de celui qui parle, et qui dans le commerce du monde ne puisse trouver sa place à tous moments. Il était si délicat sur cela, que, lorsqu'il emploie des sentences qu'il a prises dans les poètes tragiques, il prend grand soin de les dépouiller de cet air de grandeur et de majesté qui ne convient point à la comédie; et j'ai souvent pris plaisir à considérer les changements qu'il y fait, et à voir de quelle manière il les transpose, pour ainsi dire, sans leur faire rien perdre de leur beauté.

Les plaisanteries et les railleries doivent être inséparables de la comédie. J'ai assez parlé de celles de Plaute; il est certain qu'il en a de fines et de délicates, mais il en a aussi de fades et de grossières. On peut dire en général que les plaisanteries sont pour l'esprit ce que le mouvement est pour les corps: comme le mouvement marque la légèreté ou la pesanteur des corps, les plaisanteries marquent la vivacité ou la pesanteur de l'esprit. Toutes les plaisanteries de Térence sont d'une légèreté, s'il m'est permis de me servir de ce terme, et d'une politesse infinie: véritablement elles ne font pas rire de ce rire qu'Homère appelle ἄσβεστον, *inextinguible*, c'est-à-dire, qui ne finit point. Mais ce rire n'est pas le but de la comédie, et je

sais bon gré à Aristote de l'avoir défini, *une difformité sans douleur qui corrompt une partie de l'homme sans lui faire aucun mal.* C'est pourquoi Platon condamne ce rire immodéré, et blâme fort Homère d'avoir attribué aux Dieux une passion qui n'est pas même pardonnable aux hommes. Térence suit partout les maximes des Platoniciens, qui veulent que toutes les railleries et toutes les plaisanteries soient autant de graces; et il en vient à bout si heureusement, que, dans ses mots même les plus libres, si on en excepte deux ou trois qu'il fait dire à un capitaine fort grossier [1], il n'y a rien que les personnes les plus scrupuleuses, les plus retenues et les plus polies ne puissent dire. Les graces ne font jamais rire, mais le plaisir qu'elles font n'est pas moins sensible que celui que cause ce rire extravagant.

Le premier peut être comparé au plaisir intérieur dont on est rempli quand on regarde un tableau où la nature est parfaitement bien imitée, et l'autre est entièrement semblable au sentiment que l'on a, quand on voit des grotesques; ce n'est que leur irrégularité vicieuse et leur monstrueuse difformité qui causent à l'esprit ces mouvements convulsifs que le vulgaire prend mal à propos pour les effets du plaisir. En un mot, il n'y a que le ridicule qui fasse rire; l'agréable est toujours sérieux, et entre l'agréable et le ridicule, il y a une distance que l'on ne saurait mesurer. Térence est donc en cela un modèle achevé, et je ne connais que Platon qui lui soit comparable.

Venons présentement au style. Il est certain que le style de Plaute est très-pur et très-agréable, et de ce côté-là il y a un grand profit à faire dans la lecture de ses comédies. Varron n'a pas fait difficulté de lui donner le prix du style sur tous les autres poètes et sur Térence même, *in sermo-*

1. Vide in Eunuch. *Thrasonis* personam.

nibus palmam poscit Plautus, et il dit ailleurs qu'Elius Stilo soutenait que si les Muses avaient parlé latin, elles auraient parlé comme Plaute. Mais je suis persuadée que ce jugement d'Elius Stilo et de Varron venait de l'amour qu'ils avaient pour l'antiquité, dont Plaute avait retenu beaucoup de façons de parler que ces grands hommes étaient bien aises de voir revivre dans ses comédies. Il est certain que le style de Plaute est plus riche que celui de Térence, mais il n'est pas si égal ni si châtié. Il est trop enflé en certains endroits, et en d'autres il est trop rampant, au lieu que celui de Térence est toujours égal, *puroque simillimus amni*. Et l'on peut dire que, dans toute la latinité, il n'y a rien de si noble, de si simple, de si gracieux, ni de si poli, rien enfin qui puisse lui être comparé pour le dialogue ; c'est une vérité que l'on sentira, si on le compare avec les dialogues de Cicéron ; ces derniers sont durs, si l'on ose parler ainsi des ouvrages d'un homme qui, à tout prendre, est au-dessus de tout ce que nous connaissons ; les caractères y sont confondus, ou plutôt ce n'est qu'un même caractère qu'il donne à tous les acteurs qu'il introduit. Que Brutus, Lælius, Caton, Fannius, ou d'autres parlent, c'est toujours Cicéron que l'on entend parler ; au lieu que dans Térence, outre la douceur et le naturel que l'on y trouve partout, il y a une variété merveilleuse ; enfin c'est le seul qui a su imiter les graces et la simplicité du dialogue de Platon.

Une chose encore très-considérable, c'est que plus on lit ces comédies, plus on les trouve belles, et que les esprits sublimes en sont plus charmés que les médiocres. Mais ce n'est pas encore assez ; Joseph Scaliger a eu raison de dire que les graces de Térence sont sans nombre, et qu'entre les plus savants à peine s'en trouvera-t-il de cent, un qui les découvre. En effet ces graces merveilleuses échappent aux yeux des plus fins ; car on peut dire de chaque vers

ce que Tibulle disait de toutes les actions de sa maîtresse :

Componit furtim subsequiturque decor.

C'est pourquoi aussi, comme Heinsius l'a fort bien remarqué, ces comédies demandaient des acteurs très-habiles ; car il n'y a presque pas un mot, pas une syllabe, qui ne renferme un sentiment délicat qui a besoin d'être soutenu d'une action très-fine. Mais quelques louanges que nous donnions aujourd'hui à Térence, nous ne saurions rien dire qui approche de l'éloge qu'on lui a donné de son temps ; car Afranius, qui était lui-même grand poète comique, et à qui Horace rend ce témoignage si avantageux,

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro.

a reconnu et publié qu'il n'y avait rien d'égal à Térence :

Terentio non similem dices quempiam.

Il n'en faut pas davantage pour détruire le jugement peu judicieux que Jules Scaliger a fait de Térence, quand il a dit que ce n'est qu'à notre seule ignorance qu'il doit toute sa réputation ; *hic nostra miseria magnus factus est.*

BOILEAU.

Térence est bien supérieur à Plaute, disait Boileau[1] ; toutes les expressions de Térence vont au cœur ; il ne cherche point à faire rire, ce qu'affectent surtout les autres comiques ; il ne s'étudie qu'à dire des choses raisonnables, et tous ses termes sont dans la nature qu'il

1. Notes historiques, en tête de l'édition de Boileau, publiée par les soins de M. *Daunou*, de l'Institut (académie des inscriptions et belles-lettres.) — Ce passage est extrait du *Boleana*, de *Monchesnay*.

peint admirablement. Les valets qu'il introduit sur la scène ne sont pas, comme dans Plaute, toujours sûrs du succès de leurs stratagêmes; les dénoûments ne sont pas prévus dès les premières scènes; il faut qu'un incident vraisemblable, mais inattendu, qu'une reconnaissance naturelle vienne au secours du valet dont la prudence a été trompée, etc.

Idem, SATIR. X (*in variis lectionibus*).

Elle (*la savante*) en accuse alors notre siècle infecté
Du pédantesque goût qu'ont pour l'antiquité
Magistrats, princes, ducs, et même fils de France,
Qui lisent sans rougir et Virgile et Térence.

Idem, ART. POÉTIQ. CH. III, V. 415.

Contemplez de quel air un père dans Térence
Vient d'un fils amoureux gourmander l'imprudence [1];
De quel air cet amant écoute ses leçons,
Et court chez sa maîtresse oublier ces chansons.
Ce n'est pas un portrait, une image semblable;
C'est un amant, un fils, un père véritable.

Idem, *Discours sur l'Ode*, DE LA PRISE DE NAMUR.

.... Ce précepte, qui donne pour règle de ne point garder quelquefois de règles, est un mystère de l'art, qu'il n'est pas aisé de faire entendre à un homme sans aucun goût [2] qui trouve Térence fade, Virgile froid, Homère de mauvais sens.

1. Vide Personas *Simonis*, in Andr. et *Demeæ in* Adelphis, ubi illæ partes fideliter repræsentantur.

2. Il s'agit de *Charles Perrault*, auteur du *Parallèle des anciens et des modernes*.

Idem, Stances à Molière sur la Comédie de L'ÉCOLE DES FEMMES.

.....
.....
Que tu ris agréablement!
Que tu badines savamment!
Celui qui sut vaincre Numance,
Qui mit Carthage sous sa loi,
Jadis sous le nom de Térence [1],
Sut-il mieux badiner que toi?

J. B. BOSSUET,

DE INSTITUTIONE LUDOVICI DELPHINI LUDOVICI XIV FILII AD INNOCENTIUM XI, PONTIFICEM MAXIMUM.

Quid memorem, ut Delphinus in Terentio suaviter atque utiliter luserit: quantaque se hic rerum humanarum exempla præbuerint, intuenti fallaces voluptatum ac muliercularum illecebras, adolescentulorum impotentes et cæcos impetus; lubricam ætatem servorum ministeriis atque adulatione per devia præcipitatam, tum suis exagitatam erroribus, atque amoribus cruciatam, nec nisi miraculo expeditam, vix tandem conquiescentem ubi ad officium redierit. Hic morum, hic ætatum, hic cupiditatum naturam a summo artifice expressam; ad hæc personarum formam ac lineamenta, verosque sermones, denique venustum illud ac decens, quo artis opera commendetur. Neque interim jucundissimo poetæ, si quæ licentius scri-

3. Boileau semble dans ces vers reconnaître Scipion pour l'auteur des comédies qui portent le nom de Térence. Mais c'est le seul endroit où il parle ainsi, et partout ailleurs il rend hommage à Térence lui seul.

pserit, parcimus : sed e nostris plurimos intemperantius quoque lusisse, mirati, horum lasciviam exitiosam moribus, severis imperiis coercemus.

J. F. LAHARPE,

COURS DE LITTÉRATURE,

LIV. Ier, CHAP. VI, SECT. 2.

Térence n'a pas un seul des défauts de Plaute, si ce n'est cette teinte d'uniformité dans les sujets, qu'il n'a pu faire disparaître entièrement, mais qu'il a du moins effacée, autant qu'il était possible, sur un théâtre où il ne lui était pas permis d'établir une intrigue avec une femme libre. Il ne pouvait, comme Plaute, donner à ses jeunes gens que des courtisanes pour maîtresses. Qu'a-t-il fait? Il a trouvé le moyen d'ennoblir cette espèce de personnages, de manière à y répandre une sorte d'intérêt. Il suppose ordinairement que ce sont des enfants enlevés à leurs parents, et vendus par fraude ou par accident. Leur naissance est reconnue à la fin de la pièce, dénoûment qui ne contredit rien de ce qui précède, parceque l'auteur ne leur donne que des mœurs honnêtes et une passion exclusive pour un seul objet. C'est ainsi qu'il a composé son *Andrienne*, qui a été transportée avec succès sur la scène française. Il n'y a pas chez lui un seul des caractères bas qui s'offrent dans Plaute, pas une trace de bouffonnerie, nulle licence, nulle grossièreté, nulle disparate. Des comiques anciens qui nous restent, il est le seul qui ait mis sur le théâtre la conversation des honnêtes gens, le langage des passions, le vrai ton de la nature. Sa morale est saine et instructive, sa plaisanterie de très-bon goût;

son dialogue réunit la clarté, le naturel, la précision, l'élégance. Toutes les bienséances théâtrales sont observées dans le plan et dans la conduite de ses pièces. Que lui a-t-il donc manqué? Plus de force et d'invention dans l'intrigue, plus d'intérêt dans les sujets, plus de comique dans les caractères. Mais est-il bien sûr que ce soit là ce que Jules César a voulu dire dans ces vers qu'on nous a conservés? « Et toi aussi, demi-Ménandre, tu es placé « parmi nos plus grands écrivains, et tu le mérites par la « pureté de ton style. Et plût au ciel qu'au charme de « tes écrits se joignît cette force comique qui t'était né- « cessaire pour égaler les Grecs, et que tu ne leur fusses « pas si inférieur dans cette partie! Voilà ce qui te manque, « Térence, et j'en ai bien du regret. »

Quels étaient donc ces Grecs qui avaient cette force comique qui manquait à Térence? Et comment Térence n'était-il que *la moitié de Ménandre?* On sait qu'il prenait communément deux pièces de l'auteur grec pour en faire une des siennes; et comme il n'a jamais de duplicité d'action, il est vraisemblable que les pièces qu'il empruntait étaient d'une extrême simplicité. Son exécution est en général fort bonne; il n'est faible que dans l'invention; et qui l'empêchait de profiter de celle des Grecs? Voilà une de ces questions que rendra toujours insoluble la perte que nous avons faite de tant d'ouvrages des Anciens.

Térence était né en Afrique, et fut élevé à Rome. Il faut qu'il y ait été transporté de très-bonne heure, puisqu'il a écrit si parfaitement en latin. Afranius, poète comique qui eut de la réputation dans le même siècle, dit en propres termes : *Vous ne comparerez personne à Térence.* Quand il proposa son premier ouvrage, l'*Andrienne*, aux Édiles qui étaient dans l'usage d'acheter les pièces pour les faire représenter dans les jeux publics qu'ils

donnaient au peuple, les Édiles, avant de conclure avec lui, le renvoyèrent à Cécilius, auteur comique, à qui ses succès avaient donné en ce genre une grande autorité. Le vieux poète était à table quand Térence, encore jeune et inconnu, se présenta chez lui avec un extérieur fort peu imposant. Cécilius lui fit donner un petit siége près du lit où il était assis. Térence commença à lire. Il n'avait pas fini la première scène, que Cécilius se leva, l'invita à souper et le fit asseoir à sa table; et lorsqu'après le repas il eut entendu toute sa pièce, il lui donna les plus grands éloges; exemple d'équité et de bonne foi d'autant plus intéressant, qu'il est plus rare que les grands écrivains soient disposés à louer leurs rivaux et à aimer leurs successeurs.

Térence était esclave; Phèdre le fabuliste le fut aussi. Plaute fut réduit à travailler au moulin : Horace était fils d'un affranchi. D'un autre côté, César et Frédéric ont cultivé les lettres; ce qui prouve qu'elles peuvent relever les plus basses conditions, et qu'elles ne dégradent pas les plus hautes.

Il fallait qu'on fût persuadé à Rome de cette vérité, même long-temps avant le siècle d'Auguste; car Scipion et Lælius passèrent pour avoir eu part aux comédies de Térence. Ce qui est certain, c'est qu'il fut honoré de l'amitié de ces grands hommes, et ce qui est vraisemblable, c'est qu'ils l'aidèrent de leurs conseils, et que leur bon goût lui apprit à ne pas suivre celui de Plaute.

S'il eut à se louer de Cécilius, il n'en fut pas de même d'un certain Lucius, vieux poète dont il se plaint dans tous ses prologues, comme du plus ardent et du plus acharné de ses détracteurs. Ce Lucius traitait Térence de plagiaire parce qu'il traduisait les Grecs, et Térence lui répond : « Toutes nos pièces sont-elles autre chose que « des emprunts faits aux Grecs? » Il paraît que Lucius

n'avait pas su emprunter avec autant de succès que Térence.

Il ne fut pourtant pas toujours heureux au théâtre. Sa pièce intitulée *Hecyra, la Belle-Mère,* ne fut pas achevée, parce qu'au milieu de la représentation on annonça un spectacle de gladiateurs, et que le peuple se porta en foule dans le cirque pour retenir ses places; ce qui obligea les comédiens de quitter la scène quand ils se virent abandonnés. Cette pièce me paraît la plus intéressante de toutes celles de Térence, quant au sujet; car on y desirerait plus d'action et de mouvement. Mais la fable pourrait servir à faire ce qu'on appelle aujourd'hui un *drame* qui, s'il était traité avec art, serait susceptible d'effet. Voici quel est ce roman : Un jeune Athénien, dans le désordre d'une de ces fêtes des Anciens, où régnait une extrême liberté, sortant d'un repas au milieu de la nuit, et pris de vin, rencontre dans l'obscurité, et dans une rue détournée, une jeune fille, et lui fait violence. Il va chez une courtisane qu'il aimait beaucoup, et avec qui il vivait depuis long-temps, lui conte son aventure, et lui donne un anneau qu'il avait pris à cette fille. Quelque temps après son père le marie. Toujours épris de sa maîtresse, il traita sa nouvelle épouse pendant deux mois avec une entière indifférence. Elle souffre ses froideurs avec une douceur et une patience inaltérable, ne se plaint point, et ne songe qu'à lui plaire et à s'en faire aimer. Elle commence à faire d'autant plus d'impression sur lui, qu'il est plus mécontent de l'humeur de sa maîtresse, qui ne peut lui pardonner son mariage. Enfin, il y renonce absolument, et devient très-amoureux de sa femme; cependant il est obligé de la quitter pour un voyage d'affaires. L'action de la pièce commence au moment du retour de Pamphile, et tout ce que je viens d'exposer s'est passé dans l'avant-scène. A son arrivée, Pamphile apprend que

Philumène (c'est le nom de sa femme), ne pouvant pas vivre avec sa belle-mère, s'est retirée depuis quelque temps chez ses parents; que dans ce même jour Sostrata (la mère de Pamphile) est allée pour rendre visite à sa bru, et n'a point été reçue chez elle. Il y va lui-même, et s'aperçoit que sa femme vient d'accoucher en secret, après avoir caché sa grossesse à tout le monde. Il n'est pas étonné qu'elle en ait fait un mystère, parce qu'il sait que l'époque où ses froideurs ont cessé, et où il a commencé à vivre avec elle, ne peut s'accorder légitimement avec la naissance de l'enfant. Il gémit d'être forcé de la juger coupable, et se résout dans sa douleur à ne la plus revoir. Mais ses parents et ceux de Philumène, qui ne sont pas dans le secret du lit conjugal, ne conçoivent rien à cette conduite de Pamphile, et s'imaginent que son éloignement pour sa femme n'a d'autre cause qu'un renouvellement d'amour pour Bacchis, cette courtisane qu'il aimait auparavant. Les deux pères prennent le parti de la faire venir, et de lui représenter le tort qu'elle se fait, et les dangers où elle s'expose, en brouillant ainsi un fils de famille avec son épouse. Bacchis proteste que depuis le mariage de Pamphile elle n'a voulu avoir aucun commerce avec lui. On lui demande si elle osera bien affirmer ce fait en présence de Philumène et de sa mère. Elle y consent, et cette entrevue éclaircit tout, et amène le dénoûment dont on est instruit par un récit. La mère de Philumène reconnaît au doigt de Bacchis la bague de sa fille, cette même bague que Pamphile avait arrachée du doigt de la jeune personne à qui, peu de temps avant son mariage, il avait fait violence dans l'ivresse et dans la nuit. C'était Philumène elle-même, qui n'avait fait confidence de son malheur qu'à sa mère; et sa mère, ne pouvant pas prévoir ce qui se passa entre sa fille et Pamphile, et croyant que le mariage couvrirait cette fatale aventure, en avait gardé le secret.

Il est à remarquer que cette pièce, dont le fond offrait peut-être plus d'intérêt que toutes les autres du même auteur, est très-froidement traitée. Philumène ne paraît point sur la scène : son état ne serait pas une raison pour Térence; car rien n'était plus facile que de la supposer accouchée en secret chez sa mère, peu de temps avant le retour de Pamphile. Bacchis ne paraît que pour l'éclaircissement de l'intrigue : ces deux personnages étaient ceux qui auraient pu y répandre le plus d'intérêt. Tout se passe au contraire en scènes de contestation entre les deux beaux-pères et la belle-mère ; scènes inutiles et ennuyeuses. Cette pièce est celle qui justifie le plus le reproche que l'on a fait à Térence, de manquer de force dramatique.

Brueys et Palaprat ont emprunté de l'*Eunuque* leur *Muet*, dont la représentation est agréable et gaie. On se doute bien que la pièce française est plus vivement intriguée que celle de Térence. Les comédies de l'ancien théâtre n'ont pas assez de mouvement et d'action, et c'est un des avantages que le nôtre s'est appropriés. La situation d'un jeune homme amoureux, introduit chez celle qu'il aime, à titre de muet, fournit nécessairement des jeux de théâtre d'un effet comique. Le *Chérea* de Térence, introduit en qualité d'eunuque dans la maison d'une courtisane, où loge une jeune fille dont il vient de devenir amoureux en la voyant passer dans la rue, et qu'il viole un moment après, ne prouve que l'extrême liberté des mœurs théâtrales chez les anciens. Le viol est chez eux un moyen dramatique assez fréquent. Ce qui peut les excuser, c'est que les lois n'accordaient aucune vengeance de cet outrage aux filles qui n'étaient pas de condition libre. Dans l'*Eunuque* de Térence, celle qui a éprouvé les violences de Chérea, est reconnue à la fin pour être citoyenne, et il l'épouse.

Ce qui nous paraîtrait bien plus étrange, et ce qui tient aussi à cette disparité de mœurs, qu'il faut soigneusement

observer dans les comparaisons du théâtre ancien et du nôtre, c'est le singulier marché conclu dans cette même pièce, entre Phædria, l'amant de la courtisane Thaïs, et le capitaine Thrason son rival. Thaïs demande ingénûment a Phædria qu'elle aime, qu'il veuille bien céder la place, pendant deux jours, au capitaine qui lui a promis une jeune esclave qu'il a achetée pour elle, et qu'elle voudrait rendre à ses parents. L'intention est bonne, mais la proposition nous semblerait un peu extraordinaire; cependant Phædria y consent. Il fait plus : à la fin de la pièce, un parasite, ami du capitaine, représente au jeune amant de Thaïs que ce capitaine est riche, qu'il aime la dépense et la bonne chère, que Thaïs aime aussi l'une et l'autre, et il conseille à Phædria, qui n'a pas les moyens de subvenir à tout, de consentir au partage avec le capitaine, et Phædria y consent. Il s'est montré cependant fort amoureux et fort jaloux pendant toute la pièce; mais c'est que les mœurs de ces peuples ne permettant guère aux jeunes gens d'autres amours que celles des courtisanes, il y entrait nécessairement plus de débauche que de passion; et cela seul explique combien nos mœurs sont plus favorables à l'intérêt dramatique, que celles des Grecs et des Romains.

Les auteurs du *Muet* ont emprunté à Térence ses plus heureux détails; mais c'est ici que l'original prend sa revanche : les imitateurs sont bien loin d'égaler sa diction et son dialogue.

Ce n'est qu'à Molière qu'il a été donné de surpasser Térence, même dans cette partie, quand il lui fait l'honneur de l'imiter. On sait d'ailleurs combien, sous tous les rapports, notre Molière est supérieur à tous les comiques anciens et modernes. Il a pris dans le *Phormion* de Térence le fond de l'intrigue de ses *Fourberies de Scapin* : ici c'est un valet fourbe qui dupe deux vieillards crédules, et leur escroque de l'argent pour servir les amours de deux jeunes

gens; là, c'est un parasite qui fait le même rôle, de concert avec un valet. Mais l'auteur français est bien au-dessus du latin par la gaîté et la verve comique. C'est pourtant dans cette pièce que Boileau lui reproche, et avec raison, d'avoir *à Térence allié Tabarin.* Molière, en effet, y est descendu jusqu'à la farce, ce que Térence n'a pas fait; mais nous savons aussi que Molière avait besoin de farces pour plaire à la multitude qu'il n'avait pas encore formée; et dans cette même pièce de *Scapin*, ce qui n'est pas de la farce est bien au-dessus de la pièce de Térence, et les scènes imitées du latin sont bien autrement comiques en français.

Il en est de même des *Adelphes*, quoique ce soit, après l'*Andrienne*, le meilleur ouvrage de l'auteur. Molière, dans l'*École des Maris*, a imité le contraste des deux frères, dont l'un a pour principe la sévérité dans l'éducation des enfants, et l'autre l'indulgence. Le mérite des *Adelphes* consiste en ce que l'intrigue est nouée de manière que celui des deux jeunes gens qui a le plus de liberté, n'en abuse qu'en faveur de celui qui a été élevé dans la contrainte. S'il enlève une fille à force ouverte dans la maison d'un marchand d'esclaves, c'est pour la remettre à son jeune frère, dont elle est aimée. Il arrive de là que l'instituteur rigoureux, qui oppose sans cesse la sagesse de son élève aux désordres qu'il reproche à l'autre, joue sans cesse le rôle d'une dupe, et c'est là le comique. Molière l'a fort bien saisi, et dans l'*École des Maris*, le tuteur à *verroux* et à *grilles* est dupé continuellement par Isabelle, dont il vante la sagesse, tandis que Léonore, élevée dans les principes d'une liberté raisonnable, ne trompe pas un moment la confiance de son tuteur. Mais l'on voit aussi que le plan de Molière remplit beaucoup mieux le but moral. Térence n'a fait qu'opposer un excès à un excès : si l'un des vieillards refuse tout à son fils,

l'autre permet tout au sien : ce sont deux extrêmes également blâmables; et qu'Eschine commette des violences et fasse des dettes pour son compte ou pour celui de son frère, sa conduite n'est pas moins répréhensible. Il en résulte seulement que le vieillard trompé fait rire en s'applaudissant d'une éducation qui dans le fait n'a pas mieux réussi que l'autre; au lieu que Molière, au comique de la méprise, a joint l'utilité de la leçon. Chez lui, le tuteur de Léonore est dans la juste mesure, et ne permet à sa pupille que ce qui est conforme à la décence. Il est récompensé par le succès, comme le tuteur tyran est puni par les disgraces qu'il s'attire : tout est dans l'ordre, et ce plan est parfait.

La plus faible des pièces de Térence est celle qui a pour titre *Heautontimorumenos*, mot grec qui signifie *l'homme qui se punit lui-même.* On voit encore ici un excès remplacé par un excès. C'est un père qui a séparé son fils d'une courtisane qu'il aimait, et l'a forcé de s'éloigner : depuis ce temps il est au désespoir du départ de son fils; il s'est retiré à la campagne, où il se condamne aux plus rudes travaux. Ce chagrin peut se concevoir; mais dès que son fils est revenu, il devient le flatteur de ses passions et le complice de ses esclaves, dont il encourage les mensonges et les escroqueries : toujours du trop. L'intrigue d'ailleurs roule sur une méprise à peu près semblable à celle des *Adelphes*, mais très-froide ici, parce qu'il n'y a personne à tromper.

Les six comédies que nous avons de Térence étaient composées avant qu'il eût atteint l'âge de trente-cinq ans. Il entreprit alors un voyage en Grèce, et périt dans le retour. Mais sur la durée de son voyage, sur l'époque et les circonstances de sa mort, on n'a que des traditions incertaines.

SCHŒLL,

(Histoire abrégée de la Littérature Romaine, Période II.)

Il existe six comédies de Térence, et rien n'indique qu'il en ait composé un plus grand nombre; car les cent huit pièces traduites de Ménandre que, d'après Suétone[1], il perdit dans un naufrage, n'étaient sans doute que des ébauches. Voici les titres des pièces conservées : 1° *Andria*, l'Andrienne, pièce régulière, imitée de deux comédies de Ménandre (Andria et Perinthia), que Térence a fondues ensemble, peut-être un peu aux dépens de l'unité d'action; Baron l'a imitée en français. 2° L'*Eunuque;* cette comédie paraît originale; seulement Térence y a fait entrer deux caractères, ceux de Gnathon et de Thrason, pris dans le *Flatteur* de Ménandre; elle eut un si grand succès qu'il fallut la donner deux fois le même jour, et qu'elle rapporta à l'auteur la somme de 8000 sesterces ou environ 1,500 francs, qui fut regardée comme un prix si extraordinaire, que les éditeurs en font mention dans le titre de la pièce. La Fontaine et Brueys l'ont imitée en français. 3° *Heautontimorumenos*, ou le père qui se punit lui-même de la dureté qu'il a exercée contre son fils. Le sujet est pris d'une pièce de Ménandre, mais Térence l'a doublé, en y introduisant deux pères, deux fils, etc. qui font contraste. 4° *Adelphi*, ou les Frères; c'est cette comédie que Molière a imitée dans son *École des Maris*. 5° *Phormio*, ou la corbeille d'osier d'après Apollodore. Molière a imité cette pièce dans ses *Fourberies de Scapin*. 6° *Hecyra*, ou la Belle-Mère, d'après le même poète grec.

A l'exemple de Plaute, Térence n'a produit sur la scène

que des caractères grecs et des mœurs grecques ; mais ses pièces sont plutôt des imitations que des copies. Ménandre a été son principal modèle ; mais en lui empruntant soit les plans de ses pièces, soit ses caractères, il modifia les uns et les autres au point qu'on peut les regarder comme étant de sa propre invention. Ses plans sont en général sagement conçus, ses caractères vrais et intéressants, son dialogue est celui de la bonne société. Il montre une grande connaissance du cœur humain et un goût délicat. Sous le rapport de la force comique, il est bien au-dessous de Plaute ; mais il le surpasse sous celui de l'art avec lequel il a travaillé les sujets que lui ont fourni ses modèles ; ses pièces sont plutôt faites pour plaire à un public instruit et éclairé qu'à la multitude. Sa diction est classique, facile et pure : cet auteur fit dans la langue latine une révolution notable.

Nous devons faire encore une observation générale sur le dénoûment de plusieurs comédies de Plaute et de Térence. Ces deux poètes tranchent quelquefois le nœud de leur intrigue, en faisant reparaître sur la scène un personnage qu'on croyait mort, ou en amenant des reconnaissances entre un père et un enfant perdu qu'on avait oublié depuis long-temps. Si cette manière de sortir d'embarras n'exige pas un grand effort de talent, au moins elle n'avait chez les anciens rien d'invraisemblable ni de choquant. L'usage dans lequel on était d'exposer les enfants qu'on ne voulait pas élever ; le droit des gens de ces peuples, d'après lequel les prisonniers de guerre étaient réduits dans l'état d'esclavage ; la multitude de pirates qui infestaient toutes les côtes et qui faisaient de fréquentes descentes pour enlever des enfants et de jeunes femmes, objets d'un commerce lucratif ; le peu de liaison qui existait entre les différents peuples avant que tous les pays policés fussent traversés par des routes, et avant l'éta-

blissement des postes et des hôtelleries publiques; la difficulté qui en résultait de faire des perquisitions pour retrouver les traces d'un individu perdu; toutes ces circonstances donnaient une grande probabilité à des événements qui ne sauraient aujourd'hui nous paraître naturels. Il ne faut donc pas faire un reproche à Plaute et à Térence de les avoir produits sur le théâtre.

Il faut encore moins leur reprocher les *à parte*, ou *doubles scènes* qu'ils emploient fréquemment : la construction des théâtres ou de ce que les anciens appelaient *la scène*, et qui représentait ordinairement une place publique à laquelle aboutissaient plusieurs rues, autorisait suffisamment un usage que les poètes modernes ne peuvent se permettre que rarement.

La comédie latine différait essentiellement de celle des Grecs, en ce que le chœur y manquait, et qu'elle avait des prologues que ne connaissait pas la comédie grecque. L'absence du chœur est indiquée comme un de ses caractères par le grammairien Diomède [1]; et si, à la fin de quelques pièces de Plaute paraît ce que les manuscrits appellent *grex* ou *caterva*, ce n'est autre chose que la troupe des acteurs ou celle des danseurs, musiciens et chanteurs qui avaient joué dans les intermèdes; ces intermèdes où la musique seule tenait lieu des chœurs, et qui remplissaient les entr'actes, ainsi qu'on peut le voir par le vers qui termine le premier acte du Pseudolus de Plaute. Quant au prologue, nous n'en trouvons pas de trace dans la comédie grecque; il est vrai qu'il existe une espèce de prologue dans quelques tragédies; mais ce prologue, mis dans la bouche d'un personnage déterminé, est nécessaire à l'exposition, tandis que dans Plaute et Térence il est prononcé au nom du poète. Il est vrai pourtant que nous connais-

1. De orat. l. III, ap. *Putsch.* p. 489 : Latina comœdia chorum non habet.

sons trop peu la comédie grecque pour pouvoir affirmer que cette espèce d'avant-pièce lui fût entièrement étrangère.

M. ANDRIEUX

DE L'ACADÉMIE FRANÇAISE.

ÉPITRE A DUCIS [1].

CÉCILE ET TÉRENCE.

.....
.....
.....
.....
.....

Oubliant ses lauriers et sa gloire d'auteur
Cécile était bonhomme, et s'en faisait honneur.
Un jour, un inconnu pour le voir se présente,
Tout jeune, et n'ayant pas l'apparence imposante;
Ses cheveux courts, laineux, et son teint basané,
Sous le ciel africain attestent qu'il est né.
Modestement vêtu, l'air encor plus modeste,
Une grace timide accompagne son geste;
Ses yeux noirs, enfoncés, sont pétillants d'esprit;
Il porte sous sa toge un épais manuscrit,
Qui le fait pour auteur aisément reconnaître.
Vieilli dans la maison, confident de son maître,
L'affranchi de Cécile introduit l'étranger,
Qui begaie une excuse, et craint de déranger.
D'un regard paternel Cécile l'encourage :
« Voilà comme j'étais, lui dit-il, à votre âge,
« Lorsqu'au vieux Livius j'allai me présenter.

1. OEuvres de F. J. G. S. Andrieux, tom. III, p. 185. — N. B. Tout en conservant le fond de l'anecdote, M. Andrieux a usé de son droit de poète en embellissant la vérité de quelques détails de son invention, et en lui substituant même des circonstances étrangères.

« Il me reçut fort bien, et j'aime à l'imiter.
« Que voulez-vous de moi? quel sujet vous amène? »
A cet aimable accueil, qui le rassure à peine,
Le jeune homme répond, qu'il attend en effet
Des bontés de Cécile un important bienfait :
« On touche aux jours brillants des fêtes de Cybèle ;
« Dans cette occasion et sainte et solennelle,
« Sur un vaste théâtre, aux Romains assemblés,
« Des spectacles pompeux doivent être étalés.
« J'ose former peut-être un désir téméraire ;
« Dit-il; mais si ma pièce à Rome pouvait plaire,
« Si, pour mon coup d'essai, j'étais assez heureux!...
« L'un des deux magistrats qui président aux jeux,
« L'édile Fulvius, accueillant ma prière,
« De la gloire consent à m'ouvrir la carrière.
« Mais d'abord, m'a-t-il dit, il faut qu'en m'éclairant,
« Un suffrage fameux voux serve de garant.
« Allez lire, un matin, votre pièce à Cécile.
« Il est maître en votre art.... » En disciple docile,
« Je viens solliciter vos leçons, votre appui. »
— « Ah! que me dites-vous? Apprenez qu'aujourd'hui,
« Tout exprès, je termine une pièce nouvelle;
« On me l'a demandée, on excitait mon zèle.
« Nos édiles eux-même, ils l'ont donc oublié,
« A plus d'une reprise instamment m'ont prié
« D'animer leur théâtre, et d'embellir la fête.
« J'ai travaillé long-temps; ma comédie est prête,
« La voilà; comment faire? Ah! vous venez trop tard. »
— « Je connais mon devoir en ce fâcheux hasard.
« J'aurai du moins la joie, ajoute le jeune homme,
« De mêler mes transports aux hommages de Rome,
« D'entendre proclamer votre nom glorieux.
« Je vous quitte. » En partant, des pleurs mouillaient ses yeux.
— « Eh quoi! de vos chagrins c'est moi qui suis la cause!
« De votre ouvrage au moins lisez-moi quelque chose. »
— « Ah! vous me consolez. Pour moi c'est un succès,
« Que vous daigniez prêter l'oreille à mes essais. »

— « Asseyez-vous ; lisez : un peu plus d'assurance.
« Comment vous nommez-vous ? » — « Je m'appelle Térence. »
— « Mon cher Térence, allons, je vais vous écouter.
« Notre art est difficile. Il nous faut consulter
« Sur nos productions un ami sûr, sincère ;
« Et nous serons amis vous et moi, je l'espère. »
Le jeune auteur déroule alors son manuscrit,
Approche un humble siège, et s'y place, et rougit.
Il commence en tremblant une première scène,
Vrai chef-d'œuvre. Il lisait cette belle *Andrienne !*
Cécile écoute, admire, enfin est transporté.
« O ciel ! quelle élégance et quelle pureté !
« Votre exposition est nette et naturelle.
« C'est ainsi, dans son art quand le poète excelle,
« Que l'art même s'efface. Où donc avez-vous pris
« De ce style enchanteur l'aimable coloris ? »
Plus la lecture avance, et plus le vieux poète
Applaudit au lecteur. « Cette pièce est parfaite.
« Continuez, mon fils, j'attends le dénoûment,
« Et puis, je vous dirai quel est mon sentiment. »
Lorsqu'enfin il arrive à la dernière page :
« Ne pas jouer cela ! Ce serait bien dommage,
« Dit Cécile ; je veux vous y servir : je dois
« Des Édiles pour vous déterminer le choix.
« Ils m'en remercîront en voyant l'Andrienne.
« Térence, vous serez l'honneur de notre scène.
« Il vaut mieux que mes vers cette fois soient perdus,
« Et que je laisse à Rome un poète de plus.
« Je sers l'art et moi-même, en vous rendant service. »
— « Eh quoi ! Vous me feriez un si grand sacrifice,
« Et j'obtiendrais de vous cet appui généreux ! »
— « Surpassez-moi, mon fils, je serai trop heureux. »
Il l'embrasse à ces mots. Cécile tint parole.
Bientôt on entendit aux murs du Capitole
Tout un peuple charmé par le jeune Africain,
Lui donner le surnom de Ménandre Romain.
Son vieil ami jouit de sa naissante gloire.

Que nous devons, Cécile, honorer ta mémoire!
Ah! quand le temps, jaloux de tes nombreux ouvrages,
Ne nous en a laissé qu'à peine des lambeaux,
Cette bonne action, digne de nos hommages
Doit nous faire encor plus regretter tes travaux.

M. AUGER

DE L'ACADÉMIE FRANÇAISE.

Essai sur la comédie latine et en particulier sur Térence[1].

Plaute et Térence prêtent si naturellement au parallèle, qu'ils n'y ont presque jamais échappé. Ce sont comme deux pendants qu'on ne peut guère voir l'un sans l'autre. Je vais, à mon tour, essayer de saisir et de marquer entre eux un certain nombre de rapports historiques et littéraires, qui se trouveront presque tous être des contrastes. Plaute naquit l'an 527 de la fondation de Rome, 227 ans avant Jésus-Christ. Térence vint au monde huit ans avant la mort de Plaute, et trente-cinq ans après sa naissance. C'est un court espace, sans doute; mais il est immense, si l'on considère qu'à cette époque la langue et la littérature des Romains marchaient de la barbarie à l'élégance avec cette rapidité qui est commune à la jeunesse de toutes les institutions. La même distance à peu près a existé entre Ronsard et Malherbe; et l'on sait que, du côté du goût seulement, l'intervalle entre leurs ouvrages en ferait supposer un bien plus considérable entre leur naissance: Plaute et Térence, pour des lecteurs modernes, offrent une différence presque aussi sensible. Térence fut esclave. Quel-

1. En tête d'une édition récente de la traduction de Térence, par *Lemonnier*. Paris, Janet et Cotelle, 1825, 6 vol. in-18.

ques-uns ont prétendu que Plaute l'avait été aussi; mais le plus grand nombre veut que, né de condition libre, il ait d'abord acquis, puis perdu une assez grande fortune dans le commerce, et qu'il ait été réduit pour vivre, à tourner la meule aux gages d'un meunier. Les opérations du négoce et les durs travaux de l'indigence sont peu favorables à l'observation comique : aussi Plaute paraît-il avoir négligé l'étude de l'homme et de la société, et avoir appliqué presque uniquement son génie naturel à l'imitation des comiques grecs. Ses maximes sont vulgaires; il a peu, disons mieux, il n'a pas de ces traits pénétrants qui vont comme au fond du cœur humain, pour y chercher, pour en faire sortir le secret caché dans ses replis. Quant à Térence, réduit d'abord à l'état de servitude, mais instruit par les soins, et bientôt affranchi par les bontés d'un maître opulent qu'avaient charmé les qualités de son ame et de son esprit, il s'éleva promptement par son génie au niveau des premiers citoyens de Rome : c'est un fait assez connu que l'amitié dont Furius, Lælius et Scipion l'honorèrent. Fréquentant de tels personnages, et placé au milieu d'une civilisation déja raffinée, il n'est pas étonnant qu'il ait mieux étudié, mieux saisi, mieux exprimé que son devancier le jeu des passions et des caractères. Plaute a cette gaîté de tempérament, qui est excellente pour s'étourdir sur les misères de la vie. Térence a cette plaisanterie de réflexion que fait naître dans l'ame d'un sage le spectacle des folies humaines. Plaute prodigue des bouffonneries, des quolibets dignes de la populace de Rome. Térence répand, d'une main trop avare peut-être, des railleries fines et délicates, propres à charmer le sage Lælius et l'hôte glorieux de Linterne. Cicéron, grand philosophe, grand orateur, grand citoyen, mais diseur d'assez méchants bons mots, admire beaucoup ceux de Plaute. Horace, un des plus fins railleurs de l'antiquité, n'en fait aucun cas; mais, en re-

vanche, s'il ne loue pas la gaîté de Térence, il vante infiniment la vérité frappante de ses caractères et le naturel exquis de son langage. Enfin, Plaute, mort à l'âge de quarante-quatre ans, laissa vingt-une comédies, fruits nombreux d'une verve rapide et peu châtiée. Térence, mort moins âgé que lui de dix ans seulement, ne laissa que six comédies, productions laborieuses d'un talent pur et soigné.

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

Térence, il n'est pas possible d'en douter, était d'un naturel sensible et mélancolique. Le fameux vers

Homo sum; humani nihil a me alienum puto,

semble être sorti de l'ame du poète, avant de passer par la bouche de son personnage. Aucun écrivain n'a peint plus souvent et avec plus de vérité, plus de charme, les affections naturelles, l'amitié, l'amour, la piété filiale, et sur tout la tendresse paternelle. Dans ses comédies, les fils sont légers, étourdis, libertins même : mais ils sont tendres et respectueux envers leurs pères ; les pères, soit qu'ils gourmandent leurs fils, soit qu'ils les excusent, ne montrent pas moins d'amour dans leur sévérité que dans leur indulgence. Toujours c'est l'accent vrai d'un cœur bien pénétré ; quelquefois c'est le sublime et le délire même du sentiment. Est-il rien de plus touchant que ce malheureux Ménédème, qui s'accuse et se punit d'avoir été trop rigoureux envers son fils, et de l'avoir contraint par ses duretés à fuir loin de la maison paternelle? Mais c'est lui-même qu'il faut entendre, faisant à son voisin Chrémès le récit de ses torts, de son infortune et de son expiation volontaire.

« Lorsque j'apprends son départ de ceux qu'il avait mis dans sa confidence[1], etc. »

Quel lecteur ne dira pas comme Chrémès : *Lacrymas excussit mihi.* Pour pénétrer jusqu'à cette profondeur dans le secret des entrailles paternelles, *c'est peu d'être poète*[2], il faut être père, et Térence l'était[3].

C'est à cette qualité que j'attribuerais volontiers en partie la chasteté qui règne en ses écrits. Celui qui est époux et père doit se respecter plus qu'un autre : il veut que la pudeur de sa femme n'ait à souffrir d'aucune de ses actions ni de ses paroles, et que l'innocence de ses enfants n'en puisse pas être altérée. L'amour, dans les comédies de Térence, n'est pas cet amour grossier, uniquement fondé sur les sens, et s'acommodant d'un partage qui ne peut rien lui enlever. A la vérité, il a presque toujours pour objet (les mœurs de la société et du théâtre le voulaient ainsi) des femmes vouées à la prostitution ; mais il est épuré autant qu'il peut l'être, par la sincérité d'une ardeur mutuelle, et par un désintéressement qui lui tient lieu d'honnêteté ; et son langage est aussi délicat que celui d'une passion légitime. Les esclaves, chez Térence, sont effrontés, audacieux, rusés, comme l'étaient leurs modèles ; mais ils n'ont pas l'impudence cynique et obscène des esclaves de Plaute. Chez Térence, enfin, tous les personnages, même ceux qui exercent les plus infâmes professions, respectent dans leurs discours la décence qu'ils violent dans leurs actions ; et, si l'on ne peut les voir sans mépris, on peut du moins les entendre sans dégoût. Aussi de très-légers changements ont suffi pour que les instituteurs les plus sévères pussent mettre les comédies de Térence entre les mains de leurs élèves.

1. Heautontimor. Act. I, sc. 1 : *Ubi comperi abiisse filium*, etc.

2. Boileau, Art poét. II, vs. 44.

3. V. la vie de Térence, à la fin.

M. DAUNOU,

DE L'ACADÉMIE DES INSCRIPTIONS ET BELLES-LETTRES.

Biographie universelle ancienne et moderne[1].

Article TÉRENCE.

. . . . . .

. . . . . .

L'un des premiers successeurs de Térence dans la même carrière, Afranius, le préférait à tous les auteurs comiques; gardez-vous, disait-il, de lui comparer personne. Quelque temps après, Jules-César le jugea plus sévèrement; il ne vit en lui qu'un demi-Ménandre, qui n'excellait que par les graces du style, et à qui la force comique avait manqué. Cicéron, au contraire, paraît croire qu'il a reproduit Ménandre tout entier, et loue sa philosophie profonde presque autant que sa diction élégante. En le comparant à Cæcilius et à Plaute, Varron le déclare le meilleur moraliste des trois, mais inférieur à Plaute dans le dialogue, à Cæcilius dans l'invention et la conduite de l'action théâtrale: il le trouve habile à peindre et à conserver les caractères des personnages, plutôt qu'à représenter et à exciter les mouvements des passions humaines. Horace lui attribue, sinon plus de génie, au moins plus d'art qu'à Cæcilius. Celui-ci et Afranius lui sont associés par Velléius Paterculus, qui nous les donne tous trois pour les créateurs et les modèles des graces de la langue latine. Quintilien rend hommage à l'urbanité de Térence, et lui reproche toutefois, ainsi qu'aux autres comiques latins, une versification irrégulière, trop peu de fidélité à la mesure du vers

1. *Chez L. S. Michaud, Libraire.*

iambique trimètre. Dans Aulugelle, Volcatius Sédigitus ne lui assigne, entre ces poètes, que la sixième place, après avoir décerné les deux premières à Cæcilius et à Plaute. D'autres juges, plus éclairés peut-être, n'y mettaient pas tant de différence : Pline le jeune voulant louer des lettres qu'on venait de lui lire, disait qu'il les avait prises pour du Plaute, ou du Térence mis en prose. Cependant Servius, le commentateur de Virgile, pense que, si l'auteur des Adelphes est supérieur à ses rivaux pour la convenance et la propriété des expressions, ils entendent mieux que lui les autres parties de leur art. Donat lui est plus favorable, et le félicite spécialement d'avoir bien connu son propre talent, de s'être consacré au genre comique, sans s'essayer dans le tragique, où il n'aurait pas réussi. Le grammairien Rufin d'Antioche estime sa versification, les vers trimètres de ses prologues, et son exactitude à terminer par des iambes les vers de ses premiers actes. Ausone enfin le qualifie l'ornement du Latium par son éloquence, du théâtre par son ingénieuse précision : « Tu m'entraînes, lui dit-il, à rapprendre, dans ma vieillesse, tes charmants dialogues. » Nous écartons plusieurs autres anciens auteurs, qui ont seulement cité, ou vaguement loué Térence, sans caractériser son talent; on voit assez, par les textes que nous venons de rappeler, qu'il n'était pas jugé d'une manière très-uniforme dans l'antiquité : cette diversité d'opinions s'est renouvelée chez les littérateurs des temps modernes. Au gré d'Érasme, il n'est pas d'écrivain qui ait plus contribué à la pureté de la langue latine : il n'en est pas de plus délicieux à lire ; et il y a plus de bon esprit dans une seule de ses comédies que dans toutes celles de Plaute. Les éloges de Jules Scaliger sont beaucoup plus restreints : il n'admire dans Térence que la beauté des formes ; le fond lui paraît pauvre, et l'action partout languissante. En l'envisageant comme écrivain, Vossius ne

lui préfère, chez les latins, que Cicéron. Daniel Heinsius accumule les épithètes pour vanter son jugement, son goût, son langage. Il a, selon le P. Rapin, bien d'autres avantages sur Plaute : il est plus régulier ; il sait mieux ordonner un drame, distribuer les actes, amener des dénoûments naturels ; et s'il est vrai qu'il complique un peu trop ses sujets, ce défaut est racheté par l'inimitable perfection de son style. L'un de ses plus rigoureux censeurs est Saint-Evremond, qui ne lui accorde que le talent de faire parler d'ignobles valets, des vieillards ridicules, de jeunes libertins ; et le plaint d'avoir ignoré la langue des passions et même celle de la galanterie. Mme Dacier, qui a traduit tout Térence et trois ouvrages de Plaute, ne sait trop auquel des deux adjuger le prix ; et en dissertant fort longuement sur le mérite de l'un et de l'autre, elle ne fait guère que recueillir les observations déja proposées. Rollin et la plupart des littérateurs modernes se sont bornés aussi à redire ce qu'on avait pensé sur ce sujet, et se sont abstenus de prononcer des jugements qui leur fussent propres. Toutefois Blair fait remarquer non-seulement la délicatesse du langage de notre poète, mais aussi la décence de ses dialogues, la simplicité pittoresque de ses récits, la sagesse de sa morale, l'intérêt des situations qu'il invente, ou qu'il perfectionne en les empruntant, la douceur des sentiments qu'il exprime et qu'il fait passer dans l'ame du spectateur et du lecteur. Blair en conclut que Térence est le père de la comédie sérieuse et qu'il mérite de très-grands hommages, quoiqu'il manque de force et de vivacité, et quoiqu'il y ait trop peu de variété dans les caractères et dans les intrigues qu'il met en scène. La gaîté de Plaute et la richesse de son imagination séduisent Marmontel, qui reconnaît pourtant que Térence est plus fin, plus enchanteur, plus habile à concilier l'agrément et la décence, la politesse et la plaisanterie, l'exactitude et la facilité. La-

harpe, d'un ton plus décisif, et presque sans restriction, décerne la palme à Térence, qui, dit-il, « n'a pas un seul « des défauts de Plaute, si ce n'est cette teinte d'uniformité dans les sujets qu'il n'a pu faire disparaître entièrement, mais qu'il a du moins effacée, autant qu'il était « possible, sur un théâtre où il ne lui était pas permis « d'établir une intrigue avec une femme libre. » En développant cette idée, Laharpe s'efforce de montrer comment Térence, obligé d'employer des courtisanes, a trouvé le moyen de les ennoblir, en leur donnant des mœurs plus décentes qui rendent vraisemblables les dénoûments, où elles retrouvent des parents honorables, auxquels, dès l'enfance, elles ont été enlevées par accident, ou par fraude: voilà, suivant l'auteur du Cours de littérature, voilà pourquoi il ne reste dans ces six comédies, ni caractère bas, ni aucune trace de bouffonnerie, de grossièreté ou de licence; et c'est ainsi que le poète a su observer toutes les bienséances théatrales dans la conduite de ses pièces, composer d'excellents dialogues, introduire sur la scène, avant lui trop dégradée, le vrai ton de la nature et la conversation des honnêtes gens, une morale instructive et des plaisanteries du meilleur goût. Rien ne manquerait à cet éloge, s'il était permis d'y comprendre la gaîté comique et le talent de l'invention; mais M. Lemercier en retranche au contraire tout ce qu'il faut pour que Térence retombe au-dessous de Plaute. Il serait superflu d'ajouter que les littérateurs romantiques, ceux qui n'admettent à-peu-près aucune théorie des compositions poétiques, aucune règle constante du bon goût; ceux qui pensent que nul empire légitime n'est exercé sur les beaux arts que par la mode, le caprice et l'enthousiasme, ne sauraient admirer un classique tel que Térence, ni lui savoir gré des exemples de sagesse, d'élégance et de régularité qu'il a laissés à la comédie moderne. Pour nous, persuadés qu'on doit de la

reconnaissance à ses travaux, des hommages à son habileté dans la science des mœurs et dans l'art d'écrire, nous avouerons néanmoins qu'il n'a nulle part l'originalité comique qui distingue les chefs-d'œuvre de Plaute, l'Amphitryon, les Ménechmes, l'Aulularia, la Mostellaria. A nos yeux même, les défauts reprochés à la comédie latine sont encore plus sensibles dans Térence que dans son rival : il ne peint jamais les mœurs romaines, il emprunte ses sujets aux poètes grecs, Apollodore, Diphile et Ménandre, et y ajoute fort peu de fictions nouvelles ; ses prologues sont monotones ; ses dénoûments s'opèrent par des apparitions soudaines, par des révélations imprévues, par des reconnaissances peu ménagées, quoiqu'en dise Laharpe. Il fait aussi beaucoup d'usage des *à parte*, ou des doubles scènes, qu'on jugerait pourtant avec moins de rigueur, si l'on se représentait mieux la construction des théâtres antiques.[1]

. . . . . .

1. Ce morceau renferme en résumé les principaux témoignages rendus sur Térence ; c'est ce qui nous détermine à ne point rapporter ici le texte même d'une grande partie des écrivains qui l'ont jugé. On peut s'en convaincre par les articles qui précèdent.

CATALOGUS EDITIONUM

EX RECENSIONE PERLETI.

PRIMA ætas, qua cœptus est edi Terentius, ab an. 1469 usque ad 1500, archetypa sive Editiones primarias exhibet, quæ pares codicibus scriptis merito habentur. Sed ante Editiones notandas commentatores antiquiorum temporum præmittimus, Æl. Donatum grammaticum eruditissimum ingeniosissimumque, Hieronymi præceptorem; Eugraphium, qui circa a. Chr. 998 vixit; Sulpic. Apollinarem, periocharum in Terentii fabulas auctorem, et Jo. Calphurnium Brixiensem, cujus commentarium in Terent. Heautontim. pro Donati desiderato magnifaciamus. Editio prima est incerti anni cum commentario Donati. Quæ vero creditur quidem esse anni 1469; sed nota hæc anni impressa sit, an manu adscripta non constat. Hanc ipsam tamen Editionem Westerhovius sæpissime laudat.

De anno 1470 Ed. Mediolan. I cum Donato in Ter. per Ant. Zarotum, impendio Jo. Legnani. fol.

1471. Veneta I, per Jo. de Coloina.

1472. Romæ Donati comment. sine textu.

1476. Mediolan. Petrarchæ, c. vita Terentii.

Ætas II, anno 1500—1532 ectyparum, quæ præsertim nobis sunt Ascensianæ, Juntinæ, Aldinæ, R. Stephani et Gryphianæ.

An 1500. Parisina I, cum nott. Jod. Badii Ascensii fol.

1503. Paris. Ascens. II, in-4.

1503. Argentoratensis, in-4.

1504. Paris. Ascensii, III, in-4.

1505. Juntina I, Florent. in-8.

1509. Junt. II, Florent. in-8.

1517. Aldina I, in ædibus Aldi, Venet. in-8.

1519. Rob. Stephani I, Paris. in-fol.

1529. Rob. Stephani II, Paris. c. Do. et Calph. comm. in-fol.

1532. Lugdun: Gryphii, c. schol. Melanchth. in-8.

Hæc ætas, quam Bipontini memorant 46 editiones prodidisse, commentatoribus fuit fecundior.

Ætas tertia ann. 1533—1565, quam criticæ nascentis dicere possumus, ab Erasmo elucet, duce criticorum, qui metrum quoque Terentii curavit. Eum secuti sunt Jo. Rivius, R. Stephanus, Ant. Goveanus, Glareanus, Georg. et Franc. Fabricii, J. C. Scaliger, J. Fabrius, P. Antesignanus et inter omnes, multa ausus qui maxime consuluit Terentio, M. Ant. Muretus.

1532. Basiliensis Frobeniana, ex recens. Erasmi, c. schol. ex Don. Aspero et Cornuto, in-fol. Editio hujus ætatis princeps.

1533. Paris. Robert. Steph. sine comm. in-8.

1534. Colon. c. nott. Erasmi Roterod. Jo. Rivii, Petr. Bembi, P. Marsi, Ph. Melancht. Chr. Hegendorphini, P. Mallati et Barth. Latomi. in-8.

1536. Paris. R. Steph. in-fol. In marg. metra passim offendi notata. Etymologice singula verba singulari studio explicantur.

1538. Ed. ex Erasmica principe (1532) repetita; Bas. Froben. in-fol.

Eod. an. R. Steph. Paris. Andria. in-4.

——— ibid. Eunuch. et Adelph. in-4.

1539. Ibid. Phormio et Hecyra. in-4.

1541. Terent. ab Ant. Govęano integritati suæ restitutus, Lugd. ap. Gryph. in-4.

1543. Veneta, Henr. Loritii Glareani judicio illustrata, ap. Mich. Sessam. in-8.

1548. Basil. c. comm. Don. Calph. Erasm. Melancht. Fr. Fabricii, Marcodurani et Theod. Pulmanni. in-8.

1555. Aldina (Mureti I) cura M. A. Mureti, ap. P. Manutium, Venet. in-8.

1556. Pet. Antesignani, Lugdun. in-8. Duæ ejusd. secutæ sunt 1560, in-4. Editiones hujus ætatis cognitæ sunt 74.

Ætas IV, criticæ artis, Gabriel Faerno duce excultior, ab an. circiter 1565 usque ad 1615. Post Faernum Scaliger, Riccius, Colerus, præsertim Lindenbrog. de Nostro bene meriti sunt.

Faernus usus est aliquot bonæ notæ codicibus, inter quos vetustissimo illo Petri Bembi a Politiano tractato, dein a Fulvio Ursino, pluris auro æstimato, quem is postea bibliothecæ Vatic. legavit. Notatus est sexcenties hic codex a nobis in notis criticis sub nomine libri Bembini.

1565. Faernianam Editionem post mortem auctoris P. Victorius absolvit. In qua vero Editione sua componenda Faernus usus erat codice antiquo, unde tamen frequenter discessit. Atque hunc codicem ego quidem, quotiescumque opus esset, nomine libri antiqui notatum citavi. Id quod certe præmonitum volueram; ne quis notantem ita me ignoraret.

1567. Bas. auctore anonymo; qua ipse usus sum subsidiis munita satis atque referta.

1572. Faerni, Juntina II, Florent. in-8, e prima 1565, repetita.

1587. Juntina III, Florent. ex emend. Faerni et Ed. Victor. Faerniana IV.

1590. Aldina (septima Mureti.) Ven. in-8.

1602. Fr. Lindenbrogii Ter. Com. c. Æl. Donati et Eugraphii vett. schol. integr. comm. ad Mss. codd. recensitis, additis propriis et Gab. Faerni, etc. Paris. in-4.

Ætas hæc tulit 69. Editt. quas novimus.

Ætas V, ann. 1615 — 1700 studii firmioris auctorem habuit Dan. Heinsium, qui textum Terentii tam acuto ingenio exploravit atque digessit, ut Faerniano fere præferretur. Hac ætate eminent quoque Pareus et Bœclerus, summa ingenii cura Poetam amplectentes. His adjungo Franc. Guyetum, qui tamen præcidendo resecandoque plusculos vel integros versus satis comminutum sibi fecit Terentium. Etiam Gallus alter, Tanaq. Faber, eadem fere usus est libertate in illum. Quamquam non infitiandum est, ambos eumdem magna sua opera illustrasse. At plus illis profuit Terentio Fabri filia, Anna Dacieria, et versione sua et notulis adspersis. Quæ mulier etsi nonnunquam doctrina et acumine ingenii viris præstaret, tamen non semper adyta poetæ penetravit. Præter illos alii fuerunt, qui in alienis collectis gloriam invenisse sibi putarent, alii contra, inter quos Farnabius, Casaubonus, Minellius, suis animadversionibus juventuti, pro virili parte consuluere.

1615. Dan. Heinsii I, prodiit, Lugd. Batav. in-12. Præmissa est dissertat. de Plauto et Terentio.

1618. Heins. II, Amstel. in-12. Editio perrara.

1619. Phil. Parei I, Neap. Nemet. in-4.

Eod. an. Heins. III, Amst. in-12.

1623. Fr. Lindenbrogii altera auctior et emendatior.

1635. Lugd. B. Heinsiana, typis Elzevir. in-12.

Th. Farnabii Editt. deinceps secutæ sunt 1651, Lond. et Amst. in-12.

1658. Amst. ap. Jans. in-12.

1661. Amst. c. n. Heinsii, in-12.

1662. Ibid. 1669. Ibid. ex recens. Heinsiana, in-12.

1657. Argentor. J. H. Bœcleri c. ann. et Chrestomath. Terent.

1670. Minelliana Roterod. in-12. Ead. 1672, 1680, 1690, 1699, repetita.

Ætas hæc 70 Editiones tulit.

Ætas VI, a. 1701—1767. Per hanc ætatem tres ex Anglis, John Leng, Franc. Hare et Rich. Bentleius Terentii lectionem post Faernum emendandam suscepere. Sed priores duos Bentleius critica arte antecessit. Quartum se adjunxit Arn. Henr. Westerhovius, Batavus, Perizonii discipulus, qui quamvis multos codd. Mss. ac præstantissimos contulisset, minus tamen ingenio suo, quam apparatui interpretum congesto fisus est. Metra partim veluti vana derisit, partim neglexit. Omnino autem, dum literis Terentii non pauca extraneorum ingenia operam darent egregiam, sane pœnitet fateri, Germanos quasi propria Minerva destitutos hoc satis habuisse, Minellii Editiones, id quod in ludicrum proverbium vulgaretur, ad modum Minellii, repetere, repetitas germanicis notulis effarcire atque complere.

1701. Catabrig. curante John Leng. c. var. lect. typis majoribus Acad. in-fol. min.

1724. Amst. c. vers. et notis Dacieriæ ap. R. et G. Wetsten. 3 vol. in-8. Edit. præstans.

1726. Rich. Bentleii, qui innumeris locis mutavit textum, adjecit emendationes Faerni, una cum Phædr. fabulis et P. Syri aliorumque vett. sententiis, Cantabr. et Lond. in-4. Metris Terentianis lucem attulit.

Eodem an. Arn. Henr. Westerhovii cum commentariis Donati, Eugraphii et Calphurnii, ipsiusque commentario suo perpetuo. Additæ sunt observatt. Fr. Lindenbrogii in Ter. et Do. etiam indices locupletissimi. Hag. Comit. in-4. Splendida Edit. et copiosissima.

1727. Amstel. Bentleii altera, denuo recensita, indice ampl. rer. et verbb. tam in text. quam in notas aucta, cur. Westerh. in-4, ap. Westen. Quas utrasq. Editt. sedulo adhibui in consilium.

1738. Lips. ad modum Minellii, in-12.

1762. Francof. c. n. germ. Sinceri, in-8. Hæc quoque non parum mihi profuit.

1767. Rom. ex recens. Heinsii, collata ad antiquiss. cod. Mss. Vatic. Car. Coquelin. 2 tom. in-fol. Edit. cura.

Ætas VII, 1767—1781. Ab hac novissima demum ætate incipit Germanorum studium doctrinæ ejusque externæ coacervandæ prius, dein domesticæ colendæ.

1774. Lips. ex recens. Lindenbr. c. ejusd. mss. lectt. et obss. atque Do. Eugraph. et Calph. comm. integris. Accedunt Bentleii ac Faern. lect. conjecturæ omnes, sed in compend. redactæ, it. Westerhov. in scholiast. lect. et conjecturæ, quib. et suas adspersit M. J. Zeune, etc. 2 vol. in-8.

1779. Bipontina c. select. variet. lect. et perpet. annot. Acced. ind. latin. c. interpretat. 2 tom. in-8.

1787. Zeun. altera.

1791. Lips. Rich. Bentl. altera repetita, in-8. De qua id notandum putabam, versum, in And. typothetæ vitio plane esse omissum. Etiam index verborum incertus est atque corruptus.

1794. Halensis cur. M. Benjam. Fr. Schmidero c. perpet. annot. et latinit. ind. in-8.

1806. Berolin. curante Fr. Henr. Bothe. Acced. icon Comici in æs incisa, in-8.

1812. Halæ, Brunsio auctore, qui codicem primus Halensem edidit, var. lect. editt. et scholia ex eod. cod. descripsit, etiam Ruhnkenii dictata in Ter. adjec. in-8. Hic cod. est idem, quem ego in farragine lectionum variarum modo Bru. c. e. modo c. Hal. signatum posui semper et commemoravi. Atque eumdem expertus sum cum codd. duob. Gothanis præsertim in glossis maxime convenire. Glossas autem ipsas edidi nomine veteris (V. I.) signatas.

* 1813. Ad optimas editiones. Lips. in-12.

1819. Ad optimas editiones. Lips. in-12.

1819. Ex recensione Rich. Bentleii. Berol. in-12.

1820. Lectissimis adnotationibus illustratæ curante ac recensente Aloys. Rossio. Mediol. 2 tom. in-8.

1820. Ex recensione et cum notis Zeunii : addita sunt Ruhnkenii dictata nec non selectissimæ virorum doctorum notæ. Lond. 2 tom. in-8.

1821. Ex manuscriptis recognovit variis, lectionibus, notis et indice philologico illustravit Fl. G. Perlet. Lips. in-12.

1823. P. Terentii Afri comœdiæ ex editione Westerhoviana, cum variis lectionibus, notis variorum, notitia literaria, et indice locupletissimo, accurate recensita. — Londini, A. J. Valpy.

VERSIONES TERENTII.

GALLICÆ.

1538. Par Octave Gallois. Paris, in-folio.

1646. Par St. Albin. Paris, in-12.

1670. Par l'abbé de Marolles. Paris, 2 tom. in-8.

1670. Par Martignac. Paris, in-12.

1687. Par Sibour. Strasbourg, in-12.

1688. Par madame Dacier. 3 tom. in-8.

1771. Par l'abbé Lemonnier. Paris, 3 tom. in-8.

1806. En vers français, par ***. Paris, 2 tom. in-8.

* Editiones sequentes recensuit novus Editor.

ITALICÆ.

1533. Da Fabrino di Fighine. Venet. in-8.
1732. Da Nicol. Fortiguerra. Rom. in-folio.
1767. Da Cur. Coquelines. Rom. 2 tom. gr. in-folio.
1816. Da Ant. Cesari. Veron. 2 Tom. in-8.

GERMANICÆ.

1563. Von Harnath. Francf. in-8.
1753. Von Patzke. Halle, in-8.
1784. Von Neide. Leipzig, 2 tom. in-8.
1790. Von Schmieder. Halle, 6 tom. in-8.
1794. Von Roos. Giessen, 2 tom. in-8.
1799. Von Kindervater. Jena, 2 tom. in-8.
1806. Von Einsiedel. Leipzig, 2 tom. in-8.
1815. Von Schlüter. Munster, 2 tom. in-8.

ANGLICANÆ.

1765. By G. Colman. Lond. in-4.
1767. By S. Patrick. Lond. 2 tom. gr. in-8.

ELENCHUS ALPHABETICUS

SCRIPTURÆ COMPENDIORUM

QUÆ IN HAC TERENTII EDITIONE INVENIUNTUR.

Arg.	Editio Argentina.
Bas.	Codex Basilicanus.
Bem. Be.	Codex Bembinus.
Bentl.	R. Bentleius.
Bip.	Bipontina Editio.
Bodl.	Bodleianus Codex.
Bœcl.	Bœclerus.
Bœnd.	Bœndermakeri Codex.
Both.	F. H. Bothe.
Bruns.	Codex Halensis D. Pauli J. Bruns.
CCC.	Ms. Collegii Christi Corporis.
C. G. ch.	Codex Gothanius.
C. G. m.	Cod. Goth. membraneus.
Calph.	Calphurnius.
Dac.	A. Dacieria.
Davent.	Editio Daventriensis.
Delph.	Editio ad usum Delphini.
Do.	Donatus.
EA.	Editio Anonyma.
EM.	Editio Mediolanensis.
EP.	Ed. Prima : ann. 1469.
Er.	Erasmus.
ET.	Editio Tarvisiana.
Eug.	Eugraphius.
E. V. 1.	Editio Veneta 1490.
E. V. 2.	..... 1512.
E. V. 3.	..... 1521. Aldina.
E. V. 4.	..... 1559.
Fa.	Faernus.
F. F.	Franc. Fabricius.
F. H.	Franc. Hare.
G.	Ms. Grævii.
Farn.	Farnabius.

G. F. Georg. Fabricius.

Glar. Glareanus.

G. M. Gothanus Ms. membranaceus: qui Frederico C. G. erlet antiquior videtur chartaceo. Vide GC. supra.

Gov. Goveanus.

Gu. 1. 2. Sic suos Guelferbytanos codd. appellat Both.

Guelf. 1. 2. 3. Hi sunt tres codd. sic ordinati a Perlet. De quatuor codd. Guelf. sic loquitur vir doctus: « Ante omnes, Guelferbytani, s. Wolfenbuttelani codd. quatuor maximo usui contigerunt. Quos ab Langero, bibliothecario meritissimo, venia data ab his qui ex intimis Sereniss. Ducis Brunswigæ florent, ut acciperem impetravisse me gratissimo animo testor. De his codd. membr. est unus, forma splendida, in fol. de anno 1433. Secundus mihi Guelf. cod in-4° est, vix aliqua re præter formam insignitus. Tertius scriptus est a duabus manibus diversis. Ultimum commemoro Guelf. librum, quem debeo humanitati Langeri ultro mihi superaddentis. » Cæterum, quod attinet ad tres priores horum codd. et quos nominamus Gu. 1. 2. hæc notanda judicavimus: Re diligenter perpensa, credimus Gu. 1. Bothii esse eumdem ac Guelf. 3. Perleti (Cf. VV. LL. ad Andr. vs. 100. Eun. Prolog. 3. Adelph. 1. I. 48. v. 8. 6.), et Gu. 2. Bothii eumdem esse ac Perletii Guelf. 2. (Cf. VV. LL. ad Andr. 191, et 218.) At, quoniam vix omnes nodos, qui nobis quærentibus erant impedimento, possumus expedire, potius eorumdem codicum lectiones repetere, quam in ambages et insidias lectores adducere visum est. Ergo quisque pro se judicet.

Guy. Guyetus.

Hul. Donati Ms. Hulst.

I. « Addo, » ait Perlet, « lectiones e codice Ienensi, Romano ac Veneto desumptas, quas variantes Bachius familiaris benigne mecum communicavit. »

Junt. Ed. Juntina.

Leid. 1. 2. 3. 4. 5. Codices Leidenses.

Lind. Lindenbrogius, s. Lindenbruchius.

M. Ms. Markianus.

Mur. Muretus.

Pal. et Pall. Palatinus et Palatini: Parei codices.

Par. Pareus.

Par. 1. 2. 3. Parei codices.

Perl. Frid. C. G. Perlet.

Pet. Codex Petrensis.

Pict.	Editio Pictaviensis.
Pr.	Priscianus.
R.	Ms. in Bibl. Reg. Paris.
RC.	Romanus Cod. apud Perlet.
Ruhn. Dict.	Ruhnkenii Dictata.
Riv.	Rivius.
St.	Editio R. Stephani.
Tr.	Codex Academiæ Trajectinæ.
V.	Codex Vaticanus.
Valp.	Edit. Anglica, curante Valpy.
V. I.	Vetus interpres.
Vi.	Victorianus Ms.
Vict.	« Victorius vel Victorianus cod. » Sic hæc nota in usu est apud Perlet, et sic ab eo explicata.
West.	Westerhovius.
Wiel.	Abr. Wielingius.
Wit.	Ms. V. D. de Wit.
Z.	Zeuniensis ed. Lond. 1820. Paucissimis exceptis, repetitio (si auctorem spectes) mera est editionis Frid. Lindenbrogii.
Zeun.	M. J. C. Zeunius.

PUBLII TERENTII AFRI

ANDRIA.

DE ANDRIA TERENTII.*

ACTA[1] Ludis Megalensibus[2], M. Fulvio et M. Glabrione Ædilibus Curulibus[3]. Egerunt L. Ambivius Turpio[4] et L. Atilius Prænestinus[5]. Modos fecit[6] Flaccus Claudii[7]

* *Andria Terentii.* Domina *Dacier* ingeniose animadvertit nomen Fabulæ, quum poeta ignobilis sit, anteponi; quum vero hic majore fama fruatur, ejus nomen Fabulam præcedere. Hæc comœdia nominatur Andria, ab Andro, insula maris Ægæi (*l'Archipel*), hodie *Andro*, in quam ejecta fuerat Glycerium cum patre. Vid. Andr. act. V, scen. IV.

1. *Acta*, Scilicet, Fabula.

2. *Ludis Megalensibus.* Hi ludi, et præsertim scenici, constituti sunt in honorem Cybeles, quæ græce μεγάλη μήτηρ, latine Magna Dea, seu Magna Deorum Mater vocabatur. Celebrabantur Mense Aprili. Plura de Cybele vid. apud Ovid. Fast, IV, 193. (Editionis nostr. t. VI, pag. 460). De hujusmodi ludorum origine cf. Tit. Liv. XXIX, XIV. Qui dicuntur a voce μεγάλη, μεγαλίνσια, vel detrita litera ν, μεγαλίσια, quod utrumque scribunt promiscue.

3. *Ædilibus Curulibus.* Ædiles erant magistratus, ex eo dicti quod principio *ædes* sacras et privatas curabant; postea annonam quoque curaverunt, et ludos, et spectacula publica quæ edebant (vid. infra). Propterea fabulas, tragœdias et comœdias a poetis emebant, agique mandabant. Cf. Eunuch. Prolog. vs. 20. Deinde duo ex Patriciis adjuncti; qui *curules* nominati sunt, quod honoris causa in curiam *curru* veherentur.

4. *Egerunt L. Ambivius*, etc. De Ambivio Cic. Catil. 14; Symmach. epp. 1, 31. Videtur fuisse unus de his, qui, more antiquo, ab ædilibus fabulas locarint gregi suo agendas, si Plutarcho confidamus hac de re disserenti.

5. *L. Atilius Prænestinus.* Quis hic fuerit parum constat, quia minus celeber in scena fuit. Id certe titulus hic docet, actorem eum cum Ambivio in Andria primarum et secundarum partium fuisse. Tertiarum partium actor, utpote ignobilis, nusquam memoratur.

6. *Modos fecit.* H. e. leges musicas præscripsit, quas tibicen in cantando, actor in agendo observaret; Gallice, *en fit la musique.* Verum ipsi modi qui fuerint, conf. Tit. Liv. VII, 2, et Cic. de Or. III, 26. Id. Tusc. Q. I, 44: «pressi et flebiles *modi*.»

7. *Flaccus Claudii* [*Filius*]. Notum est hunc cantorem tibiis paribus et dextris et sinistris cecinisse.

[filius], tibiis paribus, dextris ét sinistris[8]. Et est tota Græca[9]. Edita[10] M. Marcello et C. Sulpicio Consulibus[11].

Nam alius est actor qui recitet pronuntietve diverbia, alius cantor, qui modos faciat canticorum. De Flacco notat Muretus: « Hunc *Flaccum*, quisquis est, civem romanum natum fuisse, non est credibile, quum ignominiosa esset apud Romanos scenicorum artificiorum tota fere tractatio. » Id est causæ cur, quamvis sit in MSS. plerisque, nolint plures scribi *Claudii Filius*. Nam iste Flaccus non debuit esse ingenuus. Si illud admittas, intellige *Claudii Libertus*.

8. *Tibiis paribus, dextris et sinistris.* De tibiis non pauci disseruerunt, et diversissime. Ex his elicere placuit quæ verisimillima et aptius cohærentia judicavimus. — *Tibiis.* Tibia inde nomen accepit, quod olim ex crure sen *tibia* cujusdam animalis, equi, canis, gruis formata erat. Una plures tibiæ concinnatæ sunt, ita ut *tibiæ*, ex sensu, casu plurali, pro uno instrumento aut pro pluribus intelligi possit. — *Paribus.* Quum tibicen inflaret tantum unas tibias (*une seule flûte*), *imparibus tibiis*, quum autem binas (*deux flûtes à la fois*) *paribus tibiis* canere dicebatur. — *Dextris et sinistris.* Tibiæ dextræ et sinistræ dictæ sunt a parte vel dextra vel sinistra oris, unde inflarentur; fortasse a manu qua sustinebantur. *Dextræ* unum foramen habebant; ideoque sonum graviorem, et ut ait Apuleius, Floridor. I, bombum referebant. *Sinistræ* duo foramina habebant, ita ut sonus esset acutior, et desineret in tinnitum. Quod si dextræ et sinistræ una simul inflarentur, sonus erat mixtus ex gravi et acuto; et indicabatur modo seriam esse, modo jocosam fabulam. Si omnino jocosa, tibiæ tantum sinistræ. Si omnino gravis, tantum dextræ. Fiebat autem interdum ut in tota fabula non iisdem modis uterentur, sed sæpe eos mutarent; quod quum fiebat, adscribi solebat M. M. C. hoc est, Mutantur modi cantici. — Inde hoc loco, intelligendum est « adhibitas fuisse binas tibias, unas dextras, alteras sinistras, quia jocis et gravitate illa hæc Andria mixta est. » Illa sunt quæ, excussis variorum interpretum notis, explanari potuerunt.

9. *Et est tota Græca.* Quamvis fabula scripta sit latine, tamen expressit mores Græcorum. Scilicet, et est argumenti græci, et in ea inducuntur Græci.

10. *Edita.* Scilicet ab Ædilibus Curulibus, de quibus supra.

11. *M. Marcello et Cl. Sulpicio Consulibus.* Anno ab U. C. 587. Hunc quidem annum Pighius et Faber calculo subducto esse inveniunt. Petitum tamen secutus *Lemonnier* annum 588 exhibet. — Ex duobus istis consulibus, prior dicebatur Marcus Claudius Marcellus. Alter Caius (aut *Cneius* ex Zeunio) Gallus, erat vir doctus, de quo Cicero, Brut. 38: « Maxime omnium nobilium, Græcis literis studuit » Eo in scribendis fabulis adjutore usum esse Terentium suspicantur. Ille consularibus ludis initium fecit fabularum dandarum.

DRAMATIS PERSONÆ.

SIMO, senex, pater PAMPHILI; a *simo* naso nominatus. Simi iracundi.

PAMPHILUS, adolescens, filius SIMONIS; a πᾶν, et φίλος: omnium amicus.

DAVUS, servus SIMONIS; a patria. Davi enim iidem ac Daci.

DROMO, servus lorarius; a δρόμος, cursus.

SOSIA, libertus SIMONIS; a σώζειν, servare, in bello servatus.

CHARINUS, adolescens, amans PHILUMENAM; a χάρις, gratiosus.

BYRRHIA, servus CHARINI; a πυῤῥὸς, rufus.

CRITO, hospes Andrius, judex, arbiter; a κριτὴς, judex.

CHREMES, senex, pater PHILUMENÆ; a χρέμπτεσθαι, screare; quod senes screare solent.

GLYCERIUM, quæ et PASIBULA, filia CHREMETIS et amica PAMPHILI; a γλυκερὸς, dulcis.

MYSIS, ancilla GLYCERII; a patria *Mysia*.

LESBIA, obstetrix GLYCERII; a *Lesbo* patria, ferace vini suavissimi.

PERSONÆ MUTÆ.

ARCHYLIS, ancilla; ab ἀρχὴ, cui imperatur.

CHRYSIS, meretrix; a χρυσὸς, quæ auri pretio movetur.

C. SULPITII APOLLINARIS[1]

PERIOCHA[2]

IN

TERENTII ANDRIAM.

SOROREM falso creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus;
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc: nam aliam pater ei desponderat,
Gnatam Chremetis; atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Davi suasu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Hanc Pamphilo dat, aliam Charino conjugem.

1. Eum citat Gellius doctum et eruditum virum, quique Pertinacem imperatorem Latinas literas docuit.

2. *Periocha* est brevis explicatio rem comprehendens, a περιέχειν, comprehendere, complecti.

PUBLII TERENTII AFRI ANDRIA.

PROLOGUS.*

POETA, quum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur,

* *Prologus* (πρὸ, λέγω). Est oratio quæ ad spectantes, ante fabulam habetur, vel ut argumentum fabulæ narretur, vel ut poeta se suumque opus commendet. Sæpius utrumque fit in eodem prologo.

1. *Poeta.* Sc. Terentius. Hoc loco vox *poeta* dicitur ad designandum fabulæ scriptorem, eodem fere sensu quo apud nos, in præfationibus, quotidie scribitur *l'auteur*. Et præterea notandum est semper in prologis, quoties de auctore fit mentio, tertiam usurpari personam, quia non ipse auctor, sed actor unus loquendi partes tunc occupabat. Non vero credimus, ut plures, sub ista voce *poeta* latere aliquam Terentii mentem, honorifico se titulo ad spectatores commendantis. — *Animum ad scribendum appulit:* aliter legitur *attulit*. Sed priorem lectionem anteposuimus, nam infra act. II, sc. VI, « animum ad uxorem *appulit*. » — *Quum primum*, etc. Sensus est: quum primo poeta Terentius comœdias scribere voluit.

2. *Negoti.* Ita poetæ, Bentleio monente, non per duo *i*. Cf. Hor. Od. II, XVIII, 9, *ingeni*, pro *ingenii*. — *Id negoti sibi dari* h. e. hunc sibi tantum laborem imponi.

3. *Populo ut placerent quas fecisset fabulas.* Per attractionem, græce, pro *fabulæ*, ut Eunuch. IV, III: « *Eunuchum quem* dedisti nobis, quas turbas dedit! » Aut per ellipsin, substantivum *fabulæ* desideratur. Ordo tunc erit: ut fabulæ, quas fabulas fecisset, placerent populo.

4. *Verum aliter evenire multo intelligit.* Ordo est, *multo aliter*, et supplendum, « quam putaverat. »

5. *Operam abutitur.* Sic Vulg. at Par. ex MSS. Pall. *opera*. Utrumque idem valet, quia verba *uti*, *abuti*, *frui*, etiam cum accusativo junguntur. Plaut. Menœchm. IV, 1, 2. —

Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæso, animum advortite.
Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita dissimili sunt argumento, et tamen

Abuti, id est, rem in insolitum usum detorquere. Inde *operam* se *abuti* ideo Terentius dicit, quia, dum in prologo argumentum fabulæ narrare debuisset, pro more, necesse habuit operam impendere rei prorsus absimili.

6. *Non qui ... narret, sed qui*, etc., non ut ipse... sed ut, etc. — *Argumentum*, quod continet præcipuas fabulæ res.

7. *Veteris poetæ.* Hic erat Luscius Lanuvinus, poeta comicus non omnino malus, Terentio quidem florente jam senior, et ob illud, dictus hic *vetus* poeta (*ce n'est pas un poëte de l'ancienne comédie*). Vid. Aul. Gell. N. Att. — *Maledictis*, quæ sane in prologis quoque suis, vel in sermonibus contra Terentium vetus ille fabularum scriptor ingerebat. Notandum est ad confirmandam hanc interpretationem, Racinium nostrum in prima præfatione sui Britannici illa ipsa Terentii verba animo nimium maligno (pace tanti viri dixerim) contra magnum Cornelium intorsisse, quem *malevolum veterem poetam* designare non puduit. Sed ita notandum putamus, ut postea in altera ejusdem fabulæ præfatione hæc *maledicta* aliaque severiora in magistrum suum laudabili sane pœnitentia fuisse omissa confiteamur. Uterque summus poeta, si *non dissimili argumento, tamen dissimili oratione ac stylo* usus, maximum nostro theatro decus cæterisque populis invidendum attulit.

8. *Nunc* refertur ad τὸ *advortite*, et interpungi debet, « Nunc, quam rem.... » — *Dent*, subaudiendum est, adversarii. — Guelferbyt. *advertite*, pro *advortite*, quod ex usu veteri.

9. *Menander.* Comicus fuit celeberrimus Græcorum, princeps novæ comœdiæ, natus circa ann. ante Chr. 340, quem maxime secutus est Noster; ideo *dimidiatus Menander* a Cæsare nominatus fuit. Ex illius autem perditis fabulis nil nisi argumenta nobis supersunt. Vellei. Pat. I, 17. — *Andriam.* Vid. supr. Not. ad Titulum. — *Perinthia*, ejusdem Menandri fabula, sic dicta a muliere, quæ ex *Perintho*, Thraciæ urbe, venerat Athenas.

10. *Qui utramvis recte norit*, etc. Hic versus et sqq. indicant fabulas istas persimiles fuisse.

11. *Non ita dissimili sunt argumento.* Sunt quibus hic ordo placet: « ita sunt argumento non dissimili! » et intelligunt per exclamationem; nimis dure. Hic *ita* accipi debet pro valde, sicut fit quoties negativa particula præponitur. *Non ita* id est, *non* multum, *dissimili*, gallice, *ne diffèrent guères*. Sic Horatius: « modus agri *non ita* magnus, » i. e. non multum magnus. Proinde Noster voluit significare duas Menan-

Dissimili oratione sunt factæ ac stilo.
Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum; atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt, næ, intelligendo, ut nihil intelligant.

dri fabulas non valde dissimili fuisse argumento; quod idem, ac si dixisset, fere simili; et ob id unum dici potest, «qui utramvis recte norit.» Qui quidem versus subsequenti connecti debet, quasi interponeretur vox *enim*. — *Et tamen*. Ita Bentl. eleganter. Cf. Andr. IV, 1. Quam lect. *et* postea se apud Engraphium reperisse idem affirmat. Hanc præferimus, quia si admittatur *sed* ex pluribus, ratio carminis postulabit ut ex *argumento* litera *u* elisa, legatur *argmento*, sicut ex *tegumentum*, *tegmentum*, quod minus simplex.

12. *Oratione*. Oratio, sicut de omni scripto usurpabatur, exprimit seriem sententiarum quibus constat fabula, et proinde hoc loco totius fabulæ ratio, gallice *conduite, marche*. — Stilus, est color qui ex verborum concinnatione ad orationem accedit; et ille est seu auctori, seu operis generi peculiaris.

13. *Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia Fatetur transtulisse*. Sic interpungi debuit, quia hæ voces *in Andriam* non ad *convenere*, sed ad *transtulisse* pertinent. — *Quæ convenere*, sc. ea quæ apta et commoda Terentio occurrerunt ad contexendam suam Andriam, quæ et ipsa ex Andria Menandri desumpta erat. Non satis accurate vertit *Lemonnier, tout ce qui lui convenait*. — Post *Perinthia* ponunt *hic* Bentleius et deinceps *Perlet*, ex uno codice, ne Menander, sed Terentius ipse intelligatur; quod tum ex præcedentibus, tum ex sequentibus minime necesse est.

14. *Fatetur transtulisse*. Ante *transtulisse* subaudi *se*, quod alibi (Eunuch. Prol. 31) Noster exprimit. — *Atque usum pro suis*, hisque fabulis usum pro arbitrio, tanquam sibi propriis.

15. *Id factum*. Sc. transtulisse, etc. — *Isti*. Hoc pronomen per contemptum usurpatur de vetere poeta cæterisque Nostri invidis. — *In eo disputant*, disserunt et argumentantur de ea re, scilicet *non decere*, etc.

16. *Contaminari* res dicitur, quum alteri rei ita immiscetur, ut neutra incorrupta maneat. Calep.— Sic vitio dabant, quod Terentius mutuatus esset ex Menandro, quæ in rem suam convenerant, et ex pluribus fabulis unam fecisset. *Contaminari* hoc loco sensu minus acerbo dicitur, quam putat Domina *Dacier*, nec omnino pro, corrumpi, et temerari, quia supervacaneum est de ea re disputare, *corrumpi, adulterari* non decere fabulas, quod satis ex se liquet.

17. *Faciunt, næ, intelligendo*, etc.... *Næ* particula affirmativa desumpta e græco ναὶ, certe, profecto. Plures exhibent *ne*, absque diphthongo, et eodem sensu affirma-

Qui quum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic Noster auctores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam,
Potius quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.

tivo. Quæ scriptura facile explicari possit, si illud postremum a νὴ oriatur, sicut *ne* a ναί. Alii volunt scribi *ne* interrogative, et tunc intelligendum quasi esset *nonne*. Sed durius. — *Intelligendo*, ironice dictum; ut gallice diceremus, *avec leur intelligence*. Si aliter explicare velis, et ex græca lingua exempla depromere, notandum est verba activa quæ solent actionem quamdam exprimere, interdum et tantummodo mentem aliquid faciendi referre. Sic apud Sophocl. Œdip. Rex, 1454: « ἵν' ἐξ ἐκείνων, οἵ μ' ἀπολλύτην, θάνω. » Ἀπολλύτην significat, qui me perdere voluerunt. et ap. Electram, 320: « φιλεῖ γὰρ ἐκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ πράσσων μέγα. » Cogitans de faciendo. Et ita, *intelligendo*, significaret, volendo intelligere. — *Faciunt ut nihil intelligant*. Quum adeo multa subtilius congesserint, ad nihil aliud recidunt disputationes, nisi ut impliciti in suis retibus, nihil intelligant, et nihil intelligere se ostendant.

18. *Qui quum hunc accusant*. Vox *qui* ad præcedentia refertur, quasi esset, *utpote qui* — *hunc*, scilicet nostrum poetam, de quo tertia persona agitur. — *Nævium, Plautum, Ennium*. De his tribus vide Cic. Quæst. Tusc. I, 1. De Nævio præsertim Cf. Cic. de Orat. II, 63; itid. Brut. 15, 8. — Inde patet similiter istos contaminasse fabulas. Quas conscripserant Ennius et Nævius fabulæ perierunt; ex Plautinis autem quæ hodie exstant, una fortasse (Amphitryo) pro exemplo conjunctarum duarum fabularum, tragicæ et comicæ, esse potest.

19. *Quos hic Noster*, etc. Quorum auctoritate Terentius nititur. — *Auctor* ille dicitur, cujus exemplum sive consilium sequimur. — *Hic* vulgo refertur ad Noster, ut pronomen. Attamen non infeliciter accipi potest pro adverbio, et intelligi, « in hac fabula. »

20. *Negligentiam*. Liberalem audaciam, qua, neglectis Veterum præceptis, non dubitant excellentissimi scriptores nova admittere, si quæ in rem comicam melius factura esse prævident.

21. *Istorum*. Vid. sup. v. 15. — *obscuram diligentiam*. Diligentiam servilem et obscure præceptiunculis inservientem, nedum ad quidquam novi et præclari audeat assurgere.

22. *Dehinc ut quiescant, porro moneo. Dehinc*, postea, in futurum — *quiescant*, a continuis reprehensionibus abstineant. — *Porro* pro igitur, quo sæpe sensu occurrit, id est: « igitur, quum jam meis confutationibus victi, manus dare cogantur, moneo ut... »

23. *Maledicere* refertur ad objur-

Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum,
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ an exigendæ sint vobis prius.

gationes invidorum, quas repellit, nulla de ipsorum operibus mentione facta. — *Malefacta* dicitur de eorumdem fabulis quas minatur ita esse excutiendas, ut ipsi cogantur suos errores agnoscere, ut nimis dure fecit Racinius. V. not. 7, 8.

24. *Favete.* Jam ad auditores usitatis vocibus convertitur. — *Adeste*, fabulam spectate — *æquo animo*, nullis partibus studentes. — *Rem cognoscite*, vox e foro deprompta. Ergo *Res* hic non ad fabulam tantum pertinet, sed ad justam æstimationem poetæ, et objurgationum quæ in eum congeruntur. Fere similiter dicitur gallice, absoluto sensu: *prenez connaissance de l'affaire.*

25. *Ut pernoscatis.* Alii ex MS. *ut pernoscat is*, id est, poeta. *Farnabius.*

26. *De integro*, penitus novas, iterum. — *quas faciet comœdias*, etc. attractio, seu ellipsis, ut vs. 3.

27. *Spectandæ an exigendæ*, etc. Post *spectandæ* subaudiatur *ne*, et totius sententiæ sic ordo disponatur: « ut pernoscatis ecquid sit reliquum spei, comœdiæ quas faciet de integro, sint ne spectandæ vobis, an exigendæ, etc. » — *Exigendæ sint vobis prius.* Excludendæ, rejiciendæ a vobis, vel priusquam spectatæ fuerint.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

SIMO, SOSIA.

SIM. Vos istæc intro auferte; abite. Sosia,
Adesdum: paucis te volo. SOS. Dictum puta:
Nempe ut curentur recte hæc. SIM. Immo aliud. SOS.
Quid est,

28. *Vos.* Alloquitur servos una secum in scenam ingressos, et de foro empta portantes — *istæc*, scilicet onera, quæ alii interpretes aulæa, tigna, et reliquum apparatum esse volunt; alii obsonia, olera, pisciculos. Qui quidem sensus impugnatur a prioribus; quum nempe Davo infra, act. II, sc. II, suboluerit *nuptias non cohærere*, quia *paululum obsoni.* At istæ voces adeo non adversantur posteriori interpretationi, ut contra optime cadant in senis indolem, qui, quum in animo habeat nuptias tantum fingere [vid. infr. vss. 127, 168) istud paululum obsonii ad finem rei satis esse existimavit — *intro*, in domum meam; ex platea, ubi sistunt, et ubi scena agitur — *auferte*, ab, ferte, ferte hinc — *abite*, animadvertendum est aliquid intervalli esse inter duo verba, *auferte*, et *abite:* quia sane ad primos jussus cunctantes et cupidos, pro ingenio servili, audiendi quid Simo cum Sosia acturus sit, iterum discedere jubet, increpatque, concitatius dicendo, *abite.* Et fortasse redierant, oneribus ablatis, in plateam.

29. *Adesdum*, adesto, accede. *Dum* pro *tum* litera mutata, sæpe postponitur quibusdam vocibus, ut in *nedum*, *agedum;* ita ut hic *tum* intelligi possit, nunc quum soli sumus — *paucis te volo*, supple, verbis adloqui — *dictum puta*, crede me non minus tuam mentem perspicere, quam si jam locutus fuisses; et probare vult se non egere officio monitoris: hæc subjiciendo, *nempe* . . .

30. *Ut.* Ante *ut* subauditur præcedens verbum, ita ut restituatur, « vis dicere, ut. » — *Curentur recte*, apparentur quam accuratissime, et optime. — *hæc*, idem quod *isthæc* supra. — *Immo aliud;* id est, et hoc quidem quod dicis, et præter-

Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
SIM. Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro;
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. SOS. Exspecto quid velis.
SIM. Ego postquam te emi a parvulo, ut semper tibi
Apud me justa et clemens fuerit servitus,
Scis: feci ex servo, ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.

ea quoddam aliud. Non omnino ita intelligit *Lemonnier*, sed transfert, *non, toute autre chose*, et ita omnem vocis *immo* sensum perfringit. Notanda hic etiam ellipsis, « volo dicere, » ut supra.

31. *Mea ars*, scil. ars coquinaria; quamvis hæc vox alias denotet id quod est omnis peritia, aut calliditas. — *hoc amplius. Hoc* ablativo casu ponitur, regente *amplius*, et est pro, ut curentur recte hæc.

32. *Istlıac*, ista tua arte coquinaria, de qua tantum loqueris.

33. *Sed iis*, subaudi *artibus*; ne vero referas ad *fide* et *taciturnitate*, quod nimis durum. — *Artibus; ars*, singulari numero, artificium singulare sonat; plurali, virtutes, animi seu ingenii dotes — *intellexi*, agnovi.

34. *Fide et taciturnitate. Fides* est commendatorum fida exsecutio vel observantia. *Taciturnitas* vero observantiæ genus in silentio constituta et in celando secreta. D. — *Quid velis*, quæ tua sit voluntas.

35. *Ego postquam te emi a parvulo, ut semper...* Zeunius, *Perlet* et plures virgulam ponunt post *emi*. Nos assentimur Bruns. et V. C. *Lemonnier* qui eam post *parvulo* rejiciunt; quia, ut priores interpungendo, sententiæ ordo nimis asper; nec satis liquet ad quam vocem referendum sit τὸ *a parvulo*. Ita ergo interpretare, « postquam te emi, tunc quum parvulus esses. » — Revocant illa in memoriam quæ scripsit Sallust. Bell. Jug. X : « Parvum ego te, Jugurtha, etc. »

36. *Apud me justa et clemens fuerit servitus*. In tua servitute a me juste et etiam clementer tractatus fueris. *Perlet. justa* intelligit, tolerabilis, non dura; quod recusamus, quia certe voluit Terentius opponere *justa* et *clemens*, fere eo modo, *justa* in qua nihil iniquum jubetur; *clemens*, in qua etiam de justo multum remittitur. — *Servitus*, conditio servilis; non dominatus, ut vult Donat.; nam vox *servitus* ita a nativo sensu detorqueretur, ut omnino contrariam significationem hoc loco acciperet.

37 *Feci ex servo ut*, etc. Senex addit, *e servo*, ut vim beneficii exprimat. Ac si quis dicat, feci ut sanus esses, non tantam haberet gratiam quam si diceret, « feci ut ex ægro sanus esses. » D. — *libertus mihi*, i. e. mihi patrono. Hæc sunt cæterum e Menandro : ἐγὼ δὲ δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον. Farnab.

38. *Propterea quod serviebas*. Guy.

Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
Sos. In memoria habeo. Sim. Haud muto factum. Sos. gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo,
Et id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestum est : nam istæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

cum Bentl. præfert *servibas*, ut metro consulatur, nec a Veterum scriptura et pronuntiatione abhorret. — *Liberaliter*, ingenue, non servili modo, quia filii potius est amor, servi metus aut utilitas. Legerat apud Menandrum : Ἐλευθέρως δούλευε, δοῦλος οὐχ' ἕστ. (Liberaliter servito, servus non eris.) We.

39. *Quod habui summum pretium, persolvi tibi.* Amplissimam mercedem qua te donare possem, i. e. libertatem, tribui; — *pretium persolvi*, modeste et in honorem servi, dicit pretium debitum et redditum, non beneficium erogatum. Vide ut optime sibi constet verborum translatio, *pretium persolvere.*

40. *In memoria habeo.* Recte observatum a liberto, ut *in memoria habere* diceret, neque enim domino referre gratias potest, nisi per beneficii accepti recordationem. — *Haud muto factum.* Tantum abest, ut me pœniteat, ut contra nequaquam sit animus factum mutare. Poterat vero Simo; nam jure licebat ingratos libertos in servitutem retrahere. Sueton. Claud. Valer. Max. lib. II, c. 6. Alex. ab Alex. l. III, c. 20. Farnab. — Both. et Zeunius cum Palmerio sic distinguendum esse censent : *haud muto* (h. e. me non pœnitet). So. *factum gaudeo.*

40 — 42. *Gaudeo, Si tibi*, etc. Si quid feci, aut facio quod tibi placeat, Simo, gaudeo me fecisse; et immo in loco beneficii habeo, id (quod facio) gratum tibi fuisse. — Hic locus a plerisque longe aliter quam a nobis distinguitur. Punctum scilicet ponitur post *gaudeo*, quod tunc significat, quod gallice, *j'en suis charmé;* sed ita reliqua sententiæ pars inexplicabilis est, quia conjunctio *si* verbum quoddam præcipuum desiderat, ad quod referatur.

42. *Gratum advorsum te*, i. e. tibi gratum. *Advorsum* nonnunquam pro *erga* usurpatur, ut apud Tull. legitur de Nat. Deor. I, « est enim pietas, justitia advorsum deos » id est, erga Deos. — *Habeo gratiam*, pro mercede accipio, nec ullam a te aliam gratiam exspecto. Longe aliter intelligit *Lemonnier : Je vous suis obligé d'avoir bien voulu agréer mes services.*

43. *Sed hoc mihi molestum est. Hoc*, scilicet, hæc quæ mihi dicis, i. e. hæc ista recensio tuorum in me beneficiorum.

44. *Exprobratio immemoris beneficii.* Hic non prætereunda est illa Crusii interpretatio *immemori* legentis cum Bentl. Dandi enim casum *immemori* putat pendere ab *exprobratio;* quæ vox verbale nomen est. Atque hoc modo diceretur *exprobratur immemori*, ut dicitur *expro-*

Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis. 45
Sim. Ita faciam. Hoc primum in hac re prædico tibi:
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.
Sos. Cur simulas igitur? Sim. Rem omnem a principio audies.
Eo pacto et gnati vitam et consilium meum

bratur immemori. Placuit tamen persistere in recepta lectione *exprobratio immemoris*, pro, *in* immemorem, sicut dicitur *odium tyranni*, i. e. in tyrannum, *pudor patris*, pudor erga patrem. Sunt qui, sensu longe alio, ad *beneficii* referunt *immemoris*, ut sit sensus, isthæc commemoratio quasi est exprobratio *beneficii immemoris*, id est, cujus non meminerim. Eo sensu invenitur *memor* apud Hor. I Carm. Od. 13: « Sive puer furens Impressit *memorem* dente labris notam. » Hoc est, quod propter vehementiam non excidat a memoria.

45. *Quin tu uno verbo dic*, etc. Nullus interpretum videtur suboluisse quid difficultatis offerat vox *quin* juncta cum imperativo; plures, et ex his *Lemonnier*, accipiunt pro quid, cur non. Sed notandum eam vocem non interrogativo sensu usurpari nisi cum indicativo, vel etiam subjunctivo; et ergo, ut recte interpretarentur, oporteret Terentium scripsisse: *Quin dicis?* Hic ergo *quin* habet vim corripiendi, vel imperandi, et intelligi potest: «sed age, dic » ut Virg. Eclog.: « *quin age*, si quid habes; » et imprimis Noster, infr. act. II, sc. 6: « *quin* dic, quid est. » — *Quod me velis*, subaudi facere. Sic Plaut. Aulul. II, 2, « si quid *me vis*. » Perl.

46. *Ita faciam*. Dicam quid de te exspectem. — *Hoc primum in hac re prædico tibi*. De hac re, quæ agitur, hoc tibi primum denuntio.

47. *Quas credis esse has*, etc. Hic, ut sæpe alibi, syllepsis, et construe: hæ nuptiæ quas credis esse veras, non sunt veræ.

48. *Cur simulas igitur. Simulas*, absolute dictum, et sine regimine. Jam sibi Terentius parat, per interrogationem liberti, rationem exponendi fabulæ materiam. — *Rem omnem a principio audies*. Hic operæ pretium est afferre quid hoc loco annotaverint viri clariss. *Alexand. Duval*, et *Amaury Duval*: « ...Voilà une faute que les modernes, dans leurs expositions, n'evitent pas toujours. Doit-on raconter à un personnage élevé dans la maison ce qu'il est presque impossible qu'il ne sache pas? Mais à coup sûr, de nos jours, on mettrait plus d'adresse dans ce long récit.... L'exposition de la pièce n'en est pas moins très-heureuse. On peut même la regarder comme le type des expositions de la plupart de nos pièces modernes. »

49. *Eo pacto*; ita quum rem a principio repetam. — *Gnati*, cui nomen Pamphilus; alias *nati* per aphæresin. Optime dispositam animadverte sententiam. Primo explicabit nati vitam, quid inde consilii capiat, quid in hoc exsequendo facere velit Sosiam.

Cognosces, et quid facere in hac re te velim.
Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas : nam antea
Quî scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant? Sos. Ita est.
Sim. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos :

51. *Nam*, vox est incipientis narrare, et significat, « scilicet, nempe. » Sic Virg. Æn. II, v. 67 sq. « . . et crimine ab uno Disce omnes. *Namque* ut conspectu in medio... » — *is*, « gnatus ». — *Postquam excessit ex ephebis.* Idem est Græcorum, ἐξελθεῖν ἐξ ἐφήβων. Secundum Ruhnkenium : postquam excessit annum vicesimum ; « quod intelligendum, ait ille, ex moribus Atheniensium; apud quos ephebi erant adolescentes octodecim annorum, qui referebantur inter circuitores, vel eos qui regionem atticam circumirent; ubi biennium inter circuitores versati fuissent, *excedebant ex ephebis*, et extra Atticam militabant. » — *Sosia*, amica ibi compellatio heri ad libertum.

52. *Liberius vivendi fuit potestas.* « *Liberius*, quam quum inter ephebos versaretur, ut explicat ipse Simo infra : nam antea etc. »

53. *Quî*, « quomodo » — *posses*, pro potuisses; et præterea generaliter dictum, quasi : « quomodo quis posset. » — *Scire*, *noscere.* Simplicius est *scire* quam *noscere. Scire*, rem simpliciter scire; *noscere*, scire qualis ea sit.

54. *Ætas*, scilicet pueritia, propter mutabiles in puero affectus. — *metus*, *magister*, quia pædagogi metus nativam indolem non sinit sua sponte sese producere — *ita est*, « ut dicis ».

55-58. *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli* etc. Intellige, quasi ita construereur : ille studebat egregie præter cætera nihil horum, i. e. equos, canes, philosophos; nec ad hæc animum adjungebat, quod faciunt plerique omnes adolescentuli, qui scilicet adjungunt animum ad aliquod studium, seu alendi equos aut canes venaticos, seu adjungunt animum ad philosophos. — *Quod* nec in *quæ* vertendum est, ut sit *quæ plerique, omnes;* nec ad *singula eorum studia* referendum est. Pertinet autem ad præcipuam sententiæ partem id est, « *horum ille nihil*, etc... *studebat.* » — *Plerique omnes*, fere omnes. — *Alere*, pro *alendi*, studium alendi equos, aut est quasi accus. casus, *aliquod studium*, scilic. τὸ *alere*. — *Canes ad venandum*, i. e. canes venaticos. — *Ad philosophos*, intellige audiendos, et huc refer, *studium adjungunt.* — Hic Litterati quos jam (v. 48) citavimus : « Ceci est un trait épigrammatique, qui dénote l'origine grecque de la pièce. Simon, en parlant des goûts variés de la jeunesse, cite à la fois *les chiens*

Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat; et tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. Sos. Non injuria: nam id arbitror
Adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.
Sim. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati;
Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere;
Eorum studiis obsequi; advorsus nemini;
Nunquam præponens se illis: ita facillime
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.
Sos. Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore

de chasse, les chevaux, et les philosophes. C'est là le sel attique. » Hor. Art. poet. vs. 161 : « Imberbis juvenis tandem custode remoto *Gaudet equis canibusque.* » — *Horum nihil*, nullum horum negotiorum. — *Egregie*, ante alia negotia, quasi dixisset e grege, e numero aliorum, plusquam cætera adamabat.

59. *Studebat.* Verbum *studere* cum accusativo significat, rem ardenter expetere, desiderare. Cic. *Litteras studere*, i. e. studiosum esse litterarum. Contra, *litteris studere*, litteris operam dare; — *et tamen omnia hæc mediocriter*, subaudi, studebat. — *Mediocriter*, i. e. moderate.

60. *Non injuria.* Ablativo casu, et quasi adverbium; « non immerito gaudebas. » — *Arbitror id*, scilicet, ut *ne quid agatur nimis*, esse adprime utile in vita.

61. *Ne quid nimis.* Aureum sane dictum, quod ita vetus est, ut Græci ignari unde talis sententia prodiisset, non dubitaverint illam Apollini tribuere, cujus Delphico templo adscribebatur in fronte. Hellenice, μηδὲν ἄγαν · Gallice, *rien de trop.*

62. *Sic vita erat.* Ad sequentia *sic* refertur; jam de indole nati locutus pater, enarraturus est quæ esset ejusdem vita. — *Facile omnes perferre ac pati.* Vel subaudi *solebat* ante verba *perferre, pati*; vel construe : « perferre ac pati... dedere... obsequi, erat vita. » — *Perferre ac pati.* Is *perfert*, cui malum infertur; *patitur*, qui sinit illud fieri.

63. *Cum quibus erat cumque*, per tmesin, quod est sectio, pro : « cum quibuscumque erat. »

64. *Studiis*, voluntatibus, propensionibus — *advorsus nemini* erat.

65. *Illis.* Quidam legunt *aliis*, eodem fere sensu.

66. *Sine invidia*, excitata nullius invidia. — *Laudem*, bonam omnium existimationem. — *Invenire*, verbum eleganter usitatum pro *acquirere, adipisci*, ut Græcorum εὑρίσκειν, et ipse Noster, H. IV, VII, « labore *inventa* mea cui dem dona » et ibid. V, IV « et ut serves quod labore *invenerit.* » — *Invenias, pares*, verba secunda persona et tamen generaliter adhibita, quasi esset, *invenire, parare est.*

67. *Instituit*, præterito tempore positum — *hoc tempore*, quo vivi-

Obsequium amicos, veritas odium parit.
Sim. Interea mulier quædam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huc vicinise,
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma atque ætate integra.
Sos. Hei! vereor ne quid Andria adportet mali.
Sim. Primum hæc pudice vitam parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.

meus, ut nunc sunt hodierni mores.

68. *Obsequium*, indulgentia, facilitas in cedendo. — *Veritas*, quæ Græcis παῤῥησία. Molerius noster optime depinxit quid discriminis sit inter *obsequium* et *veritatem*, in personis duabus, *Alceste* et *Philinte*, vid. fabulam quam inscripsit *le Misanthrope*.—Satis ex se, et imo ex vocibus *hoc tempore* liquet, non fuisse Terentio mentem, proferre sententiam hanc, ut honestam. Ergo, qui aliquam hic poetæ paradoxa proferentis culpam agnoscere volunt, errant profecto. Nec iis præterea licet testimonium afferre Ciceronis. Ille quidem ita inducit loquentem Lælium (de Amic. capp. XXIV, XXV): « nescio quomodo verum est quod in Andria familiaris meus Terentius dixit: Obsequium etc. » Sed hoc loco Tullius monet quid in vera amicitia fieri debeat, dum Terentius exprimit quid fiat vulgo.

69, 70. *Abhinc triennium*, subaudi *ante*. — *Commigrare*, dicitur de iis, qui e loco in alium se conferunt. — *Huc vicinise*, pro, in hanc viciniam. *Huc* nonnunquam construitur cum genitivo. Tacit. Ann. III, 73: « *huc arrogantiæ* venerat. »

71. *Inopia*. Sperans sane, potiorem subsidii aleam Athenis quam in exiguo loco esse inventuram. — *Cognatorum negligentia*. Cavillatur tamen legibus atticis, ut ex cognatis proximus et ditissimus inopem cognatam aut duceret uxorem, aut dote donaret. Adelph. IV, v.

72. *Ætate integra*. Ætas est integra, quæ in flore consistit, cui neque addendum jam sit, neque quidquam adhuc sit imminutum. Virgilius, Æneid. lib. IX, vs. 255: « *integer* ævi Ascanius. » Donat.

73. *Hei*, interjectio dolentis et timentis — *adportet*. Sosia præsenti tempore utitur; quia nempe res, licet jam transacta, ipsi adhuc timenda est, qui eam non noverit; et jam a Simone auditurus est. — *Andria*, sic libertus nomine patriæ designat mulierem, cujus nomen proprium ignorat.

74. *Pudice*. Adverbium illud non omnino adjungendum nobis videtur duobus sequentibus, ut simul dicatur illam vivere pudice, parce, et duriter. *Pudice* ad totam sententiam refertur, et significat, in morem feminæ pudicæ. Non ergo sine industria a duobus adverbiis distractum fuit, sed contra procedere debuit ea, quæ de vivendi ratione Simo dicturus est.

75. *Lana ac tela*. H. e. lanificio

Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus et item alter; ita ut ingenium est omnium
Hominum ab labore proclive ad libidinem,
Accepit conditionem; dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus est;

et textura. Utrique vacabant mulieres apud Græcos et Romanos. —*Quæritans;* hoc diminutivo victus quotidie vix inquisiti tenuitatem innuit.

76. *Amans*, participium substantive positum, sc. amator—*accessit*, ad eam adiit, puellæ amorem captaturus — *pretium*, mercedem stupri; itid. Juvenal. Sat. II, 127: « Excepit blanda intrantes, *pretiumque* poposcit. »

77. *Unus et item alter*. Referuntur hæc ad *amans* vers. præc. Hanc locutionem de duobus tantum intelligi vult Donatus; falso. Nam infra versu 87, trium amatorum mentio fit. Præterea per dictionem *unus et alter*, plures quam duo designantur. Cic. ad Attic. XIV, XVIII. — *ita ut ingenium est*, quum ingenium sit.

78. *Hominum*; ita utrumque sexum designat — *ab labore proclive ad libidinem*, libenter a labore deflectit, ut libidinem sequatur.

79. *Accepit conditionem, dein quæstum occipit*. Primo amasios quosdam sese audacius offerentes admisit, et qua ipsi vellent conditione. Deinde, meretriciam artem professa, incepit ultro omne suæ vitæ subsidium in corporis quæstu ponere. — *Occipit*, præsenti tempore, pro præterito; id quidem sæpe fit in narrationibus; at nobis non satis in promptu est, cur Noster temporum rationem in eadem sententia tam subito mutaverit; quod nemo interpretum animadvertit.

80. *Qui tum illam amabant. Tum* quum puella quæstum occiperet. — *Amabant*, amatores erant. *Amare* in pravam partem hic interpretare pro illicita consuetudine, et eo sensu invenitur in Nostro Andr. I, II, 191: « Omnes qui *amant*, graviter sibi dari uxorem ferunt. » — *Forte, ita ut fit, filium perduxere illuc*. Censemus hæc verba, *ita ut fit*, ex adverbio, non ex verbo postposito pendere; ita ut fuerit in animo Simonis dicere non nisi fortuito casu accidere, ut adolescentes hoc modo perducantur in vitium.

81. *Perduxere*. Invitum traxere. Proprie dictum, et hoc genere vulgo usurpatum. De *perductoribus* scilicet agit Cicero Verr. I, XXXIII; et Ascon. « Lenones sunt scortorum; *perductores* vero etiam invitarum personarum. » — *Illuc*, per εὐφημισμὸν pro, ad domum meretricis. — *Esset*, ab *edere*, ut epularetur simul cum ipsis. Sensum confirmat quod sequitur v. 88, 89: « Symbolam dedit, cœnavit. »

82. *Egomet continuo mecum*. Sc. « cœpi cogitare, » omisso verbo, et sane de industria, ut decet motu

Habet. Observabam mane illorum servulos
Venientes aut abeuntes; rogitabam : heus, puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriæ
Illi id erat nomen. So. Teneo. Si. Phædrum aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum : nam hi tres tum simul
Amabant. Eho, quid Pamphilus? quid? symbolam

quodam animi præcipitem. Ita Virg. Æneid. lib. I, v. 40 sq. : « Quum Juno æternum servans sub pectore vulnus, Hæc secum : mene etc. » — *Certe*, sine dubio, pro certo. — *Captus est*, absolute dictum ex translatione ferarum quæ in venatu capiuntur; alludit forsan ad priorem Pamphili in studiis mediocritatem, quem nunc dicit teneri et irretiri laqueis puellæ. — *Habet*, sc. vulnus. Desumpta vox ab amphitheatro, ubi, quum gladiatores vulnus acceperant, populus clamabat, *hoc habet*, *habet*. Virg. Æneid. XII, 295 sq. « ... graviter ferit, atque ita fatur: *Hoc habet.* »

83. *Mane.* Quia jam a primo mane incipiebant amatorum cursitationes ad puellam. — *Illorum*, qui tum amabant.

84. *Venientes* ad Andriam, non ad Pamphilum, ut quidam volunt. Nam, nec passus fuisset pater; nec in propria domo uteretur hac compellatione, *Heus*, quæ vox est procul appellantis. — *Rogitabam*, quia non desinebat sedulo rogare.

85. *Dic sodes. Sodes* vox blandientis vel exhortantis, quasi dicat, quæro, rogo. Priscianus putat esse verbum : ait enim quædam verba esse quæ in usu carent personis, ut, cedo, *sodes*, salve, ave. *Sodes* dictum quasi, *si audes*. — *Quis heri Chrysidem habuit.* Non dicit *habuerit*, quia non incipit quærere, quum vocat, « dic sodes, » sed quum dicit « quis heri.... » Et ergo vox *quis* intelligenda est quasi non continuata narratione a verbo *dic*, verum incipiente ad *quis*. — *Habuit*, verecunde dixit, pro fruitus est Chryside. Cic. Epist. ad Div. IX, 26 : « *Habeo* Laida. » Eodem fere sensu Achill. Tat. VII, 9 : « ἐρωμένην εἴχεν. » — *Nam Andriæ* etc. Lepide relatam puero nunc absente allocutionem interrumpit, ut ad verum interlocutorem convertatur, in medio narrationis cursu.

86. *Teneo.* Optime intellexi. Hoc modo significat Sosia se præsensisse Simonem, quum Chrysidem nominaret, mentionem facere de Andria supra memorata, et ideo, ut integra constet liberti sententia, supplendum est, si velis : « Non opus est ista subjicere, nam teneo. » Gallice haud inepte redderemus, « *J'y suis.* »

87. *Dicebant.* Subaudi, habuisse Chrysidem. — Plurali numero hic utitur, quia non ad unius tantum servuli responsa, sed ad omnium quos rogitare poterat, attendit.

88. *Amabant.* Vide supra v. 80. — *Eho*, interjectio aliud ex alio rogitantis, et quærentis responsum. — *Quid Pamphilus* fecit. — *Quid?* Subaudi hic quoque, *fecit*, et intellige id et quæ sequuntur : « Symb.

Dedit, cœnavit. Gaudebam. Item alio die
Quærebam : comperiebam, nihil ad Pamphilum
Quidquam adtinere. Enimvero spectatum satis
Putabam, et magnum exemplum continentiæ :
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen;
Scias posse jam habere ipsum suæ vitæ modum.
Quum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.

ded. cœnavit,» propria esse servulorum responsa : « scilicet, inquiebant, rogitas quid fecerit Pamphilus? » — *Symbolam dedit.* Dicitur symbola a συμβάλλω, confero, et significat pecuniam quæ conferebatur ad cœnam vel compotationem communi sumptu apparandam. Gallice, *il a payé son écot.*

89. *Item alio die Quærebam.* « Similiter percontabar. »

90. *Nihil ad Pamph. quidquam. Quidquam* hic non abundat ut videtur Perleto, sed vim negandi auget, hoc modo, nihil quodcumque sit, id est nihil prorsus.

91. *Enim vero*, certe. — *Spectatum satis* eum fuisse. Non intellige *exploratum*, sed accipe eo sensu quo dicitur, vir *spectatæ* virtutis.

92. *Et magnum* « et putabam eum esse magnum exemplum. » — *Exemplum* de personis nonnunquam dicitur. Noster infr. Adelph. act. V, sc. 1 : « illud sis vide *Exemplum* disciplinæ. »

93-95. *Nam qui* etc.: « nam scias *eum* qui conflictatur c. ing. ejusmodi, *et cujus* tamen animus non comm. in ea re, posse jam habere ipsum mod. suæ vitæ. » Non recte autem instructa est sententia; quia priorem suam construendi modum oblitus Noster, ad novam phrasin se convertit. Simplicius tamen intelliget : « scias animum qui conflictatur, neque commovetur, etc. » optime sic opponitur *animus* (*le cœur*) τοῖς *ingeniis ejusmodi* (*méchants esprits*). — *Cum ingeniis ejusmodi*, id est cum hominibus talis ingenii; seu annuat Phædrum, Cliniam, Niceratum amantes, et alios similes, seu referat quoque ad ingenia meretricum. — *Conflictatur*, quasi in acie versatur. — *In ea re*, in eo conflictu, vel, in amore illicito. — *Scias*, pro scito; alloquitur Sosiam. — Ipsum refer ad eum, i. e. solum et *custode remoto*. — *Modum*, id est, moderamen et regimen.

96. *Quum, tum....* « Non mihi solum, sed etiam omnibus probabatur vita filii mei. » Hæc dicit, ne pater amore falli videatur. — *Omnia bona dicere. Bona* i. e. laudes; multa de filio prædicare. Subaudi, verbi gratia, *certabant.*

97. *Fortunas meas. Fortunæ* hic non de divitiis dicuntur, ut vulgo, sed de sorte et conditione.

98. *Meas, qui gnatum haberem.*

Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi; hic nuptiis dictus est dies.
So. Quid igitur obstat, cur non veræ fiant? Si. Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis vicina hæc moritur. So. O factum bene!
Beasti: metui a Chryside. Si. Ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens;

Id est *meas*, hominis *qui*. Post meas subjicitur relativum pronomen *qui*, quasi antea positum fuisset *mei*, et illud revera continetur in adjectivo *meas*. Usitatissima Syllepsis, apud Græcos «εἰ δέ μι δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς, ὅσαι νῦν ἐν χηρείᾳ ἔσονται, μνησθῆναι.» Thucyd. Adjectivum γυναικείας vices implet genitivi τῶν γυναικῶν, ad quem genitivum refertur ὅσαι. Et etiam apud Latinos. Horat. «*mea scripta legentis*» pro *mei legentis*.— *Tali ingenio*. Indole tam felici.

99. *Quid verbis opus est*. Pluribus verbis. Subauditur *ad* ante *Quid*. — *Hac fama*, «Qua meus filius fruebatur.»

100. *Ultro*. Prior, et id notat Simo, quia non moris est juvenes, sed potius puellas in conjugium deposci.

101. *Dote*, quod erogabatur puellis quæ nubebant.

102. *Placuit* «mihi conditio.» — *Despondi*. Pamphilam in matrimonium promisi. — *Hic dies*, hodiernus. — *Dictus nuptiis*, designatus ad celebrandas nuptias.

103. *Quid igitur obstat*. Erasm. omittit *igitur*, quo retento putat *veræ* expungendum esse, et post eum omittunt Zeunius, Westerh. *Lemonnier*. — *Cur non veræ fiant*. Alludit Sosia ad ea quæ supra dixit Simo, v. 47: «Quas credis esse has, non sunt *veræ nuptiæ*.» — *Audies* «jam-jam a me.»

104. *Fere*, circiter. — *In diebus paucis quibus hæc acta sunt*. Post paucos dies a diebus quibus, etc. — *Hæc acta sunt*, decreta fuerunt sponsalia.

105. *Vicina hæc*. «Eadem illa Chrysis de qua dixi.» — *O factum bene!* Formula gaudentis et gratulantis. Contra in adversis rebus, ut Catullus III, 16: «o factum male!» Perl.

106. *Beasti* «me. Securum ex sollicito feciste.» — *Beare* aliquem, i. e. alicui grata sive facere, sive dicere. Perl. — *Metui a Chryside*. Ne postea juvenem deperderet. Unus ex omnibus qui sunt in manibus, legit Perletus «*ei* metui a Chryside.» Pluribus assentire placuit, eo magis quod paulo post Simo *filius* dicit, quod forsan non fecisset, si ille antea a Sosia fuisset designatus. — *Ibi*, sc. in domo mortua, ut supra eodem sensu, v. 81, *illuc* dixerat.

107. *Frequens*, pro frequenter;

Curabat una funus; tristis interim,
Nonnunquam conlacrymabat. Placuit tum id mihi.
Sic cogitabam : hic, parvæ consuetudinis
Causa, hujus mortem tam fert familiariter :
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingenî,
Mansuetique animi officia; quid multis moror?
Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
Nil suspicans etiam mali. So. Hem, quid id est? Si. Scies.
Effertur; imus. Interea inter mulieres,

adjectivus pro adverbio usurpatur.

108. *Una*, cum eis. Vocem *una* iteravit, de industria. — *Funus*, funebrem pompam. — *Interim*, dum funus parabatur.

109. *Conlacrymabat*, cum amatoribus. — *Tum*, « quia nihil adhuc suspicabar mali. » — *Id*, talis mœstitia.

110. *Sic cogitabam*. « Hæc mecum dicebam. » — *Hic* filius. — *Parvæ consuetudinis causa;* ob consuetudinem, quam *parvam* Simo dicit, et quia brevissima fuerat, et quia dixerat puer : hoc solum egisse Pamphylum, « symbolam dedit, cœnavit. » — Citantur hi versus a Ciceronis Antonio lib. II, de Oratore, exemplum argumentationis a minori. Farnab. Et præterea occurrit simile argumentum in tragœdia cui titulus *Andromaque*, Act. IV, sc. v, ubi *Hermione* :

Je t'aimais inconstant; qu'aurais-je fait fidèle?

111. *Familiariter*, « æque ac si Chrysidis fuisset familiæ. » Perl. — Eodem sensu Plin. Jun. Epist. IX, XIX. Edit. huj. tom. II, pag. 74, « *familiariter* ab eo dilectus. »

112. *Quid* faceret. — *Ipse*, alio-rum exemplum secutus. — *Quid mihi hic faciet patri.* Vide quam venuste repetierit *hic*. — *Mihi* circa me; et postquam *mihi* dixit, pondus intulit nominis dicendo, *patri*. Donatus.

113. *Hæc ego putabam*... « Ego putabam omnia hæc esse officia, id est, effectus et acta ingenii humani et animi mansueti. » — *Humanus* dicitur de eo qui omnes, ut hominem decet, piis et teneris sensibus complectitur. — *Ingenium* ad humanitatem disciplina flectitur; *animus* autem natura ad mansuetudinem comparatur.

114. *Quid multis moror?* « Quid diutius, nimis multa commemorando, in parvis et exiguis immoror? »

115. *Egomet*, « ego ipse, » et insistit fortius dicendo, *egomet quoque*. — *Ejus causa*, « sc. filii; ut sequerer exemplum filii. »

116. *Etiam*, adhuc. — *Nihil mali* a Pamphilo. — *Hem*, hic vox solliciti animi, et timentis quæ sequentur. — *Scies*. « Jamjam, me dicente. »

117. *Effertur*. Verbum funebre. *Efferri* mortui dicuntur ex ædibus;

Quæ ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam,
Forma... So. Bona fortasse? Si. Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.
Quæ quum mihi lamentari præter cæteras
Visa est, et quia erat forma præter cæteras
Honesta et liberali, accedo ad pedissequas:
Quæ sit, rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animum: at at! hoc illud est.
Hinc illæ lacrymæ, hæc illa 'st misericordia.
So. Quam timeo quorsum evadas! Si. Funus interim

sic Liv. I, 59: « *elatum* domo Lucretiæ corpus in forum deferunt. » Itidem Aristophanes R. v. 170: « ἐκφέρουσι τουτονὶ νεκρόν. » P.—*Imus*, verbum quoque funebre, pro ire ad exsequias. Cf. Ph. V, VIII. — *Interea*, dum funus procedit.

119. *Forma...* Sos. *bona fortasse.* Interrumpit loquentem Sosia, ut ipse persequatur, quod is inchoaverat de adolescentula. — *Fortasse*, sono vocis interrogativo, quasi scire velit, an juste hariolatus sit. — *Et voltu*, pergit Simo, et accipit quasi a se dictum quod subjecerat Sosia, *bona forma.*

120. *Modestus* ad probitatem vultus et morum pertinet, *venustus* ad naturam corporis. *Donat.* — *Ut nil supra*, subaudi, esse possit.

121. *Præter cæteras*, plusquam cæteræ.

123. *Honesta*, i. e. pulchra et eleganti. — *Liberali*, quæ indicaret liberam et ingenuam virginem. — *Pedissequas*, ancillas quæ illam *pedibus sequebantur.*

124. *Sororem esse.* Subaudi *illam.*

125. *Percussit* etc. H. e. responsio percussit suspicione. — *At at!* interjectio aliquid ex improviso deprehendentis. — *Hoc illud est.* Mimesis eorum quæ cogitaverat Simo. « *Hoc* quod subito intellexi ex tali responso, est *illud* quod jam antea subolueram animo; scilicet non tam ab humanitate et mansuetudine mœrorem, quam ab aliquo amore proficisci. »

126. *Hinc*, ex *hoc* eodem quod subito etc. vid. supra. — *Illæ lacrymæ*, « quas natus fundebat non mortuæ, sed dolentis sororis causa. » — *Hæc* pro *hoc* per syllepsin et ellipsin adhibetur, quasi esset *hoc est illa misericordia.* « *Hoc* quod nunc agnosco, explicat optime cujus esset generis misericordia *illa*, quam ostendebat filius, quum tristis nonnunquam conlacrymaret. » — *Illæ lacrymæ.* Id in proverbium abiit, quum causam rei, quæ nos diu latuerat, indicamus. Citatur Terentianum hoc, Hor. Epist. lib. I, XIX, 41, et Cic. in Orat. pro Cælio — *Illa 'st misericordia.* Vulgo ultima vocis præcedentis litera, et sæpe prima subsequentis, per apostrophen eliditur, ut hic. Item Græci, ὦ' γαθὲ pro ὦ ἀγαθέ.

127. *Quorsum evadas*, ad quem

Procedit; sequimur; ad sepulcrum venimus;
In ignem imposita'st; fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Sati' cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat;
Adcurrit; mediam mulierem complectitur.
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter.
So. Quid ais! St. Redeo inde iratus, atque ægre ferens.

exitum narrando devenias. Hac interpellatione Sosia a digressione facta retrahit senem, qui statim festinat ad eventum. — *Interim*, « dum hæc mecum reputabam. »

128. *Ad sepulcrum venimus.* Ad locum quo defuncta corpora crematabantur, eorumque reliquiæ sepeliebantur.

129. *Imposita 'st.* Ubi in ignem posita fuit. — *Fletur* dicitur de fletibus, quos cognati aut mulieres conductitiæ fundebant, tum quum defuncti cadaver rogo esset impositum.

130. *Imprudentius*, non animadvertens, utpote propter dolorem parum sui compos.

131. *Sati' cum periclo.* Ante *satis* verbum præcedens *accessit* subaudiendum est. — *Ibi tum exanim. Pamph.*, tunc, quum hæc fierent. Cicero, in Verrem V : « Quid tu ibi tum, quid facis? »

132. *Bene dissimulatum amorem et celatum indicat. Bene.* refer ad *dissimulatum et celatum*, et intellige « docte et callide diss. et celat. » — *Dissimulat*, si quis fingit id non esse quod est. *Celat*, qui non detegit quod est revera.

134. *Mea Glycerium.* A dulcedine dictum nomen γλυκέριον. Quod etsi desinat sicut neutrius generis nomina, femineum tamen hic genus obtinet, quia singulariter de una muliere dicitur. — *Perditum.* Supinum, quo vox *te* regitur.

135. *Ut facile cerneres*, ita ut facile cernere liceret. — *Consuetum amorem.* Non recentem, sed assidua consuetudine inveteratum.

136. *Rejecit se in eum flens quam familiariter.* Illud, *quam familiariter*, non debet jungi cum *flens*, sed cum *rejecit se*, et verba sic ordinanda, « Tum illa flens rejecit se in eum familiariter. » — *Quam familiariter.* Tò *quam* cum positivo significat, valde, admodum. Sic Cæsar, Bell. Gall. VI, XXVI : « rami *quam late* diffunduntur. » De sensu adverbii *familiariter*, vid. supra v. 111.

137. *Quid ais!* Non interrogantis, sed mirantis est. Donat. — *Redeo*, præsens pro præterito vividius, ut sæpe fit in narrando. — *Inde*, ab exsequiis. — *Iratus*, primus est iræ promptioris motus. — *Ægre ferens* id quod Pamphilus ostenderat : est intimus subinde dolor, quod iram subsequitur.

Nec satis ad objurgandum causæ. Diceret :
Quid feci? Quid commerui, aut peccavi, pater?
Quæ sese in ignem injicere voluit, prohibui,
Servavi. Honesta oratio est. So. Recte putas.
Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans
Indignum facinus comperisse; Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. Ego illud sedulo
Negare factum : ille instat factum. Denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu ibi gnatum...? Si. Ne hæc quidem

138. *Nec satis ad objurgandum causæ.* Subaudi ante *satis*, *erat*, et ante *objurgandum*, eum. — *Diceret* Pamphilus, pro *dixisset.*

139. *Quid commerui.* Accipit *commerere* in malam partem. Ita Cicero de Orat. I, 232 : «estimationem pœnæ *commeruisse.*»

140. *Quæ sese in ignem conjicere voluit.* Subaudi *eam.* Similem ellipsin antecedentis dixit Cic. «Scribo ad vos, quum habeo *qui* ferat.»

141. *Honesta oratio est.* «Legitima et probabilis est excusatio.» Hæc sunt quæ subjicit senex, quum antea natum loquentem induxerit. In quibusdam libris, teste Mureto, *ratio;* sed præstat *oratio.*

142. *Illum qui*, «hominem qui,» generaliter dictum. — *Vitæ qui auxilium tulit.* Subaudi *alicujus hominis*, post *vitæ*, quod dativo casu hic ponitur.

143. *Facias* pro *facies.*—*Illi*, hic etiam generali sensu. — *Dederit*, intulerit, tempus est futurum. — *Damnum* est quod patimur in nostris. *Malum*, quod nosmet ipsi.

144,145. *Clamitans Indignum facinus comperisse.* «Se comperisse.» Plures interpretum per exclamationem explicant hunc locum, et dispungunt, «clamitans : Indignum facinus! comperisse.» Sed non attendant se ita velle obliquæ directam orationem intermisceri, quod minus legitimum. Refer igitur *indignum facinus* ad verbum *comperisse*, et construe : «clamitans se comperisse facinus indignum» scilicet, Pamphilum pro uxore etc.

146. *Hanc peregrinam.* Sic Chrysidis sororem Chremes designat per contemptum. Nam apud Veteres male audiebant peregrinæ, sicut meretrices. — *Ego illud sedulo negare factum.* «Ego cœpi negare instanter illud fuisse factum.»

147. *Ille instat factum*, «instat affirmare factum fuisse.» — *Denique*, postremo.

148. *Ita tum.* . «Tum discedo ab illo, ita ut ab eo qui negaret se etc.»

149. *Non tu ibi gnatum...?* Deest verbum, *objurgavisti* aut quodvis aliud; quia non licuit Sosiæ senten-

Satis vehemens causa ad objurgandum. So. Quî, cedo?
Si. Tute ipse his rebus finem præscripsti, pater.
Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus est objurgandi locus?
Si. Si propter amorem uxorem nolet ducere,
Ea primùm ab illo animadvertenda injuria 'st.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera objurgandi causa sit, si deneget;
Simul, sceleratus Davus si quid consilî

tiam totam absolvere, per festinationem Simonis in respondendo. — *Ne hæc quidem satis vehemens causa ad objurgandum.* Subaudi, fuit. *Ne hæc quidem*, nec immo posterior hæc causa, sc. crimen a Chremete illatum Pamphilo, et τό *quidem* alludit ad ea quæ supra v. 138.

150. *Quî*, quomodo ne hæc quidem causa satis fuit vehemens. — *Cedo.* Vox primum usurpata, si quis annueret aliquid postulanti, eo sensu *concedo.* Postea vero, ab eo sensu mire detorta est, et non jam annuenti reservata est, sed postulanti. Proinde semper subaudiendum, *dic*, *da*, etc. prout ratio sententiæ postulat.

151. *Tute ipse*, etc. Subaudi, hæc diceret ipse, filius. Cf. supra 138. — *te*, syllabica adjunctio quæ pronominibus *tu* et *te* adjungitur. — *His rebus*, studiis juvenilibus; alludit Simo ad ea quæ fingit se objurgaturum fuisse filio, et ad ea quæ iste responderet.

152. *Prope adest* sc. tempus. — *Alieno more*, alterius arbitrio, impeditus scilicet fide conjugali et rebus domesticis.

153. *Sine*, permitte. — *Interea*, dum licet meo me genio indulgere.

154. *Relictus est*, superest.

155. *Propter amorem*, sc. peregrinæ. — *Nolet.* Legitur et *nolit.* Sed retinuimus lect. Perleti, eo libentius, quod, ut indicat sensus, verbum *est*, infra vs. 156, ponitur pro *erit.*

156. *Ea ab illo injuria.* « In me illata abillo, propter amorem alium, uxorem oblatam dedignante. » — Præpositio *ab* haud raro in locum genitivi adhibetur. Sic infra III, 1, « *ab* Andria ancilla » pro Andriæ. — *Animadvertenda*, punienda.

157. *Id operam do, ut.* « Do operam circa id, ut. » — *Falsas nuptias;* utpote quas simulat pater; filii obsequium experturus, aut objurgandi causam inventurus.

158. *Vera*, justa; et eodem sensu *verum* invenitur in Horatio. « Metiri se quemque suo modulo ac pede *verum* est. » — *Si deneget* uxorem.

159. *Simul, sceleratus Davus* etc. « Simul do operam ut, si quid Davus habet consilii, consumat id nunc, quum .. » — *Sceleratus Davus*, vox optime de servo apud comicos usurpata; Gallice: *ce coquin de Dave.* — *Consilî* pro *consilii*, fraudis malæ.

Habet, ut consumat, nunc quum nihil obsint doli.
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. Sos. Quapropter? Si. Rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero...
Sed quid opus est verbis? Sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nil sit moræ; restat Chremes
Qui mî exorandus est: et spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut adsimules nuptias;
Perterrefacias Davum; observes filium,

160. *Habet*, animo agitat. — *Consumat*, in vanum effundat. — *Quum*, quoniam. — *Obsint*, «obesse possint, in tali nuptiarum simulacro quod paravi.»

161. *Manibus pedibusque obnixe omnia facturum*. Proverbiale id est, et ad litteram apud nos transiit. Vigebat etiam apud Græcos, ut in Homero invenitur Iliad. V: «ὅσσον δύναται χερσίν τε ποσίν τε.» — *Obnixe*, omni conatu.

162. *Magis id*, propter id, per ellipsin præpositionis, ut supra v. 157. — *Adeo*, certe, profecto.

163. *Obsequatur*, morem gerat. — *Gnato* meo. — *Quapropter*, qua re inductus, aliquid tale patraret? — *Rogas?* Leniter corripientis est. Gallice *belle demande!*

164. *Mala mens, malus animus*. Pro ipso homine lepide dicitur; ut sæpe «*lepidum caput*» et apud Theocritum invenitur «κακαὶ φρένες.» *Mens* autem de ingenio quod dolos excogitat; *animus* de indole ad fraudes comparata. — *Quem quidem ego si sensero*... ἀποσιώπησις, et supplendum, «molientem aliquid, pœnas dabit.»

165. Ante *quid* subaudi *ad*, ut notavimus v. 99. — His significat senex, facto magis quam verbo se castigaturum fore. — *Sin*, at si. — *Quod volo*, intellige quasi parenthesi includeretur, et refer *ut* ad *eveniat*.

166. *Nil sit moræ*, ad capessendas nuptias.

167. *Mî*, plures *mihi*. — *Exorandus*, placandus est. — *Spero confore*, id bene cessurum fore. *Confore* a *confieri*, id est perfici, Virg. Æn. IV, 115: «nunc qua ratione quod instat *Confieri* possit, paucis, adverte, docebo.» E sacris petita vox, ut ait We. qua Augures, extis inspectis, rem suscipienti feliciter successuram pronuntiabant.

168. *Nunc*, quod ad te attinet. — *Bene*, callide. — *Adsimules*, *perterrefacias*, *observes* pendent a præpositione *ut*.

169. *Perterrefacias Davum*, «ne natum ab obsequio in me deflectat.» *Observes filium*, *quid agat* etc. pro, *quid filius agat*. Hellenismus per attractionem. Sic Tullius «hæc *me*, ut confidam, *faciunt*.» Pro, hæc faciunt ut *ego confidam*.

Quid agat, quid cum illo consilî captet. Sos. Sat est. 170
Curabo. Eamus jam nunc intro. Si. I præ, sequar.

SCENA SECUNDA.

SIMO.

Non dubium 'st quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.

SCENA TERTIA.*

DAVUS, SIMO.

Dav. Mirabar hoc si sic abiret, et heri semper-lenitas 175

170. *Captet*, conetur inire.

171. *Curabo*, ea quæ mihi imperas. — *Intro*, domum. — *I præ*, figura ἀναστροφή, pro *præi*.

172. *Uxorem nolit*, «deneget conjugii vincula, utpote qui malit liberius genio et amori furtivo indulgere.»

173. *Ita Davum*... epiphonema. Intellige, *ita*, adeo, et refer ad *timere*, non ad *sensi*. — *Modo*, nuper.

174. *Foras*, e domo Simonis, in qua Davus, habitabat.

* Scena tertia. Placuit ab hoc versu tertiæ scenæ facere initium, ut fecit *Lemonnier*; quia e verbis præcedentibus, *sed ipse exit foras*, probatur Davum non jam prodiisse, tum quum Sosia intrat apud Simonem. — Præterea Gallicum hanc interpretem in distribuendis scenis semper fere sequemur.

175. *Mirabar hoc si sic abiret*. Hæc secum Davus, horum adesse nescius. «Mirabar dubitans an hæc res ita verteretur.» H. e. an Simo, post denegatam a Chremete filiam (vid. supr. 148), talem repulsam tam quiete ferre posset, quasi spe omni amissa, nec jam cogitaret de disturbando Pamphili amore, seu de renodandis nuptiis quæ dissolutæ fuerant. — Hunc loquendi modum, *Mirabar si*, apud nostros scriptores reperias. Racine, *Athalie*, act. III, sc. IV:

J'admirais si Mathan, dépouillant l'artifice,
Avait pu de son cœur surmonter l'injustice.

— *Semper-lenitas*. Quam Simo ostendit, quamvis res non accidisset ex voto; ut patet ex seqq. — Græco more adverbium nomini junctum. Soph. Philoctet. v. 131: «εἰ δεῖ λόγοι.» Inde *semper-lenitas* pro, perpetua lenitas. Nec opus est *semper* cum Guyeto referre ad *verebar*. Perlet.

Verebar quorsum evaderet.
Qui postquam audierat, non datum iri filio uxorem suo,
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tulit.
Si. At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
Dav. Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,
Sperantes jam, amoto metu; interea oscitantes opprimi,
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute! Si. Carnifex, quæ loquitur! Dav. Herus est, neque provideram.

— Sic quoque Plaut. *nunc homines*, pro hodierni homines.

176. *Quorsum*, ad quem exitum evaderet.

177. *Audierat*, a Chremete, ut ipse Simo retulit scen. prim.

178. *Nunquam*, ex quo repulsam accepisset. — *Verbum fecit.* « Nunquam ulli ex nobis qui sumus domi, vel unum verbum dixit de hac re. » — *Neque id ægre tulit*, nullam ægritudinem præ se tulit.

179. Hæc minaciter, et seorsum dicit Simo.—*Faciet verbum*, faciam ego; de se ipso loquitur. —*Neque sine tuo magno malo*, hæc non audiente servo. De utroque secum loquente notant *Amaury Duval* et *Alex. Duval* : « Il paraît que les anciens ne connaissaient guère d'autre moyen pour nouer le fil d'une intrigue, que de faire écouter par un autre le personnage qui était déja sur la scène. Maintenant on croirait faire une longue faute, si on employait ces longs *a parte* plus de deux ou trois fois dans une grande pièce. »

180. *Id voluit*, scilicet nos, etc. —*Sic*, illa semper-lenitate. — *Nec opinantes; nec* ponitur pro *non*, ut sæpe fit. Cic. de Legib. III, « Senatori qui *nec* aderit, aut causa, aut culpa esto. » — *Duci.* Homo dicitur *duci*, quum incautus in longam spem trahitur, et ita eluditur. We. — *Falso gaudio*, fallaci.

181. *Sperantes jam, amoto metu.* Sperantes, quia metus nuptiarum filiæ Chremetis abierat. — *Interea*, « dum falso gaudio et falsa spe duceremur. » —*Oscitantes.* Securos nec præcaventes. Est enim *oscitare* signum securitatis et otii. — *Opprimi*, prævenire, occupari; quo sensu reperitur apud Cic. Epist. XV, XVI, ad Cassium : « Puto te jam suppudere, quum hæc te tertia jam epistola ante *oppressit*, quam tu schedulam aut litteram. »

182. *Ne esset spatium cogitandi*, etc. « Ne nobis esset tempus excogitandi aliquid, ut disturbaremus nuptias. »

183. *Astute.* Εἰρωνικῶς dictum, ante adverbium supple, « factum, excogitatum. » — *Carnifex*, convicium vulgare. — *Quæ loquitur!* « qualia loquitur! » — *Herus est*, « is quem audivi. » Hæc Davus, respiciens quia loquatur, et mox agnoscens Simonem. — *Neque provideram*, id est prospexeram, porro videram. Plautus in Asinaria « Non hercle te

Si. Dave. D. Hem, quid est? Si. Ehodum, ad me. D. Quid hic volt? Si. Quid ais? D. Qua de re? Si. Rogas? Meum gnatum rumor est amare. D. Id populus curat scilicet. Si. Hoccine agis, an non? D. Ego vero istuc. Si. Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est : nam, quod antehac fecit, nihil ad me adtinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum.
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

provideram. » *Faernus.* h. e. videram.

184. *Hem, quid est.* Adhuc dissimulat visum sibi esse herum, donec ad vocem vocantis, circumspectat, et quasi nescius a quo vocaretur, *hem, quid est*, inquit. Bæcl. — *Ehodum.* Interjectio vocantis, et simul quærentis ut respondeatur. — *Ad me*, subaudi, accedas, quasi dicat, huc specta, ego te vocavi. — *Quid hic volt.* Hæc Davi audientis herum denuo vocantem, et secum demurmurantis. — *Quid ais?* Simo alludit ad servi mussitationem. — *Qua de re?* Davus simulans se non audiisse verba, *quid ais*, et omissurus necessitatem respondendi hero obmurmurationem exprobranti, advolat, et more officiosi servi poscit, qua de re ipsum vocaverit. — *Rogas?* Hæc gestu et voce indignantis. « Audesne rogare quid velim, quasi tu ipse nescias » ; et sic ad nati amores transit.

185. *Id populus curat scilicet.* Hæc Davus salse et ironice dicit, et ad spectatores, non ad Simonem conversus, ut heri loquentis dictum eludat. — *Populus.* Vulgus. — *Scilicet* sæpius cum εἰρωνείᾳ ponitur. Usum habet præcipuum per amaritudinem quamdam cum derisu permixtam. L. V. Sic Virgilius Æneid. IV, v. 379 : « Scilicet is Superis labor est. »

186. *Hoccine agis, an non. Rem agere*, id est operam dare seu faciendæ, seu audiendæ rei. Locutio in sacris usitata, qua jubebantur homines rebus divinis intenti esse. Westerhov. Davo igitur herus imperat, ut loquenti sibi aurem accommodet. — *Ego vero.* Sæpe in respondendo adhibetur, significatque, profecto, vel certe. — *Istuc.* Deest *ago.* — *Hic* apud meliores latinitatis scriptores sumitur pro *is meus*, et *iste*, pro *iste tuus.* Herus interrogat per *hoc*, et servus per *isthuc* respondet. Faber. — *Ea*, sc. amores Pamphili.

188. *Tempus*, id est *ætas.* — *Ad eam rem tulit*, subaudi filium ; id est juvenem ad juveniles amores impulit. — *Animum ut expleret suum*, « ut genio suo omnino indulgeret. »

189. *Hic dies* nuptiis destinatus. — *Aliam vitam adfert*, novum vitæ statum. — *Alios mores postulat ;* posteriora hæc prioribus connectuntur quasi esset ante *postulat*, *itaque*, *ergo.* — Totam hanc sententiam Tullius, more suo, ad consilia de

Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave, ut redeat jam in viam.

D. Hoc quid sit? Si. Omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.

D. Ita aiunt. Si. Tum, si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,

Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.

D. Non hercle intelligo. Si. Non? hem. D. Non : Davus sum, non Œdipus.

Si. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui? D. Sane quidem.

republica accommodat, Epist. Fam. XII, 25 ad Cornificium. « Accipio excusationem tuam de Sempronio : neque enim etc. . . . : Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores postulat, « ut ait Terentius. » *Bæcl.* Similiter Græci: ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα.

190. *Dehinc*, proinde. — *Sive*, aut si. Ien. cod. *et si* pro *sive*. — *Æquum est.* (Alii *Æquum'st*). Epanorthosis amara : major enim ad impetrandum vis est, eum rogare qui possit jubere; ut ait Servius ad Virg. Æn. VI, 116, «Idem orans mandata dabat.» — *Jam*, jam nunc. — *Viam*, sc. rectam. Itidem Euripid. Med. v. 766 : κ'εἰς ὀδὸν βεβήκαμεν.

191. *Hoc quid sit*, quid possit esse. Hæc Davus quasi mirabundus. — Quæ explicandi ratio si minus placet, possit Davi sermo videri abruptus per Simonem continuo dicere pergentem, et connectendus cum illis quæ subaudienda sunt : « Non hercle intelligo. » Certe quidem talis loquendi ratio frequens est in comœdia. — *Qui amant*, qui amicas habent; ut jam sæpe vidimus : semel hoc dictum sit, nec amplius adnotetur.

192. *Ita aiunt*, formula assentientis, sed non ex animo. Perl. — *Tum*, quum amant. — *Magistrum*, ministrum et perductorem. — *Ad eam rem*, ad amores illegitimos; cf. supra vs. 188.

193. *Ipsum animum ægrotum*, qui ipse jam amore laborat. Veteres nempe philosophi amorem aliasque animi affectiones morbos vocabant. Perl. — *Ægrotus*, per figuram, pro *ægro*; nam animus *æger*, corpus *ægrotum* dici solet. — *Ad deteriorem partem applicat*, ad pejora et deteriora advertit.

194. Si. *Non? hem.* Non intelligis, ironice et fere minaciter dictum. — *Non Œdipus*, sc. ænigmatum interpres. Alludit ad Œdipi et Sphingis fabulam ; dissimulatque se intelligere quod herus dixerat.

195. *Aperte loqui*, explicare sine ullis ambagibus. — *Quæ restant* mihi dicenda.

SI. Si sensero hodie quidquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem,
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem?
D. Immo callide:
Ita, aperte ipsam rem modo locutus, nil circuitione usus es.
SI. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
D. Bona verba, quæso. SI. Irrides? nihil me fallis, sed dico tibi,

196. *Si sensero* etc. Si animadvertero hodie, te tentare aliquam fallaciàm, super his nuptiis quæ parantur, quominus fiant.

197. *In ea re*, i. e. in hac occasione.

198. *Ostendi*. Mur. *ostendere* ex antiq. lib. Sic etiam unus ex codd. Bentleii. Guelf. 2: *aut te videro velle*, etc.

199. *In Pistrinum*. *Pistrinum* proprie locus est, ubi farinam in pila, vase concavo, pinsebant et contundebant. — *Dedam*, mittam, ablegabo.

200. *Ea lege atque omine*. Bene *lege* atque *omine*, quia leges, auspiciis servatis, ferebantur. Et antiqui auspicato omnia facie bant, quæ rata esse vellent. DONAT. — *Molam*, in tui locum. Quæ ratio molendi fuerit, vel molarum, vid. Fab. in Thesaur. — His affirmat Simo se nunquam e pistrino exempturum.

201. *Quid* censes nunc? Alludit ad ea quæ modo Davus, vers. 191: « Hoc, *quid* sit. » — *Ne hoc quidem*, quod novissime dixi. Vis negandi per duas negationes *nondum*, *ne quidem* hic augetur, quum plerumque omnino deleatur. — *Immo callide* intellexi.

202. *Ita* per exclamationem accipi debet, et referri ad præcipuum sententiæ verbum *usus es*. — *Ipsam rem*, claram et nudam.

203. *Ubivis*, in qualibet alia re. — *Passus sim*, id est, *patiar*; Præteritum subjunctivi interdum pro futuro assumitur. Sic Liv. « Jussu tuo, imperator, extra ordinem nunquam *pugnaverim*, » pro, *pugnabo*. Et ipse Noster Hecyr. 429, 430: « *Aufugerim* potius quam redeam. » pro, *aufugiam*. — *Deludier*. Infin. cum paragoge *er*, id quod sæpe occurrit. Præcipue tamen hac figura Comici, in fine versus utuntur. Cæterum *deludi* solent senes in Comœdiis. De qua re Cic. Læl. 26, ex Epiclero: « Hodie me ante omnes comicos stultos senes versaris, atque *luseris* lautissime. » PERL. Occurrit quiddam his simile, apud Nostratem, MOLIÈRE, FESTIN DE PIERRE, Act. IV, sc. 1.

204, 205. *Bona verba*, sub. *dic*,

Ne temere facias, neque tu hoc dicas, tibi non prædictum. Cave.

SCENA QUARTA.

DAVUS.

Enimvero, Dave, nihil loci 'st segnitiæ, neque socordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis,
Quæ si non astu providentur, me, aut herum pessum dabunt:
Nec, quid agam, certum 'st: Pamphilumne adjutem, an auscultem seni.
Si illum relinquo, ejus vitæ timeo; sin opitulor, hujus minas;

h. e. dic verba quæ non sint irati, et indicent te in meliorem partem mea accipere. Hæc dicit Davus cum gestu joculari. — *Nihil me fallis*, non me lates irridens. — *Temere*, quasi ignarus futuri, utpote cui pœna impendeat. — *Neque tu hoc*, etc. et ne tu dicere possis, id tibi non prædictum fuisse. — *Cave.* Videtur nobis habere vim comicam illa discedentis Simonis quasi salutatio. Et est quidam dicendi jocus, quo pro usitata formula *vale*, dicit *cave* quod eumdem fere sonum reddit, sensu prorsus absimili.

Sc. IV. 206. *Enimvero* etc. Hæc particula in orationis initio rem gravissime affirmat; et hic, declarat animum expergiscentis et se hortantis; ut apud Tullium: «Enim vero ferendum hoc non est.» — *Segnitiæ* ad agendum. — *Socordiæ*, ad considerandum. *Don.* — Utrumque item Plautus conjunxit, Asin. II, 1, 16.

207. *Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.* Fatetur se Davus non totam penitus intellexisse Simonis sententiam, et utitur hac dubitativa locutione: *Quantum intellexi*... quia Simo non aperte exposuit suam sententiam de nuptiis et de nuptiarum tempore, sed tantum de his mentionem fecit oblique, et inter minandum ad vers. 196 sqq.

208. *Providentur*, caventur et avertuntur. — *Me pessumdabunt.* Quia minor erit mea apud Pamphilum auctoritas; et ille ad alium vivendi modum conversus, dedignabitur meam jam inutilem operam. — *Herum*, Pamphilum, cujus servitio erat addictus. Quia distractus ab amore, dolori fortasse succumbet.

209. *Nec certum 'st*, subaudi *mihi*; nec mihi certe liquet, quid agam, scilicet ne... an... etc.

210. *Illum*, qui prior nominatus

Cui verba dare difficile est. Primum jam de amore hoc comperit;
Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii; aut si lubitum fuerit, causam ceperit.
Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.
Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam : hæc Andria,
Sive ista uxor, sive amica 'st, gravida e Pamphilo est,
Audireque eorum est operæ pretium audaciam :
Nam inceptio 'st amentium, haud amantium.
Quidquid peperisset, decreverunt tollere :

est, i. e. Pamphilum. — *Sin opitulor* Pamphilo. — *Hujus minas*, minas Simonis timeo.

211. *Verba dare*, verbis speciosis senem decipere, dum clam filium adjuvarem. — *Primum*. Incipit declarare, quæ sint timendi causæ; et respondent quæ infra vs. 215. — *Jam* refer ad *comperit*. Non ita Erasmus, cui *primum jam* ἀναστροφὴ est pro, «jam primum.» — *De amore hoc*, Pamphili. — *Comperit*, certior factus est.

212. *Servat*, observat. — *Quam*, pro «aliquam.»

213. *Si senserit*, me fecisse fallaciam. — *Perii*, de me actum est. — *Si lubitum fuerit*, si ita visum ei fuerit. — *Causam*, prætextum. — *Ceperit*, pro «capiet,» mutata temporum ratione, ut supra vidimus vers. 203.

214. *Quo jure, quaque injuria*. Aliquo jure et aliqua injuria, nec omnino juste, nec omnino injuste; id est *juste*, *injuste*, ut dicitur, *nolis*, *velis*. — *Præcipitem me in pistrinum dabit*. H. e. cum impetu in pistrinum conjiciet. *Præcipitem dare*, invenitur in Phorm. 606, pro, foras ejicere. — *Lemonnier* non satis vivide vertit : « Il m'enverra sur le champ au moulin. »

215. *Hoc*, malum. — *Mihi* in mei perniciem, qui debeam rationem referre de Pamphili vita. — *Hæc Andria*. Per hoc nomen in scena prima designata fuerat Chrysis, et nunc intelligendum est de Glycerio ipsa. Obiter notandum est ab hac, non vero ab Chryside fabulam nominatam esse.

216. *Sive ista uxor* etc. His Davus innuit, quod posthac patebit, Pamphilum fortassis Glycerium uxorem duxisse.

217. *Audire*, cognoscere. — *Eorum*, Pamphili et Glycerii. — *Est pretium operæ*, quam in eorum audacia audienda consumpseris.

218. *Inceptio est*. Ea res quam dicturus est. — *Amentium, haud amantium*, Paronomasia. Veteres sæpe jungebant voces sono simili, et absimili sensu. Demosth. : « Ἀμφίπολιν, πόλιν ἡμετέραν. » Tit. Liv. « magis *oneratus*, quam *honoratus* eram. » Cic. Verr. de signis, 10 : «Putabant *ereptionem* esse, non *emptionem*. »

219. *Quidquid peperisset* Glycerium. Veteres neutro genere lo-

Et fingunt quamdam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc : fuit olim hinc quidam senex,
Mercator : navem is fregit apud Andrum insulam :
Is obiit mortem; ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, parvam. Fabulæ!
Mihi quidem non fit verisimile; at ipsis commentum placet.

quebantur de partu, et futuro et recens nato. *Ru.* — *Tollere*, h. e. educare et nutrire. Ratio hæc loquendi inde cœpit : « Quum nasceretur infans, deponebatur in terra. Hunc si probaret et educandum statueret pater, sustollebat, sive suscipiebat. Si nollet educare improbatum, licebat exponere et abjicere, vel ut periret, vel ut ab aliis susciperetur. » *Faber.* — Majorem audaciæ reprehensionem sonat *quidquid peperisset.* Quia solet justior esse causa tollendi, si marem uxor pepererit : sed nimii amoris est, non exspectare quid tollas. *Donat.*

221. *Civem atticam.* Nomen utriusque generis; Tullius: « civis Romana. »—Ad hoc intelligendum cf. infra. Legibus Solonis cautum fuit, ut qui virginem liberam *civemque atticam* stuprasset, illam aut uxorem duceret, aut dotaret. Et ideo Pamphilus sperabat, per fallaciam, id se obtenturum a legibus, quod negavisset pater. — *Hinc*, Athenis. Hanc vocem omiserunt Zeunius et *Valpy;* nos autem retinuimus ex Perleto.

222. *Navem is fregit*, naufragatus est. — *Apud Andrum insulam*, de qua conf. quæ jam supra pag. 3, adnotavimus.

223. *Ibi tum*, quum mortuus fuit mercator. — *Ejectam*, Glycerium naufragam, simul cum sene. — *Chrysidis patrem*, cujus hospitio utebatur mercator, ut infra patebit, in enodationenm.

224. *Recepisse*, in tutelam suam. Ante *recepisse*, subaudi *addunt.* — *Orbam* ab avunculo, ut patebit infra. — *Fabulæ.* Hic *Lemonnier* subjicit in notis : « Nous avons vu Dave au commencement de ce monologue préparer l'intrigue de la pièce. A présent il annonce le dénouement. Mais en même temps qu'il en instruit le spectateur, le spectateur ne croit pas une histoire que le narrateur donne pour une fiction. Il y a beaucoup d'art à cela. En effet, si l'auditeur avait ajouté foi à ce que Dave appelle une fable, le dénouement aurait été prévu et l'intérêt détruit. D'un autre côté, si l'histoire de Glycérie n'avait pas été annoncée, le spectateur aurait jugé, comme Simon, que Criton est aposté pour soutenir une fourberie. »

225. *Mihi quidem non fit verisimile*, quod fingunt. *Fit* pro *est.* Pro *mihi* vult Bentleius reponendum *mi.* Idem tollit *hercle* quod, ut ait, et versum et sententiam onerat. Sic Perletus et Nos. — Both. monet *quidem* in Guelf. I, omitti. — *At.* Alii *atque* legunt, vel *atqui.*

Sed Mysis ab ea egreditur. At ego hinc me ad forum, ut Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

SCENA QUINTA.

MYSIS.

Audio, Archylis, jamdudum : Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta 'st mulier et temeraria,
Nec sati' digna, cui committas primo partu mulierem :
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ ;
Quia compotrix ejus est. Dî, date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor, quid siet.

226. *Ab ea*, e domo Glycerii.— *Hinc me ad forum*, sub. confero. In foro plerumque otiosi solebant, confabulandi vel negotiandi gratia, sibi invicem obvenire. Et sic sperabat Davus Pamphilo. *Perl.*

227. *De hac re*, in tali re. — *Imprudentem*, ignarum et ideo incautum.

Sc. V. 228. *Audio jamdudum.* Jamdudum te audivi. Hæc dicit Mysis fœminæ, quæ mansit intra ædes, et quæ pergit loquendo. — Bent. *Audio* pro *audivi* vulg. — *Archylis.* Al. *Archilis* seu *Archillis.* Sed Græce est Ἀρχυλίς. Emerita obstetrix, cujus officium erat assidere lectulo, obstetrices adhibere laborantibus, et servos in ea re dirigere. — *Lesbiam*, obstetricem.

229. *Sane pol*, certe per Pollucem. — *Illa mulier.* Lesbia. — *Temulenta*, hoc est ebriosa; quia *temetum* vinum dicitur, et dictum est ab eo, quod *tenet mentem. Donat.* — *Temeraria*, omnia inconsulto agens, et ex præcipiti.

230. *Committas primo partu*, generali sensu, pro, «committatur mulier in primo partu.»

231. *Importunitatem spectate aniculæ.* Spectate importunam Archylis pertinaciam. — Hæc et quæ sequuntur Mysis ad spectatores conversa dicit; priora vero ad aniculam.

232. *Quia compotrix* etc. Supple: «Instat autem illa, ut *Lesbia* adducatur, *quia compotrix ejus est.*» — Hæc gestu, non vero verbis exprimit.

233. *Huic*, Andriæ. — *Illi*, Lesbiæ. — *In aliis*, puerperis quam Glycerio. — *Peccandi*, temeritatem suam exercendi.

234. *Quidnam*, Qua re. — *Ver. quid siet.* Ignara quid sit negotii.

Opperiar, ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristitiæ adferat.

SCENA SEXTA.

PAMPHILUS. MYSIS.

Pa. Hoccine 'st humanum factum, aut inceptum? hoccine 'st officium patris?
My. Quid illud est? Pa. Proh Deum fidem! quid est, si hoc non contumelia 'st?
Uxorem decrerat dare sese mi hodie; nonne oportuit
Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?
My. Miseram me! quod verbum audio?
Pa. Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem; id mutavit, quia me immutatum videt.

235. *Nunc*, jam nunc, sine mora. Pro *nunc quidnam* Donat. ex uno cod. legit *num quidnam*. — *Hæc turba tristitiæ adferat*. Hanc lectionem ita restituimus ex codicibus, contra Perletum qui legit *turbæ tristitia*. Scilicet asperior videbatur ordo verborum; quia *turbæ* positum ante *tristitia* videtur non jam referri ad *quidnam*, sed ad *tristitia*. — *Quidnam tristitiæ*, quam tristitiæ causam. — *Hæc turba*, hæc perturbatio Pamphili.

Sc. VI. 236, 237. *Hoccine 'st* etc. Exordium ab indignatione facit Pamphilus, cui modo pater denuntiavit, ut se ad nuptias pararet; et Myside nondum visa loquitur. Estne hominis, tale aliquid exsequi, immo et ordiri. Alludit ad consilium Simonis, de quo vide supra. — *Officium*, ratio agendi. — *Quid illud est*, de quo queritur. — *Proh Deum fidem!* Vulg. add. *atque hominum*. Abest teste Be. a cod. primariæ notæ. *Perl.* — *Quid est, si hoc non contumelia 'st*. Quid est illa patris agendi ratio, nisi fit in me contumelia. Vulgo *hæc* pro *hoc* quod Be. protulit ex C. s. optimo. — Præterea ordo invertitur, et legitur quoque *si non hæc*.

238. *Decrerat*, pro decreverat. MSS. Fa. et Mu. *decrevit*. — *Dare*, pro se daturum. — *Oportuit*, oportuisset. — *Præscisse*, certiorem multo ante factum esse.

239. *Nonne prius communicatum oportuit;* a patre mecum prius communicari. Et in eo est contumelia, quod non filium in partem deliberationis advocaverit.

241, 242. *Quid Chremes?* Quid vero egit Chremes. — *Id mutavit*,

Ita obstinate dat operam, ut me a Glycerio miserum abstrahat!
Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem quemquam, ut ego sum?
Proh Deum atque hominum fidem!
Nullon' ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?
Quot modis contemptus, spretus! facta, transacta omnia. Hem!
Repudiatus repetor: quamobrem? nisi si id est, quod suspicor.
Aliquid monstri alunt. Ea quoniam nemini obtrudi potest,

quia me immutatum videt. Dicas eum a denegatione desistere, non nisi quia me ab amore Glycerii non desistentem videt. — *Quia.* Alii inter quos Br. *quoniam.* — *Immutatum*, id est, non mutari. Verbum illud seu affirmative seu negative adhibetur. Sic *indictus* sumitur modo pro *non dictus*, ut *indicta* causa; modo pro *dictus*, significatus, declaratus *indictum* bellum.

243. Pro *itane* rescribe *ita*, ait Bentl. quem secuti sumus, et eodem præeunte, edidimus *dat operam* pro vulg. *operam dat.*

244. *Quod si fit*, si id fit, ut me abstrahat etc.

245. *Adeon' hominem esse* etc. Subaudi, possibile est, usitata ellipsi. — *Invenustum*, Veneri invisum; seu quia non favebat Venus, quam amoribus præesse dicebant; seu metaphora desumpta ab aleatore qui, in talis, Veneris ictum raro jaciebat, et *invenustus*, id est infortunatus dicebatur. Govean. et Glarean. legunt *invenustum esse.* — *Ut ego sum. Ut* relationem habet cum *adeo*, intellige, *adeo ut*, sicut, tam quam. *Ut ego sum*, *quemquam.* Sic invertit Both.

248. *Quot modis contemptus, spretus*, subaudi, ego fui. Gradatim dicit: nam plus est *spretus* quam *contemptus. Contemnere*, id est parvi facere. *Spernere*, rejicere, repudiare. — *Facta, transacta omnia*, et tamen postea recusatus sum. Formula Jurisconsultorum, qua utebantur in contractibus, significantes omnia, quæ ad justam pactionem pertinerent, esse præstita. *Perl.* — *Hem*, formula indignantis.

249. *Repudiatus repetor.* Nunc postquam repudiatus sum, repetor ad conjugium. — *Quamobrem*, repetor. — *Nisi si id est quod, suspicor.* Nisi id quod suspicor non exsistit. — *Nisi si*, eleganter pro *nisi.* Cic. Fam. XIV, 2. *Perl.*

250. *Aliquid monstri.* Fœminam quamdam deformem et monstro similem. Loquitur de filia Chremetis. Superius apprime dixit *suspicor*;

Itur ad me. Mr. Oratio hæc me miseram exanimavit metu.
Pa. Nam quid ego dicam nunc de patre? ah,
Tantamne rem tam negligenter agere! præteriens modo,
Mî apud forum : uxor tibi ducenda 'st, Pamphile, hodie, inquit : para;
Abi domum. Id mihi visus est dicere : abi cito, et suspende te.
Obstupui. Censen' me verbum potuisse ullum proloqui, aut
Ullam causam, saltem ineptam, falsam, iniquam? obmutui.
Quod si ego rescissem id prius, quid facerem si quis nunc me interroget?

quippe apud Græcos, mulieres in interiori parte ædium relegatæ tenebantur.— *Alunt*, plurali numero dictum, quod Pamphilus non Chremetem solum, verum etiam et patrem suum eadem indignatione complectitur. — *Ea*. Dum *monstrum* dixerat, *ea* subjunxit, tanquam non verbis, sed sententiæ serviens. *Don*. Sic Horatius lib. I, XXII, 21, de Cleopatra :

« . . . daret ut catenis
Fatale monstrum : quæ generosius
Perire quærens . . . »

Et apud Homerum :

« . . . ἰκάνηθεν δὲ φάλαγγες,
Ἑλπόμενοι . . . »

— *Nemini obtrudi*, ne invito quidem dari, imponi.

252. *Nam quid*, quid autem. — *Ah*, dicit indignans, et eleganter inservit transitioni. — Both. *nam quid ego nunc de patre? Vat.* Bent. et Br. omittunt *nunc*.

253. *Tantamne rem . . . agere*, etc. conjugium, ex quo pendet in posterum filii conditio. — *Tam negligenter agere*, subaudi : Possibile est illum. — *Modo*, nuperrime.

254. *Mî*. Pro *mihi* vulg. Br. Ubique locorum *Mî*, quod sic est contracte pronuntiandum. Pronomen hoc refer ad verbum *inquit*, quod sequitur. — *Apud forum*, quum essem apud forum. — *Para*, ad nuptias te para.

255. *Abi cito et susp. te*. Eadem fere in Plauti Pœnulo, act. I, sc. II : « Abi domum, et suspende te. » *Farn*.

256. Both. *obstipui*.—*Censen'* pro *censesne*, et secunda persona generaliter adhibetur. Both. *ullum verb. me*. Valp. *ullum me*. — *Aut* huic versui censuimus esse annectendum ex Bentl. contra Both.

257. *Ineptam*, non aptam tempori. *Falsam*, veritati contrariam. — *Iniquam* non æquam, ut in filio.

258. *Quod si ego rescissem id prius*. Ea quæ per interruptionem omittuntur repone : Quod pater me nunc facere jubet. — Gov. *Quod si ego prius id rescissem*. — *Quid facerem si quis nunc me interroget?* Loquitur, quasi a quopiam nunc interro-

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exsequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse trahunt!
Amor, misericordia hujus, nuptiarum sollicitatio:
Tum patris pudor, qui me tam leni passus animo est usque adhuc,
Quæ meo cumque animo lubitum 'st, facere : ein' ego ut advorser? Hei mihi!
Incertum 'st, quid agam. Mr. Misera timeo, incertum hoc quorsum accidat.
Sed nunc peropu 'st, aut hunc cum ipsa, aut de illa me advorsum hunc loqui.
Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.

getur, *quid*, cognito patris decreto, fecisset. Vulg. *roget;* sed Eugr. *interroget*, astipulante metro. *Both.*

259. *Aliquid facerem.* Pro, fecissem. Responsio est ad proxime rogatum. — *Sed nunc*, quum modo tantum resciverim.

260. *Tot me impediunt curæ*, adeo multæ curæ.

261. *Hujus* Glycerii, quæ orba derelinqueretur. *Sollicitatio*, importuna tædiique plena nuptiarum efflagitatio; editores alii exhibent *sollicitudo.*

262. *Tum*, præterea. — *Patris pudor*, reverentia patri debita.

263. *Quæ meo cumque animo lubitum 'st*, sub. facere. — *Quæ meo cumque* pertmesim, pro *quæcumque.* — *Facere*, refer *ad passus est.* Passus est me facere. — *Ein' ego ut advorser.* Subaudi oportet, æquum est. — *Ein'*, pro *eine.*

264. *Timeo quorsum*, etc. timeo, ignorans quorsum. — *Incertum hoc*, substantive dictum: hæc Pamphili officium inter et amorem fluctuatio.

265. *Hunc cum ipsa, aut de illa me advorsum hunc loqui* Pamphilum cum Glycerio. — *Illa* Glycerio. — *Advorsum hunc*, apud hunc: ut supra v. 42, pag. 15. De totius hujusce versus lect. Bentl. « Lege *peropu'st.* Nostri codd. omnes hoc ordine, *aut aliquid de illa me.* Tolle *aliquid*, quod et incertæ est sedis, et repugnat sensui. » — Guelf. 1, *de ipsa.*

266. *Dum in dubio est animus, paulo momento.* Translatio est a trutina, quum id, quod ponderatur, in neutram partem vergit, et incertum pendet. — *Paulo*, adjectivum a *parum*, quo rarissime usi sunt auctores præterquam in ablativo. Nost. inf. Adelph. 880. « Paulo sumptu. » — *Momento*, pondere quo superaddito lancea huc vel illuc inclinat.

PA. Quis hic loquitur? Mysis, salve. MY. O salve, Pamphile. PA. Quid agit? MY. Rogas?
Laborat e dolore; atque ex hoc misera sollicita 'st, diem
Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ; tum autem hoc timet,
Ne deseras se. PA. Hem, egone istuc conari queam?
Egon' propter me illam decipi miseram sinam?
Quæ mihi suum animum atque omnem vitam credidit;
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;
Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam,
Coactum egestate, ingenium immutarier?
Non faciam. MY. Haud verear, si in te sit solo situm;

267. *O salve, Pamphile.* *O* interjectio optantis adventum aut repente perculsi. *Don.* — *Quid agit.* Scil. Glycerium; totus in amore, amicam nominare amittit. — *Rogas*, lenta quædam et tristis est responsio, et dolore plena. *Don.*

268. *Laborat e dolore* partus proximi. — *Ex hoc, quia*, propterea quod. — Valp. ex Heinsio *ex hoc misera sollicita 'st die;* sed nihil mutat in versu sequenti.

269. *Olim*, jampridem — *Constitutæ sunt nuptiæ.* Vid. supra vs. 102. — *Tum*, quum dies venit.

270. *Hem*, exclamatio indignantis, suum amorem in dubium revocari potuisse. — *Istuc*, istud hoc, scilicet, eam deserere. — *Conari.* Hoc loco *conari* est *cogitare.* Terentius in Phormione vs. 52: «At ego obviam *conabar* tibi: *Et moi je songeais à vous aller trouver.*» *Faber.*

271. *Egon'*, Bentl. Both. Perl. pro vulg. *Ego.* — *Propter me*, propter suum in me amorem et fiduciam.

272. *Suum animum*, quantum ad amorem pertinet. — *Omnem vitam*, omnes vitæ spes.

273. *Quam ego*, etc. *Quam* refertur ad *ejus*, quod est in sequenti versu. — *Egregie* præter cæteras. — *Animo caram*, animo meo dilectam, ut Sall. Jug. XIV, «Animo meo carissime.» — *Pro uxore habuerim* non secus ac legitimam uxorem habuerim. Verbum *habuerim* accipe, quasi poneretur futuri præteritum, *habuero.*

274. *Doctum atque eductum. Doctum* pertinet ad præcepta quibus imbutum erat ingenium; *eductum*, ad morem vivendi, ad quem ex præceptis fuerat informatum. — *Ejus* redundat; versui enim officit et venustati. *Gov.*

276. *Haud verear.* Ita *Bent.* ex codd. suis. In l. antiq. *vereor. Verear*, id est, *vererer;* sequitur enim *sit* pro *esset.* Ita semper Terentius. *Faber.* — Et supple, ne tu illam deseras. Cf. v. 270. — *Si in te sit solo situm*, si *id* (sc. deserere, aut non deserere) a te uno penderet. Sic Bentleius ex duobus codicibus. In aliis *in te solo sit.*

Sed ut vim queas ferre. PA. Adeone me ignavum putas?
Adeon' porro ingratum, inhumanum, ferum,
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat ut servem fidem?
MY. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.
PA. Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Jam ferme moriens, me vocat:
Accessi; vos semotæ; nos soli; incipit:
Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides;
Nec clam te est, quam illi utræque res nunc utiles,

277. *Sed ut vim queas ferre*, subaudi *vereor*. — *Ut*, ne non. — *Vim* scil. patris ad nuptias cogentis. — Legitur quoque *vim ut queas ferre*. — Alii *adeon'* pro *adeone*.

278. *Adeone porro ingratum*, imo adeo ingratum. — Vulg. aut *inhum. aut fer*. Be. utrumque *aut*. omittit, ut sint *asyndeta*. Perl.

279. *Ut neque me consuetudo* etc. Vide quemadmodum singula nomina, licet inverso ordine, ad præcedentia referas, *consuetudo* ad *ferum*, *amor* ad *inhumanum*.

280. *Commoveat*, absolute dictum, molliat animum. — *Fidem* Glycerio debitam.

281. *Unum hoc scio*. Quasi hoc dicat, «quid tu facturus sis equidem nescio, sed unum scio.» — *Hanc meritam esse, ut memor esses sui* Hanc dignam esse, ut memor sis. — *Hanc* desideratur in Reg. Biblioth. MS. et in plurimis codd. et in Both. qui præterea dat, *ut sis memor*.

282—284. *Etiam nunc mihi scripta*. Substantive accipiatur *dicta*, et sic verborum ordo disponatur: Illa dicta Chrysidis de Glycerio sunt etiam nunc scripta in animo mihi.

285. *Vos*, tu, et cætera feminarum turba. — *Semotæ* eratis; discesseratis seorsum. — *Nos soli* remanseramus, ego, Chrysis et Glycerium.

286. *Hujus*, quasi gestu adstantem Glycerium monstrabat.—Vox plena affectus, sine personæ designatione. Sic Propert. II, XII, 36:

Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

Et Noster LAFONTAINE, *Philémon et Baucis*:

Je ne pleurerais point *celle-ci*; ni ses yeux
Ne troubleraient non plus de leurs larmes ces lieux.

287. *Nec clam te est*. Nec te fugit. — *Quam utiles*. Id est, *parum utiles*. Sæpe adjectiva affirmantis, si *quam* illis præponatur, quasi interrogandi modo, negandi vim habent. Quod quum viri docti quidam non satis caperent, locum interpolarunt scribendo: « Quam illi nunc utræque res inutiles. » *Ruhnkenii Dictata*. — *Nunc*, quum ego morior, quæ eam consilio meo regebam.

Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.
Quod te ego, per dextram hanc, oro, et per Genium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus solitudinem,
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras:
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive hæc te solum semper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra hæc tibi permitto, et tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat; mors continuo ipsam occupat.

288. *Et ad pudicitiam.* Propter formam dixit. D. — *Et ad rem tutandam.* Propter teneram ætatem. D. — *Rem* familiarem. — *Sient* pro *sint.*

289. *Quod*, propter quod; ut Æneid. lib. II, v. 141 : « *Quod* te, per superos... oro. » — *Per dextram hanc*, quam porrigo. — *Per genium*, qui tibi nascenti præfuit. (Alii, inter quos *Valpy*, *ingenium*). Fuit autem hic orandi modus, *per Genium et dextram*, veteribus familiaris : Horat. Epist. lib. I, VII, sub finem :

Quod te *per genium*, *dextramque*, Deosque Penates,
Obsecro et obtestor.

290. *Per tuam fidem*, bonam fidem. — *Perque hujus solitudinem.* Bene *solitudinem*, nam Glycerio, mortua Chryside, nullius tutela supererat. — C. G. m. *sollicitudinem.* Id in marg. al. *solitudinem. Perl.*

291. *Ne abs te hanc segreges*, ad alium transiturus. — *Neu*, neve; aut saltem ne deseras, omnino orbam et solam relinquas, vel factus vir alterius.

292. *In germani fratris loco*, ut verum propriumque fratrem.

293. *Sive*, aut si. — *Hæc*, vid. supra v. 286. — *Sive hæc te solum semper fecit maximi.* Te solum omnibus anteposuit. — Zeun. dat *sive te hæc.*

294. *Morigera.* Facilis et obsequiosa. — Hæc amatoriæ consuetudinis commemoratio, licet paulo odiosius, tamen cum summa naturæ convenientia adhibetur. Quanto majori orationis castitate et venere, Virgiliana Dido, Æneid. IV, 317 !

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum...

295. *Isti.* Non sine negligentia per caritatem dictum. — *Virum*, *amicum*, *tutorem*, *patrem.* Similiter Andromache Hectora proficiscentem alloquitur. Hom. Iliad. VI, 429:

Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

296. *Bona nostra hæc.* Verba quasi supellectilem suam ostendentis. *Don.* — *Permitto*, inter tuas manus, titulo depositi, relinquo. Quidam MSS. legunt *committo.* — *Mando*, commendo.

297. *Hanc mihi in manum dat.* Glycerii dextram in meam dat, quasi

Accepi : acceptam servabo. My. Ita spero quidem.
Pa. Sed cur tu abis ab illa? My. Obstetricem arcesso.
Pa. Propera;
Atque, audin'? verbum unum cave de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam. My. Teneo.

puellam tutelæ et fidei meæ commendatura. — *Ac* pro *hanc*. Both. —*Mors continuo ipsam occupat* locuturam plura.

298. *Accepi*, datam Glycerium. — *Servabo*, retinebo. — *Ita spero quidem*, certe ita futurum esse spero.

299. *Cur tu abis ab illa*. Discedis ab latere ejus laborantis. — Sandby. edidit, *cur tu ab illa? Zeun.* — *Ab illa*, Both. *ab ea*. — *Arcesso*, eo vocatum.

300. *Audin'?* pro *audisne*. Totius sententiæ series est : «Propera, atque cave... » Quam Pamphilus rumpit per interrogationem, dubius an sit bene attenta. — *Verbum unum*, subaudi[i], dicas Glycerio. — *Cave de nuptiis*, ad quas in hunc diem constitutas me pater vult adigere.

301. *Ne ad morbum hoc etiam*. Subaudi, aliquid adjiciat. Guelf. 3. *Siet* post, *ad morbum*. — *Teneo*, intelligo.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

CHARINUS. BYRHIA.

CH. Quid ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? B. Sic est.
CH. Quî scis? B. Apud forum modo e Davo audivi. CH. Væ misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore, usque antehac attentus fuit;

Act. II, sc. 1, vs. 302. Has Charini et Byrrhiæ personas Terentius addidit fabulæ; nam non sunt apud Menandrum. D. Hujus autem personarum auctionis rationem reddit Farnabius: «Ne Philumena, a Pamphilo repudiata, omnino spreta et deserta videretur, ad plenam comœdiæ catastrophen introducitur alter amator.» — *Quid ais, Byrrhia?* Ex verbis Charini apparet Byrrhiam nuntiasse nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen, ut statim credat, et accommodet animum. Sæpius ergo repetit interrogando, et bene *illa*, ut est amatorie loquentis. Sic Virg. Æneid. IV, vs. 421:

... solam nam perfidus *ille*
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.

Datur nuptum, nuptura, ut nubat. Supinum hic ponitur pro infinitivo, quia verbum *datur* aliquid motionis in se habet. Etenim quæ datur in nuptias e domo in alteram transit. — *Hodie* deest in R. Omnes codices disponunt, *Daturne illa hodie Pamph.* Both. edidit *Datur.*

303. *Quî*, quomodo. — *E Davo.* In aliis, *ex Davo*, ve *a Davo*, vel *de Davo.* — *Væ misero mihi!* Notandum est, dativum *mihi* non posse regi interjectione *Væ*, quæ quasi in nominis locum ponitur. Subauditur ergo *est*, quasi dicas est male mihi.

304. *Usque*, semper. — *Antehac.* Perletus monet codicem Roman. omittere *ante.* — *Attentus in spe atque in timore*, intentus in spem atque in timorem. — *Cura* in quam spes atque timor animum intende-

Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus, stupet.
B. Quæso, Ædepol, Charine, quando non potest id fieri quod vis,
Id velis, quod possit. CH. Nihil volo aliud, nisi Philumenam.
B. Ah, quanto satius est, te id dare operam, quî istum amorem ex animo amoveas tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua!
CH. Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus.
Tu si hic sis, aliter sentias. B. Age, age, ut lubet.

rant. — Br. distinguit *Lassus cura, conf.* Guelf. 2, *Lapsus;* Guelf. 1, *et confectus.*

305. *Stupet*, nulla jam sperandi causa erigente. — Tota sententia intelligatur, quasi scriptum esset: « quo magis animus.... fuit attentus etc.. eo magis... stupet.»

306. *Ædepol.* Per ædem Pollucis. Sunt qui scribunt *Edepol*, et restituunt *Me Deus Pollux* (supple *adjuvet*) : pariter ut dicitur *Mehercule, Mecastor.* — *Quando non potest. Valpy* ex libris antiquis *quoniam.*

307. *Id velis quod possit. Quæso* ut *velis id* etc. — *Id* omittit. Zeun. — *Quod possit*, fieri. — Hæc sententia est Stoicorum; v. Epictet. Enchir. cap. 8 : « Μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε γίνεσθαι τὰ γινόμενα ὡς γίνεται, καὶ εὐροήσεις. » — Citat hunc Terentii locum Augustinus l. XIV, de Civitate Dei, cap. 15 et 1, de vita beata. Crito inf. 805 : *ut quimus, quando ut volumus non licet. Farn.*

308. *Id dare operam*, circa id operam dare. — *Quî*, pro *ut.* D. — *Ex animo.* Quid. MSS. *ab anim.* Alii simpl. *animo.* — *Amoveas.* Er. Gor. G. F. Antesig. *dimoveas.* — *Tuo* videtur omnino subditicium Bent. qui notat Don. pro *animo amoveas* legere *corde ejicias.*

309. *Quo*, ut eo.

310. *Facile omnes, quum....* Hic versus prodit Menandri sententiam: « Ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ. » Eodem sensu apud Virum Clariss. RACINE, IPHIGÉNIE, act. I, sc. III, loquitur Agamemno :

« Ah, Seigneur! qu'éloigné du malheur qui m'opprime,
Votre cœur aisément se montre magnanime! «

311. *Tu si hic sis, aliter sentias.* Hoc gestu scenico melius commendatur. Nam hæc magis spectatoribus quam lectoribus scripta sunt. *Hic* ergo, se ipsum ostendens, dicit : et est *hic* pronomen. *Don.* — Perletus ex Bentleio scribit *censeas.* Pal. *sentires.* — *Age, age ut lubet.* Adversus hæc non habuit quod loqueretur, et est permissio reprobantis ea quæ consentit. *Donat.*

SCENA SECUNDA.

CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS.

CH. Sed Pamphilum
Video; omnia experiri certum 'st, priusquam pereo. B. Quid hic agit?
CH. Ipsum hunc orabo, huic supplicabo : amorem huic narrabo meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, spero. B. Id aliquid nihil est. CH. Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. Quidni? si nihil impetres,
Ut te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam duxerit.
CH. Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus.
P. Charinum video. Salve. CH. O salve, Pamphile;
Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.

312. *Certum 'st*, supple *mihi*, id est, decrevi, constitui. — *Priusquam pereo.* Hæc conjunctio cum indicativo subjuncta invenitur etiam apud Cicer. Philipp. I, « Priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum. » — MSS. quidam et editiones vetustæ *peream.* — *Quid hic agit.* Hæc secum servus de hero. — *Agit*, cogitat.

314. *Nuptiis prodat dies.* Proferat, differat. Prætor autem *prodere diem* dicebatur, quum rem differebat. — Guelf. 1, 2, et Antes. *protrahat;* Guelf. 3, *producat.* — *Ut aliquot.* Br. *ut per aliquot.* — *Nuptiis*, ad nuptias.

315. *Id aliquid*, subst. dictum.

316. *Adeon' ad eum.* Pro *Adibone ad illum.* Mire juvenis hæret, repulsæ timidus. — *Quidni? si nihil*, etc. Cur non adeas, ut, si nihil ab eo impetres, arbitretur saltem, etc. Servile prorsus dictum, quod respuit adolescens. — *Si nihil impetres.* Perletus legit : *Nihil ut impetres.* Br. *Quid nisi nihil imp.*

317. *Mœchum*, rivalem et ideo adulterum. — *Duxerit*, uxorem.

318. *Abin' hinc*, abis ne; vividius per interrogationem ipsam imperat. — *In malam rem*, ad supplicium per euphemismum alii *in malam crucem.* — *Scelus*, sceleste.

320. *Advenio.* Quidam *venio.*

P. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed istuc quidnam 'st? CH. Hodie uxorem ducis? P. Aiunt.
CH. Pamphile,
Si id facis, hodie postremum me vides. P. Quid ita? CH. Hei mihi!
Vereor dicere. Huic dic, quæso, Byrrhia. B. Ego dicam. P. Quid est?
B. Sponsam hic tuam amat. P. Næ iste haud mecum sentit. Ehodum, dic mihi:
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? CH. Ah, Pamphile,
Nil. P. Quam vellem! CH. Nunc te per amicitiam et per amorem obsecro,
Principio, ut ne ducas. P. Dabo equidem operam. CH. Sed si id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. P. Cordi? CH. Saltem aliquot dies

321. *Consilii locum*, facultatem dandi consilium. — *Copiam*, potestatem. Apud amantem neque consilii facultas: apud inopem neque copia auxilii. — In quibusd. ordo invertitur, *auxilii loc. hab. neque consilii*, quod probat Mur. Bentl. legendum censet *ad auxilium copiam*, et sequunt. Both. et Perl. Pet. et R. habent *neque ad auxiliandum copiam*. Eug. *ad auxilium copias*.

322. *Istuc*, quod vis dicere. — Zeun. Valp. *Quidnam 'st*

323. *Quid ita?* Cur ita futurum est? Cur mori vis?

324. *Vereor dicere*, non audeo dicere. Bene et comice juvenis timida cunctatio cum illa servili audacia et libertate jungitur.

325. *Iste*, is tuus herus. — *Haud mecum sentit*, a me longe dissentit.

326. *Num quidnam* etc. Per euphemismum interrogat, an rem habuerit cum Philumena. *Perlet.*

327. *Nil.* Sic legimus post Both. et Perletum. Zeun. et Valp. *Nihil.* — *Quam vellem!* Vellet ideo Pamphilus, ut esset causa recusandi. — *Per amicitiam*, suam et Pamphili. — *Per amorem*, unice suum, in virginem. Tò *per* delet Both.

328. *Dabo equidem operam*, ne ducam Philumenam. — *Sed si id non potes; id* h. e. «eam non ducere uxorem, propter nimium amorem.» Nescit enim plane Charinus, quam hæ nuptiæ Pamphilo displiceant; et est ingeniosus ad se torquendum. — *Potes.* Ita lib. ant. Subaudi, Bemonente, *facere.* Vett. edd. *potest*, sc. fieri. *Perl.*

329. *Aut tibi.* Par. *aut si tibi.*

Profer, dum proficiscor aliquo, ne videam. P. Audi nunc jam :
Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto,
Quum is nil mereat, postulare id gratiæ adponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.
CH. Reddidisti animum. P. Nunc si quid potes aut tute, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, quî detur tibi.
Ego id agam, quî mihi ne detur. CH. Sat habeo. P. Davum optume
Video, cujus consilio fretus sum. CH. At tu hercle haud quidquam mihi,
Nisi ea, quæ nihil opus sunt sciri. Fugin' hinc? B. Ego vero, ac lubens.

330. *Dum proficiscor.* Aliquando *dum* cum indicativo jungitur. Virg. Eclog. IX, v. 23 :

Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas.

— *Audi nunc jam.* Nunc vicissim audi quid de tua profectione sentiam.

331. *Neutiquam.* Bent. et Both. scribunt divisim *ne utiquam.* — *Officium liberi hominis*, proprium esse liberi hominis. — Alii, inter quos Antesig. non habent *hominis.*

332. *Quum is nil mereat* (Alii *Promereat.*) Quum nullum officium voluerit præstare. — Both. *Quum nil promereat*, deleto *is.* — *Id*, hoc est nihil meruisse, officium sine aliqua mente inscius præstitisse. — *Apponi gratiæ*, pro beneficio collato referri.

333. *Malo*, magis cupio.

334. *Reddidisti.* Both. *Reddaxti* quod voluisset Bentl. — *Tute*, tu ipse. Guelf. 1, Zeun. Valp. *aut tu.*

335. *Facite.* Date operam — *Fingite*, rem quamlibet simulate. — *Invenite*, excogitate. — *Efficite*, ad id pervenite. — *Quî*, ut. — *Id agam*, id conabor. — *Quî ne*, ut non. *Qui mihi ne.* Sic Perlet. ex Bentleio. Bothius legit, *qni ne mihi.* Valp. et Zeun. *mihi qui ne.*

336. *Sat habeo*, id quod dicis, sufficit mihi. — *Optume*, peropportune.

337. *Cujus.* Ita Be. Antes. Lindenb. Porl. Both. Zeun. Sed We. et Valp. *Hujus.* post *Video* posito puncto. — *Fretus sum*, confido. — *At tu* etc. Hæc Charinus ad Byrrhiam conversus. — *Haud quidquam mihi* dicis.

338. *Quæ nihil opus sunt sciri.* Quæ sunt nullo modo utiles scitu. Alludit Charinus ad ea, quæ in principio hujus scenæ retulerat Byrrhia, et ea quidem Charino minime grata. — *Sciri.* Zeun. Valp. Antes. *scire.* A Guelf. 3 absunt verba *nisi... scire.* — *Ego vero* abeo; non coactus, sed lubenter.

SCENA TERTIA.

DAVUS. CHARINUS. PAMPHILUS.

DA. Dî boni, boni quid porto! Sed ubi inveniam Pamphilum,
Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?
CH. Lætus est, nescio quid. P. Nihil est: nondum hæc rescivit mala.
DA. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias....
CH. Audin' tu illum? DA. Toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? CH. Cessas adloqui?
DA. Abeo. P. Dave, ades! resiste! DA. Quis homo 'st, qui me?.. o Pamphile!

339. *Dî boni, boni quid porto.* Ex proximo repetivit *bis* : sed tamen alterum nominativo plurali, alterum genitivo singulari dictum est. *Donat.*

340. *Metum in quo est.* Be. invertit *quo in.* Both. *Ut metum qui nunc est.*

341. *Nescio quid,* pro, in quo, in qua re. Sic Tullius de Amicitia IX, 30: « *Quid* enim Africanus indigens mei? minime hercle. » — *Hæc mala,* nuptias mihi indictas. — Ab uno Par. cod. abest *hæc;* ab altero *mala.*

342. *Quem,* Pamphilum. — *Audierit,* pro, audivit.

343. *Audin' tu illum.* Interruptus Davi sermo, Charino Pamphilum alloquente. — *Toto me oppido exanim. quær.* Pergit hæc Davus, nec viso, nec audito Pamphilo.

344. *Aut quo nunc* etc. Guy. et Both. delent *aut.* — *Intendam,* sc. iter, cursum. Itidem absolute Cic. Catil. I, XII : « quo intendit. » — *Cessas adloqui?* Tardas in alloquendo eum.

345. *Abeo,* quum hic non inveniam. Bentl. Perl. Both. legunt *habeo,* h. e. scio, teneo quo intendam. — *Quis homo 'st qui me?* ... *o Pamphile* etc. Post *qui me,* subaudi *vocat* : quia ante videt, quam compleat orationem. Cæterum Guelf. 2 exhibet in textu *vocat.*

Te ipsum quæro. Euge, Charine, ambo opportune; vos volo.

P. Dave, perii! Da. Quin tu hoc audi. P. Interii. Da. Quid timeas, scio.

Ch. Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st. Da. Et quid tu, scio.

P. Nuptiæ mihi.... Da. Et id scio. P. Hodie. Da. Obtundis, tametsi intelligo.

Id paves, ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas. Ch. Rem tenes.

P. Istuc ipsum. Da. Atque istuc ipsum, nil pericli est : me vide.

P. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. Da. Hem,

Libero. Uxorem tibi non dat jam Chremes. P. Quî scis? Da. Scies.

Tuus pater me modo prehendit; ait tibi uxorem dare sese

346. *Euge Charine.* Vett. edd. *Charine.* — *Ambo opportune*, sub. adestis. — *Vos volo*, alloqui; sic supra vs. 29 : Paucis te volo.

347. *Dave, Perii.* Bemb. Ch. *Dave, perii.* — *Interii* Hoc Pamphilo tribuimus ex Both. Tribuunt autem Charino Antes. Zeun. Perl. Valpy. — *Quin.* Vid. supra vs. 45, p. 16.

348. *Quidem*, quod ad me attinet. — *Hercle certe.* Geminatio asseverationi serviens. Ita πάνυ σφόδρα apud Græcos. — *Et scio*, scio quoque. — *Quid tu* timeas. — *Et quid tu scio.* Sic Valp. qui notat : MSS. plusculi *Et sî scio*, minus eleganter. Nostri partim *et id scio*, partim *etsi scio.* Bruns. *et si, scio.* Z. *et si scio.* Bent. Both. *etsi scio?* Perl. *et si scio?*

349. *Nuptiæ mihi*... deest verbum *parantur.* — *Obtundis*, sc. aures.

350. *Id paves*, (alii *præcaves*) *ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas.* Hæc Davus ad Pamphilum primo, deinde ad Charinum conversus.

351. *Atque.* Both. post Guelf. 1. *atqui.* — *Nil.* Valpy et Zeun. *nihil.* — *Me vide*, i. e. mihi crede : phrasis est comica, et formula fidejubendi, quam pronuntiat cum gestu certa affirmantis. Nec male suppleres : Vide me, ut sim vere lætus. Sic Phorm. v. 692.

352. *Hem*, vox ad vota respondentis.

353. *Scies*, jam auditurus es. — Sic Be. pro *scio* vulg. Non enim Davus respondet interroganti an sciret, sed quo modo sciret. *Perl.*

354. *Me modo prehendit* Seorsum occupavit. — Both. Zeun. Valp. *modo me.* — *Dare* sine *sese. Both.*

Hodie; item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans, percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, escendo in quemdam ibi excelsum locum.
Circumspicio : nusquam es : ibi forte hujus video Byrrhiam.
Rogo; negat vidisse. Mihi molestum. Quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipsa re mî incidit suspicio. Hem,
Paululum obsonî; ipsus tristis; de improviso nuptiæ.
Non cohærent. P. Quorsumnam istuc? Da. Ego me continuo ad Chremem.
Quum illoc advenio, solitudo ante ostium : jam id gaudeo.
Ch. Recte dicis. P. Perge. Da. Maneo : interea introire neminem
Video, exire neminem; matronam nullam; in ædibus

355. *Item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.* Scilicet, minæ domini, quas callide tacet.

356. *Percurro,* cursu non intermisso propero.

357. *Ubi,* quum. — *Escendo.* Guelf. 1, 3, et Br. *ascendo.* — *Ibi,* tum.

358. *Nusquam es.* Τὸ *es* reposuit Perlet. ex Bentleio. — *Ibi,* eodem momento. Zeun. Both. Valp. *Forte ibi.* — *Hujus,* δεικτικῶς, Charini. — *Byrrhiam,* servum.

359. *Negat vidisse,* sub. te.

360. *Ex ipsa re,* id est, ex ipsis nuptiis. Zeun. Valp. *Mihi.* — *Hem,* vox secum loquentis, et suspicantis.

361. *Paululum obsoni* sub. apparatum est. — *Ipsus,* Simo. Et *ipsus* antique pro *ipse.* — *De improviso* fiunt.

362. *Non cohærent.* Hæc omnia non inter se conveniunt; sc. paululum obsoni, Simonis tristitia, subitus nuptiarum apparatus.—*Quorsumnam istuc,* subaudi, *spectat.* — *Ad Chremem,* sub. confero. — Par. *Chremetem,* testans in nullo MSS. esse *Chremem. Perl.*

363. *Illoc,* pro illuc, mutato inter se, ut sæpe fiebat, literarum usu. Virg. Æneid. VIII, vs. 423 : «*Hoc* tunc Ignipotens cælo descendit ab alto.» (Ubi tamen alii volunt legere *huc.*) — Priscæ editt. et præterea Both. *illo.* Guelf. 2, *illuc.* — *Solitudo ante ostium* sub. videtur. — *Jam id gaudeo.* Invenitur *Gaudeo* cum accusativo junctum. Cic. «furit homines gavisos suum dolorem.»

365. *Matronam nullam.* Bothius

Nil ornati, nil tumulti : accessi, intro aspexi. P. Scio,
Magnum signum. Da. Num videntur convenire hæc nuptiis?
P. Non, opinor, Dave. Da. Opinor, narras? non recte accipis,
Certa res est : etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera et pisciculos minutos ferre in cœnam obolo seni.
Ch. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. Da. Ac nullus quidem.
Ch. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. Da. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere :

legit *matrona nulla*, magis vivide. — Intelligi vult pronubas, vicinas, cognatas, quæ sponsam ornarent, ornatam deducerent ad ædes mariti, et in thalamo collocarent. — Eligebantur autem ad id muneris, nonnisi mulieres probitate morum spectatæ, et quæ semel tantum nupserant. Vide Brisson. De Ritu nuptiarum; Thes. Antiq. Rom.; Grævius, tom. VIII, pag. 1020; Kipping., Antiq. Roman. IV, 11, § 2. — *In ædibus Nil ornati, nil tumulti.* Fores floribus et frondibus ornari consueverant. Per *tumultum* intelligitur turba coquorum et tibicinarum qui cantaturi erant hymenæum, discurrentes et perstrepentes. *We.* — Zeun. Valp. Antes. *Nihil orn. nihil tum.* — *Ornati, tumulti*, pro, ornatus, tumultus : quarta declinationis. Sallust. in fragmentis : « Ergo *senati* decreto serviendum nescit. » — Sunt in quibus pro *intro asp.* legitur *introspexi.* — *Scio, magnum signum*, et quidem, hæc omnia magnum indicium sunt, nuptias non parari. Hæc Pamphilum non omnino convictum dicere, indicat interrogatio Davi : « Num videntur etc. » — Both. legit Pa. *Scio.* Ch. *Mag. sign.*

367. *Convenire nuptiis*, cohærere.

368. *Narras*, dicis. — *Accipis*, interpretaris quæ dico.

369. *Puerum conveni Chremis olera.... ferre.* Inveni servum Chremis ferentem.... Infinitivum *ferre* pro participio *ferentem*, ut supra vs. 365 : « video exire neminem. » — Both. ordinat. *inde abiens puerum conveni Chremis.*

370. *Pisciculos minutos.* Deminutionem addit minuto, ut vilitas magis appareat. — Valp. *Ferre obolo in cœnam seni.* — *Obolo* emptos. De oboli pretio, vide tabulam quam in fine Tom. I Martial. nost. editionis scripsit Vir Doct. *Letronne.*

371. *Liberatus sum hodie*, sc. cura et metu. — *Ac nullus quidem*, minime quidem; sic in Hecyra, 79 : *nullus dixeris*, pro *non dixeris.*

372. *Quid ita?* Cur sic loqueris. — *Huic*, Pamphilo. — *Prorsus*, nullo modo.

373. *Si huic non dat*, sub. « Chremes Pamphilo. »

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. CH. Bene mones.
Ibo, etsi hercle sæpe jam me spes hæc frustrata 'st. Vale.

SCENA QUARTA.

PAMPHILUS. DAVUS.

P. Quid igitur sibi volt pater? Cur simulat? D. Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse injurius videatur, neque id injuria,
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.

374, 375. *Nisi vides*, provides. — — *Senis*, Chremetis. — *Ambis*, assidue colis. Hoc loco nec deest, *nihil efficies*, ut plures volunt, nec reticentia est, ut falso contendit Interp. gallic. *Lemonnier*. Contra, *nisi* pendet e præcedentibus. Et est epanorthosis, quasi dicat Davus: Quamvis non necesse sit, si Philumena non datur Pamphilo, te illam ducere, non tamen omnino est desperandum, si provides, si oras et ambis amicos senis. — Artificiose Davus Charinum excitat, ut, si fieri possit, adjuvetur negotium Pamphili, dum ille sibi providebit. — *Frustrata 'st*, Zeun. Valp. Both. *frustrata est*. — *Vale*. Hæc salutatio pertinet ad Davum, si respicias sententiæ seriem; ad Pamphilum, si verecundiam; nisi ambo complectatur, et plurali sensu accipi debeat, quamvis singulariter dicta, in modum adverbii.

376. *Quid sibi vult*, quo tendit.

377. sq. *Si id succenseat nunc*, etc. Si succenseat (propter) id, quia Chremes non det tibi (filiam) uxorem, nunc priusquam perspexerit, ut tuus animus sese habeat ad nuptias, ipsus videatur sibi esse injurius, neque id (cum) injuria, immerito. — Fa. Be. Par. *suscenseat* ex MSS. *Perl.* — *Det*. Vulgo *dat* minus latine. *Perl.* — *Tuum ut sese habeat* etc. pro, ut sese habeat tuus animus, per hellenismum sæpe jam notatum. — Versum 377 et sequentem transponit *Both*.

380. *Negaris*, pro *negaveris* per syncopen. — *Ducere*, te ducturum. — *Ibi*, tum. — *Culpam in te transferet*. *Culpam* matrimonii dissoluti. — Both. post *transferet* addit *omnem*. — *In te*, a Chremete; quia scilicet, Pamphilo annuente, et Chremete renuente, hic solus fuisset de quo Simo quereretur.

Tum illæ turbæ fient. P. Quidvis patiar. D. Pater est, Pamphile.
Difficile 'st. Tum hæc sola 'st mulier. Dictum ac factum invenerit
Aliquam causam, quamobrem eam oppido eiciat. P. Eiciat? D. Ac cito.
P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? D. Dic te ducturum. P. Hem! D. Quid est?
P. Egon' dicam? D. Cur non? P. Nunquam faciam. D. Ne nega.
P. Suadere noli. D. Ex ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar. D. Non ita 'st.
Nempe hoc sic esse opinor: dicturum patrem,
Ducas volo hodie uxorem; tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum? Hic reddes omnia,

381. *Illæ turbæ*, lites et jurgia dilata. Dicit *illæ*, quia jam de iis mentionem supra fecit, quum dixit vs. 377: « Si id succenseat. » —*Quidvis patiar*, omnia obstinate feram, potiusquam uxorem accipiam. —Distinguunt alii *Quidvis? Patiar?* al. *Quid? vis patiar.* Sustulimus cum Be. et Perl. omnem intetrogationem.

382. *Difficile 'st*, obstinato animo resistere patri. — *Tum*, præterea. — *Hæc mulier*, Glycerium. — *Sola*, sine vindice. — *Dictum ac factum*, proverbialis est locutio, et ibi adverbialiter dictum, quasi esset, dicto citius.

383. *Quamobrem*, cur. — *Eiciat*, Sic Be. ex codd. s. τρισυλλάβως. Itidem in C. G. m. invenit Perlet., qui Bent. lectionem admisit. Nos item legimus et disposuimus. — Zeun. Valp. rejiciunt *ac* ante *cito*.

384. *Cedo igitur*, Pronuncia, dic. De hac voce egimus supra vs. 150. — *Hem*, Pamphilus miratur Davum talia suadentem. — *Quid est*, cur ita reclames.

385. *Egon' dicam*. Valp. dat *Egone*. West. censet *Ego dicam* præstare. — *Ne nega*, ne recusa te ducturum esse.

386. *Ex ea re*, quam tibi suadeo.

387. *Ut ab illa excludar*. Fiet ut a Glycerio excludar, et in nuptias Philumenæ conjiciar. — *Huc* dicit, domum Chremetis intuens. — Sic leg. Be. Erasm. We. Lindenb. In C. G. m. et c. Hal. *hac*.

388. *Hoc*, quod fiet. — Omittit *hoc esse* Guelf. 1.

390. *Cedo*, vide sup. v. 384. — *Quid*, secundum quid. — *Hic*, tunc. — *Reddes, efficies omnia incerta ut sient*. Hellenismus apud Nostrum usitatissimus, ut jam supra adnotavimus: Quo scilicet sub-

Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo. Nam hocce haud dubium 'st, quin Chremes
Tibi non det gnatam; nec tu ea causa minueris
Hæc, quæ facis; ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle: ut, quum velit, tibi jure irasci non queat.
Nam quod tu speres, propulsabo facile: uxorem his moribus
Dabit nemo. Inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Aliam otiosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
P. Itan' credis? D. Haud dubium id quidem 'st. P. Vide quo me inducas. D. Quin taces!
P. Dicam. Puerum autem ne resciscat mî esse ex illa, cautio est:

jectum posterioris verbi ad casum prioris attrahitur. — Br. *Reddes ei omnia.*

391. *Certa*, fixa et rata.

392. *Sine omni periclo*, ducendæ Philumenæ. Hæc refer ad, *reddes consilia.* — *Omni*, quolibet.

393. *Ea causa*, quia non dat gnatam. — *Nec minueris*, pro *nec minue*, ne desine. — Both. edidit, *gnatam, ne.*

394. *Hæc quæ facis*, ire ad Glycerium. — *Ne is mutet suam sententiam*, quando te amoribus renunciasse videret.

395. *Quum*, quamvis. — *Jure*, justam nactus irascendi causam.

396. *Quod tu speres*, quod tu sperare possis eventurum esse, si dicas te nolle. — Vulgo editur *speras.* — *Propulsabo*, refellam. — *Uxorem his moribus dabit nemo*, hæc sunt quæ, tamquam a Pamphilo objecta Davus, sibi proposuit refutanda. — *His moribus.* Viro moribus tam perdito, quam ego sum. Ut Davus fingit Pamphilum loquentem.

397. *Inopem*, uxorem.

398, 399. *Accipiet*, ex tuo ore discet. — *Ferre*, ducendam uxorem. — *Negligentem*, non alias nuptias aggrediendi, sed paratas peragendi. — *Aliam*, uxorem. — Sandby. et nuperæ editiones *alia*; Guelf. 2. *aliquod.* — *Otiosus*, cum minore quærendi festinatione.

400. *Haud dubium* etc. Valp. leg. *quidem est*; et Zeun. omittit *id.* — *Quin taces?* Quin desinis aliud ex alio mihi objicere, quum affirmem, rem *sine omni periclo* et *haud dubiam* esse. — MSS. quidam, ait West, *Tum tace.*

401. *Dicam*; sic indicat Pamphilus se tandem Davo consentire. —

Nam pollicitus sum suscepturum. D. O facinus audax! P. Hanc fidem
Sibi, me obsecravit, quî se sciret non desertum iri, ut darem.
D. Curabitur. Sed pater adest. Cave, te esse tristem sentiat.

SCENA QUINTA.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

Si. Reviso, quid agant, quidve captent consilî.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde, ex solo loco;
Orationem sperat invenisse se,
Quî differat te. Proin tu fac, apud te ut sies.

Mi. Vulg. *Mihi.* — Ex *illa*, Glycerio. — Vulgo legunt *ab illa*, sed præferendum *ex illa* quod Fa. in multis libris, præsertim antiquioribus invenit, et ego in omnibus meis. *Bent.* — *Cautio est*, cavendum est.

402. *Suscepturum.* Idem quod *tollere*, et ideo, vid. supr. v. 219.

402, 403. *Hanc fidem sibi me* etc. Ordo est: obsecravit me, ut darem sibi hanc fidem, quî sciret se non desertum iri. — *Hanc fidem*, me susceptnrum infantem. — *Quî*, ut. — *Non desertum iri*, a me. — Ita Mur. ex C. vet. Al. *deserturum*, ubi deest *me. Perl.*

404. *Curabitur*, de puero. — Comice dictum, non *curabo*. Davus nempe gravem virum agit, quum se sentiat necessarium. Sic Molière, *Fourberies de Scapin*, act. II, sc. VII : « Léandre. *Me promets-tu de travailler pour moi?* Scapin. *On y songera.* » — *Cave sentiat*, cave ne sentiat te esse. — Parisiensis unus Codex dat *ne* sentiat.

405. *Reviso.* Redeo ut videam. Sic infra vs. 536, *Viso* ponitur, pro Venio ut videam. — *Agant*..... *captent*, filius et servus. Hæc secum Simo. — *Quidve.* Sic Bent. pro *aut quid?* postulante, ut ait, numero, et Terentii consuetudine.

407. *Solo.* Solitario, ubi meditari facilius potuerit.

408. *Orationem.* Unus ex Parisiensibus MSS. *rationem. Perl.*

409. *Differat*, hoc est carpat, perstringat. Itidem Plaut. Pseud. I, III, 124 : « Jam ego te differam dictis meis. » Nisi felicius forte Donatus « disturbet, in diversum ferat, » et ille profert exemplum desumptum ex Adelphis, vs. 487 : « Miseram me, *differor* doloribus. » *Perlet.* — *Apud te ut sies*, ut sis tui bene compos. — Both. delet *ut.* — *Sies* pro *sis*, usitatissima forma. — G. m. *sis.*

P. Modo ut possim, Dave. D. Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

SCENA SEXTA.

BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

B. * Herus me, relictis rebus, jussit Pamphilum
Hodie observarem, quid ageret de nuptiis,
Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo præsto video cum Davo. Hoc agam.

410. *Modo ut possim.* Faciam, si modo possim. — C. I. et E. V. *possum*, male. *Perl.* — Both. aliter disponit *ut possim modo.* — *Hoc*, secundum *hoc.*

411. *Nunquam*, non prorsus plus asseverationis habet quam *non*, ut Virg. Æneid. II, 670 : «*nunquam* omnes hodie moriemur inulti.» — *Tecum commutaturum unum esse verbum.*—Abest *esse* a Par. MSS. quarto. *Perl.* — Credit Westerhov. *verba commutare* cum altero, sumi olim simpliciter, pro sermones conferre, et serius postea, etiam pro jurgari, mutuisque verbis incessere. Hic intellige, loqui ut confirmat versus 422, et adi cæterum Phorm. vs. 619, ubi eodem sensu eadem occurrit loquendi ratio.

* *Byrrhia.* Ad hæc in notis subjicit *Lemonnier* : «Le début de Byrrhie est gauche, son *a parte* est froid. C'est presque directement aux spectateurs qu'il parle, et les spectateurs ne doivent être comptés pour rien. Il fallait prendre une autre tournure, pour leur apprendre ce qui l'amène. Molière n'y aurait pas manqué. Dans Plaute, plus souvent que dans Térence, les acteurs parlent à l'assemblée.»

413 sqq. *Herus me* etc. Hic versus, et duo qui sequuntur, mire variant apud editores. Etsi sequamur Perletum, non inconcinna nobis videtur Westerhovii et Zeunii lectio : « Herus me.... jussit Pamphilum Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis, scirem : id propterea...» Animadvertendum est in Bothio deesse versum 415, quem Bentleius deleverat, tanquam spurium.

414. *Observarem;* alii, *observare:* observatio duplex est, vel captionis, vel obsequii: quod Byrrhiæ convenit.

415. *Hunc venientem*, Simonem, quem simul gestu designat.—Guyet. vult scribendum *huc venient.* et intelligit *Pamphilum.*

416. *Ipsum*, Pamphilum.—*Adeo*,

Si. Utrumque adesse video. D. Hem, serva. Si. Pamphile!
D. Quasi de improviso respice ad eum. P. Ehem, pater.
D. Probe. Si. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
B. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.
P. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora.
B. Hem!
D. Obmutuit. B. Quid dixit! Si. Facis ut te decet,
Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
D. Sum verus? B. Herus, quantum audio, uxore excidit.
Si. I nunc jam intro; ne in mora, quum opus sit, sies.
P. Eo. B. Nullane in re esse cuiquam homini fidem?
Verum illud verbum 'st, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi esse melius malle, quam alteri.

autem. — *Præsto*, scil. adesse. — *Hoc agam*, quid herus præceperit, id est, observabo.

417. *Utrumque adesse video.* Hæc Perletus tribuit Byrrhiæ. — *Hem*, eia age. — *Serva*, quæ præcepi.

418. *Quasi de improviso* etc. Quasi non antea vidisses, ne suspicetur meditata nos habuisse consilia. — *De improviso.* Alii *ex improviso est.* — *Ehem*, miranti similis, quasi hactenus non vidisset patrem.

419. *Probe*, monstratas partes egisti. — *Ut dixi.* Cf. supra vs. 254.

420, 421. *Nostræ parti*, nostris partibus, nostris rebus. — *Istic, neque alibi usquam*, neque in istare, neque in nulla alia. — *Tibi*, imperanti. — Bent. Br. et Both. *tibi erit usquam.* Zeun. *Usquam tibi erit.* — *Hem.* Quæ dicta sunt supra in hoc actu, vss. 325—335, explicant cur Byrrhia miretur.

422. *Obmutuit.* Simo ut prædixerat Davus ad vs. 411. — *Quid dixit!* Pamphilus. Vulgo cum interrogandi signo editur; sed interrogatio nulla est. Sunt verba admirantis.

423. *Cum gratia.* Tam grate et obsequiose. Eadem locutio occurrit in Phorm. 602, 603.

424. *Sum verus?* Nonne vera dixi? Hæc, submissa voce, Davus dicit ad Pamphilum. Cf. ad loc. citat. — *Uxore excidit*, uxoris spe dejectus est. — Quidam MS. *decidit.* Westerh.

425. *Intro*, adverbium: intra domum. — *Nunc jam*, ea ipsa hora. — *Sit*, erit.

426. *Nullane* etc. Monet Perl, *esse Nullamne* in Par. MSS. Veteres quædam edd. *cuiquam hominum.* Pet. *cuique homini.* Bentl. Both. dant *cuipiam.* — Eodem sensu Virg. Æneid. IV, 373: «Nusquam tuta fides, etc.»

427. *Verum*, adjectivum hic est, et refertur ad *verbum.*

428. *Sibi esse melius.* Felicius res sibi succedere. Horat. Serm. II, VIII, 18: «pulchre fuerit tibi.» V. et Bas. [et sic Valp.] *sibi malle melius esse.* Bent. *sibi esse bene ma-*

Ego, quum illam vidi virginem, forma bona
Memini videre : quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

SCENA SEPTIMA.

DAVUS. SIMO.

Da. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
Si. Quid, Dave, narrat? Da. Æque quidquam nunc quidem.

velle. — Hæc Terentii sententia fere eadem est quæ Euripidis in Medea : « ὡς πᾶς τις αὐτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ. » Et Menander : « φιλεῖ δ'ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα. »

429. *Quum.* Solus ex edit. quos habemus Perletus hanc vocem retinuit, post Bentleium. — *Illam*, Philumenam. — Both. *Ego il. vidi virginem : forma bona memini videri.*

430. *Videre*, pro vidisse. — *Quo*, quare, quapropter. — *Æquior sum Pamphilo.* Pamphilo minus succenseo.

431. *Si se illam*, etc. Servili procacitate dictum. Sensus est : si maluit illam sibi quam Charino uxorem. — Both. *sese.*

432. *Renuntiabo*, hero meo quid audierim. — *Ut*, unde eveniet, ut. — *Pro hoc malo mihi det malum.* Ludit servus, et jocatur in reseria. *Malum*, scilicet sensu duplici hic sumitur : et verberibus, pœna servorum ; (eodem sensu legere est apud Titum Livium lib. IV, 49 : « sicut servis *malum* minantem militibus »); et pro *malo* nuntiato. — *Hoc malo.* Both. delet *hoc.*

433. *Aliquam sibi fallaciam*, paratam adversus se.

434. *Ea gratia*, ea de causa, ut verba dem, hic restitisse.

435. *Quid, Dave, narrat?* Sic Bentl. et post eum Perlet. Omnes autem alii, et interpres Gallicus *Lemonnier* legunt, *Davus.* Quod minus probamus, et Bentleianam lect. recepimus. Nam scena priori Pamphilus ibat in domum, Davo comitante, qui tamen extra restitit. Ad hoc igitur refer verba, *et ea me restitisse gratia.* Senex autem Davo instat ut, quid Pamphilum audiverit murmurantem, secum communicet ; et præterea pergit inferius loqui de filio suo. — *Æque quidquam nunc quidem.* Subaudi, *narrat ;* et intellige : Nunc saltem, narrat quidquam : quam libet rem, omnia, *æque*, eodem modo, et Davus significat Pamphilum nihil dicere, quia is omnia *æque* loquitur, qui de omnibus tacet.

Si. Nilne? hem. Da. Nil prorsus. Si. Atqui exspectabam quidem.
Da. Præter spem evenit, sentio : hoc male habet virum.
Si. Potin' es mihi verum dicere? Da. Ego? nil facilius.
Si. Num illi molestæ quippiam hæc sunt nuptiæ,
Propter hospitæ hujusce consuetudinem?
Da. Nihil hercle; aut, si adeo, bidui est aut tridui
Hæc sollicitudo; nosti : deinde desinet.
Etenim ipsus eam rem recta reputavit via.
Si. Laudo. Da. Dum licitum est ei, dumque ætas tulit,
Amavit; tum id clam; cavit, ne unquam infamiæ
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.

436. *Nilne.* Valp. exhibet *Nihilne.*

437. *Præter spem* ejus. — *Evenit* quod Pamphilus taceat. — *Hoc male habet virum*, hominem torquet, quod de me nihil rescire potest certi, de animo filii. — Hæc Davus seorsum.

438, 439. *Potin' es, potisne es*, i. e. potes ne. Hac ratione *potis sum*, contracte *possum*. — *Verum dicere*, de iis quæ rogaturus sum. — *Ego.* Hæc Bentleius infert, ut metro consulat; quo insuper vividius reddi videatur diverbium. Conf. eamdem respondendi formulam, Eunuch. vs. 1015. *Perlet.* Admittit quoque Both. τὸ *ego;* Valp. rejicit. — *Quippiam*, secundum *quippiam*, quolibet modo. — *Hæc nuptiæ. Hæc* pro *hæ.* Veteres ex *hæ* effecerunt *hæcce;* moxque per ἀποκοπήν *hæc;* quod occurrit vel in feminino genere. Sic Plautus : « Periere *hæc* oppido ædes, » et imo Noster Phorm. 993 : « *Hæc* illæ erant itiones. »

440. *Hospitæ*, Peregrinæ, Glycerii. — *Consuetudinem*, consuetum et diuturnum amorem. — Valp. legit *propter hujusce hospitæ* Both. *Quippe sunt n. Hæc propt. hosp. hujusce consilium.*

441. *Aut, si adeo.* Vel si res eo venerit, ut sit molesta. *Adeo*, hic adverbium, pro ad id. — Bodl. *bid. aut trid. est.* West. Sic et Br. *Si* omittit Guelf. 1.

442. *Nosti*, gnatum. — Et nempe jam dictum fuit de Pamphili studiorum mediocritate. Supr. vs. 59. — *Nosti* cum interrog. Valp. non vero Zeun. Both. Perl. — Legunt alii *nostin'*; al. *nostine.* — *Desinet.* Cessabit hæc sollicitudo.

443. *Eam rem*, illos amores. — *Via*, sc. ratione. — Bod. leg. *Eam secum rem ipse recta rep. via.* Zeun. et Fa. ex Don. delent *recta.* Guyet. *eam rem* tollit, vocans interpretamentum.

444. *Dum licitum est ei.* Both. *Dum ei licitum est.*

445. *Tum*, et quidem. — *Id clam*, faciebat.

446. *Virum fortem*, ingenuum et honestum. Eodem sensu Cic. Verr. V, « adolescens bonus et fortis. »

Nunc uxore opus est : animum ad uxorem appulit.
Si. Subtristis visu 'st esse aliquantulum mihi.
Da. Nil propter hanc; sed est, quod succenset tibi.
Si. Quidnam 'st? Da. Puerile 'st. Si. Quid id est? Da. Nil.
Si. Quin dic, quid est?
Da. Ait, nimium parce facere sumptum. Si. Mene? Da. Te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem.
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad cœnam meorum æqualium
Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium : non laudo. Si. Tace.
Da. Commovi. Si. Ego istæc, recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
Nam si hic mali est quidquam, hem illic est huic rei caput.

448. *Visu 'st.* Alii legunt *visus est.*

449. *Nil*, nullo modo. Subaudi Tristis est. — *Propter hanc.* Vulgo *hanc rem.* Sed Be. omittit rem, subaudiens hospitam, sc. Glycerium. *Perlet.* — *Sed est, quod.* Sed aliquid est, propter quod. — Both. dat : *Sed, quod succenset tibi, puerile quiddam est.*

450. *Puerile est.* Res est puerilis. — Nimis autem exquisite intelligit Perl. qui credit Davum facete alludere ad puerum ex Pamphilo genitum — *Quid id est.* Valp. omittit *id.*

451. *Ait*, subaudi te.

452. *Est obsonatus*, obsonia emit. — Bentl. ex duobus lib. *est obsonatum.*

454. *Vocabo.* Intellige quasi esset audebo vocare. — Valp. *ad cœnam vocabo.*

455. *Potissimum nunc*, maxime nunc, in hac nuptiarum celebritate. — *Quod dicendum hic siet.* Gallice *soit dit entre nous.*

456. *Perparce nimium.* Sub. sumptum facis. — *Tace.* Hæc nonnihil indignatus Simo, qui pro responso ad rem suam spectante, ad alia prorsus aliena a Davo abstrahitur, et videt detectam nuptiarum simulationem.

457. *Commovi.* Scrupulum injeci. Loquitur secum Davus. — Both. *Ego, istæc ut fiant, videro.*

458. *Quidnam hoc rei est.* Both. *Quidnam hoc est re.* — *Hic veterator.* Mancipium veteranum et vafrum, technis et dolis confertum.

459. *Hic*, in hac re nuptiarum. — *Mali*, fraudis paratæ ad impediendas nuptias. — *Hem*, vox obmurmurantis loquendo. — *Illic est huic rei caput*, in his prolusionibus repetenda est origo hujus fraudis, quam adversus me parant. — Hæc dicit secum Simo, spectans magis ad rem quæ ipsum commovit, quam ad fallaciæ auctorem, satis notum.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA.

My.* Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia :
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
Si. Ab Andria 'st ancilla hæc. Da. Quid narras? Si. Ita 'st.
My. Sed hic Pamphilus. Si. Quid dicit? My. Firmavit fidem.
Si. Hem!
Da. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
My. Nam quod peperisset, jussit tolli. Si. O Jupiter!
Quid ego audio! actum 'st, siquidem hæc vera prædicat.

460. * Incipit hæc scena per confabulationem inter Lesbiam et inter Mysim, quæ cum illa arcessita redit ad dominam.

461. *Haud ferme invenias.* Ferme haud invenias; parum abest ut non invenias.

462. *Ab Andria.* E Andriæ famulatu. — Dav. *Quid narras?* Sim. *Ita 'st.* Sic nomina præfigimus ex Bentleio et Perleto; ut sint Davi potius admirantis quam interrogantis, et quasi conantis fucum facere hero; quo minus attendat mulierum sermoni. Alii legunt Sim. *Quid narras?* Dav. *Ita 'st.* — *Narrat* Guelf. 2. — *Ita' st.* Sunt hæc Simonis dictum suum confirmantis.

463. *Sed hic Pamphilus.* Connectenda sunt hæc una serie cum iis, quæ loqui pergit Mysis; ita ut Simo in indignationem seorsum indignetur, minimeque officiat ancillæ loquenti. — Sim. *Quid dicit.* Ad nomen solum Pamphili aures arrigit. — *Hem.* Crescit audiendi studium.

465. *Nam quod peperisset*, paritura esset. — *Tolli*, educari.

L. Bonum ingenium narras adolescentis. My. Optumum. Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. L. Sequor.

SCENA SECUNDA.

DAVUS. SIMO. GLYCERIUM.

Da. Quod remedium nunc huic malo inveniam? Si. Quid hoc?
Adeone est demens? ex peregrina? jam scio, ah!
Vix tandem sensi stolidus. Da. Quid hic sensisse ait?
Si. Hæc primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia.
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
Glycer. Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro.
Si. Hui! tam cito? ridiculum! postquam ante ostium
Me audivit stare, adproperat: non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. Da. Mihin'?

— De genere neutro, quod hic ponitur, et de verbo *tolli*, cf. supra vs. 219.

467. *Bonum ingenium.* Both. delet *bonum.*

468. *Illi*, Glycerio jamjam parituræ. — Vulgo, *mora illi sis.* Both. *ne in mora sies.*

469. *Huic malo*, quod fecit nimia ancillæ loquacitas.

470. *Adeone est demens*, Pamphilus. — *Ex peregrina*, ut filium suscipiat ex peregrina. — Hæc lentus et cogitanti similis loquitur; at mox, causam se invenisse ratus, vividius pergit.

471. *Stolidus*, qui ante non senseram. — *Sensisse.* Quid, MS. ap. We. *se sensisse.*

472. *Ab hoc fallacia*, profecta ab hoc veteratore, Davo. Non autem pertinet *ab hoc*, ad verbum *adfertur.*

473. *Parere*, partum edere. — *Quo*, ut eo, ea simulatione. — *Chremetem absterreant*, a nuptiis resarciendis, ut ego jam meditor.

474. Hæc Glycerii vox parturientis interiore domo auditur. — *Juno Lucina. Juno* Lucina, Junonis filia: *Juno*, a *juvando* dicta: *Lucina*, ab eo quod in *lucem* producat.

475. *Hui!* Hoc vere κωμικόν. Simo ipse suam sibi gratulatur calliditatem. — *Tam cito*, Glycerium parit.

476. *Audivit*, ex Mysi reduce. — *Adproperat*, parere. — *Commode*, apte, convenienter. Both. *commodis.*

477. *Divisa sunt temporibus tibi.*

Si. Num immemores discipuli? Da. Ego quid narres nescio.
Si. Hiccine me si imparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos me ludos redderet?
Nunc hujus periclo fit; ego in portu navigo.

SCENA TERTIA.

LESBIA. SIMO. DAVUS.

Lesb. Adhuc, Archylis, quæ adsolent, quæque oportet
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istæc lavet: post deinde,
Quod jussi ei dari bibere, et quantum imperavi,
Date: mox ego huc revertor.
Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.

Locutio ab ipso theatro desumpta, ubi omnia actibus, partibus, *temporibus*, ac personis *divisa* vel distributa dicebantur. *Perlet.* — *Hæc*, illa quæ machinatus es. — *Mihin'*, hæc divisa esse contendis? *mihi*, a me. — *Num immemores* sunt præceptorum quæ eis tradidisti. — Jam inde a Donati ætate lectio est, *immemor es discipuli.* Itid. C. G. m. ubi sup. script. est, *tui, filii mei. Perl.* — *Ego quid n.* Both. recidit *ego.* — *Discipuli*, Mysis, Lesbia, Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia.

479. *Hiccine*, Davus.

480. *Quos me ludos redderet. Me* pro *mihi* recepimus ex Bentleio, qui existimat *mihi ludos reddere* ne latine quidem dici posse; dum Plautus, Capt. II: «Nunc is *te ludos facit.*»

481. *Fit*, subaudi *res*, i. e. quidquid nunc agitur. — *Ego in portu navigo.* Fere similiter Virgilius Æn. lib. VII, 598: «Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus.»

482. Archylis, Glycerii famula, exeuntem obstetricem comitatur, quæ eam ultimis mandatis instruit. — *Oportet.* Var. ap. We. *oportent.* ἀρχαϊκῶς. *Perl.*

484. *Istæc*, puerpera — *Lavet*, absolute dictum. Sic Livius «*Lavanti* regi nuntiatum est.» — Plures interpretum volunt *istæc* pendere, regiminis more, ex verbo *lavet*, sed sensu minus honesto. Præterea famularum, potius quam Glycerii, esset illud ministerium *lavare istæc*, i. e., ut intelligunt, sordes ex puerperio. — *Fac istæc lavet.* Valp. *isthæc ut.* Nos Both. Perl. sequimur.

485. *Dari bibere*, bibendum. — Alii *dare* — *Mox ego huc revertor.* Both. *ego* omisit. *Revertar* Guelf. 1 et Zeun.

486. *Per ecastor scitus* etc. Construe: Ecastor, perscitus puer,

Quumque huic est veritus optumæ adolescenti facere injuriam.
Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse 'st ingenio bono;

SCENA QUARTA.

SIMO. DAVUS.

Si. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? Da. Quidnam id est?
Si. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ;
Sed postquam egressa 'st, illis quæ sunt intus, clamat de via.
O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim.

ita ut sit τὸ *per* τετμημένον. — *Ecastor*, pro *me Castor*; supple *adjuvet*. — *Perscitus*, perelegans. — Prisc. *Percastor*. Alii per diphtong. *Per Ædastor*

488. *Ut sit superstes*, partui. — *Ipse*, Pamphilus, ejus pater.

489. *Est veritus*. Valp. *Veritus est*. — *Optumæ adolescenti*. Sunt nomina, ut hoc est, ad utrumque genus, seu femininum, seu masculinum pertinentia. Vide supra, vs. 321. — *Facere injuriam*, erga eam contra jus agere. Et ipse Pamphilus supra vs. 371 : « Ego propter me illam decipi sinam etc.

490. *Vel hoc*, etiam hoc; et alludit senex ad ea quæ jam audivit, tum e Myside, 463 sqq. tum ex ipsius Glycerii parturientis clamoribus, vs. 474; quæ omnia, licet vera, simulata esse credit. — *Hoc*, scilicet fictam, ut putat, Lesbiæ orationem. — *Natum* pro *ortum* ap. Do. Both. *Vel h. qui credat, quin te norit*.

491. *Non imperabat*. Unus MS. Par. *Non vi parab*. vitiose. *Perl*. — Ante *Puerperæ* Valpy ponit virgulam. — *Coram* Glycerio et ejus familia; ideoque in domo.

492. *Illis*, mulieribus.

493. *Tandem*, igitur; et in interrogationibus habet vim vehementius instandi. *Perlet*. — *Idoneus*, facilis et opportunus.

494. *Quem*, pro, ut me. — *Incipias*, aggrediaris, tentes.

495. *Saltem accurate*. Interpretantur : *Saltem* non ita aperte, sed caute me fefellisse debebas, *ut certe* viderer a te metui etc. *Perl*. — Fortasse simplicius esset τὸ *accurate*, pro imperativo accipere, eo sensu : date operam, ut... alloquente scilicet sene, tum Davum, tum ejus conscios. — Valp. disting.

DA. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. SI. Edixin' tibi?
Interminatus sum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo?
DA. Teneo, quid erret; et quid agam, habeo. SI. quid taces?
DA. Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint hæc sic fore.
SI. Mihin' quisquam? DA. Eho, an tute intellexti hoc assimulari? SI. Irrideor.
DA. Renuntiatum est: nam quî istæc tibi incidit suspicio?
SI. Quî? quia te noram. DA. Quasi tu dicas, factum id consilio meo.
SI. Certe enim scio. DA. Non satis pernosti me etiam, qualis sim, Simo.

ut metui videar : certe si resciverim.

496. *Haud ego*, ipsum fallo. — *Edixin' tibi* Nonne edixeram ne quid ageres. Cf. supra act. I, sc. 1, vs. 196. — Lege *edixi tibi* sine interr. *Bent.* quem sequit. Both.

497. *Interminatus sum?* Nonne cum minis vetui ne id faceres? — *Quid retulit.* Noli interpretari cum Donato, et interprete Gallico *Lemonnier :* Quid profuit me ante dixisse? Ipsa enim sententia flagitat, ut hæc cum versu sequenti jungantur. Aliter enim, quid significaret ista senis interrogatio?—Sensus est: Quid tibi profecit mihi insidias fecisse? Num tibi credo? etc. — Totum vers. leg. Both. *Int. sum : num facere veritus? ecquid r.— Veritu's.* Alii simp. *veritus.*

498. *Credon' tibi hoc nunc.* Tò *nunc* refer ad *credo.* Valp. non interpungit post *nunc.*

499. *Et quid ag. hab.* Sic nos e Bent. Perl. Valp. Legit Don. *quid ego ag.* Both. *habeo quid agam.*

500. *Quid credas?* Repetit senis verbum vs. 498. i. e. Quid falsi pro vero in hac re tibi dari posset. — *Quasi non tibi renuntiata sint.* Bent. *siet renuntiatum.* Valp. et Both. sicut Nos — *Hæc sic fore*, artificium ita concinnandum fore.

501. *Mihin' quisquam.* Sub. renuntiavit — Aptius erit si reponas *min' quicquam?* sc. renuntiatum est. *Bent.* Sequitur Both. et id mallet Perl. si codd. ita haberent. — *Eho*, fingit se mirantem Davus. — *Irrideor.* In his omnibus mihi irridetur, et fraudes parantur, ut videò etiam nunc. — Signum interrog. quod est in Both. et Valp. sustulimus ex Bent. Zeun. et Perl.

502. Alii *suspectio.*

503. *Quasi tu dicas.* Ita loqueris, quasi dicas, etc.

504. *Enim*, nempe, scilicet:

Si. Ego non te? Da. Sed, si quid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba censes. Si. Falso. Da. Itaque hercle nihil jam mutire audeo.
Si. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. Da. Intellexti;
Sed nihilo secius mox puerum huc deferent ante ostium.
Id ego jam nunc tibi, here, renuntio futurum, ut sis sciens;
Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio aut dolis.
Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.
Si. Unde id scis? Da. Audivi et credo : multa concurrunt simul,
Quî conjecturam hanc nunc facio. Jam primum hæc se a Pamphilo

— *Non etiam*, nondum. — Valp. *me* ante *pernosti*.

505. *Ego non te*, pernovi? Both. *Egon' te? sed siquid enarrare occœpi.* — *Sed, si quid* etc. Connectendum illud cum iis quæ dixit Davus : *Non pernosti me . . . Sed* contra etc.

506. *Falso.* Ironice dictum. Injuria te suspicor. Hoc videtur Bentl. quidem multo minus convenire Simoni, quam Davo. Nos aliter. *Perl.* Both. *Falson'.* — *Mutire.* Qui *mutit* sonum edere dicitur, qui vix audiatur. Nam Græcis est μῦ sonus canum antequam latrent. *Schwabe.* — Both. *nil muttire.*

507. *Hic*, in domo Glycerii, quam indicat gestu. — *Intellexti*, pro *intellexisti*, recte conjecisti. Leg. cum interr. Br. et Zeun.

508. *Nihilo secius*, nihilo minus. h. e. quamvis, ut intellexisti, nemo hic pepererit. » — *Puerum*, subditicium. — *Ostium*, nostrum. — Hoc prædicto astute sibi præcavet adversus illa, quæ ipse infra 751, perpetrabit.

509. *Id ego jam nunc tibi, here, renuntio.* Sic colloc. Be. et Perl. — Valp. et Zeun. *tibi renuntio, here.* Both. *renuntio tibi, here.*

510. *Ne tu hoc mihi.* Both. omittit *mihi.*

511. *Prorsus*, omnino. — *A me*, longe a me. — *Hanc* omitt. Rom. cod. Et Both. delet *tuam.*

512. *Unde id scis*, quod mihi renuncias. — *Audivi et credo.* Illud non solum fama accepi, sed etiam, pro mea parte, credo. — *Multa concurr.* Plusculi MSS. Simonis personæ attribuunt, at We. Par. Be. al. continuatam orationem Davo dant. Probe. *Perl.*

513. *Qui*, pro *quibus*, ut sæpe fit apud Plautum atque alios comicos. Plaut. Capt. act. V, sc. IV : « Aut

Gravidam dixit esse : inventum 'st falsum. Nunc, postquam videt
Nuptias domi apparari, missa 'st ancilla illico
Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut adferret simul.
Hoc nisi fit, puerum ut tu videas; nihil moventur nuptiæ.
Si. Quid ais! quum intellexeras,
Id consilium capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
Da. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, hanc quam misère amarit; nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id da mihi negotî; tu tamen idem has nuptias

anates, aut coturnices dantur, *quicum* lusitent. » (pro *qaibuscum*.) — *Jam primum*. Ut incipiam. — *E Pamphilo*. Both. *a Pam*.

514. *Inventum est falsum*. Errore domini utitur, ut servi solent ad consilia sua exsequenda.

515. *Apparari*. C. G. m. post *apparari* in marg. *a me*. Quæ lectio par. textus an glossa sit nescio. *Perl.*

516. *Obstetricem arcessitum* etc. ut arcesseret, et simul afferret.

517. *Hoc nisi fit*. Construe : nisi hoc fit. Both. leg. *tu puerum ut vid.* — *Nihil moventur nuptiæ. Moventur* vividius, pro movebuntur, h. e. disturbabuntur. Inepte explicant qui dicunt, id est, *non promoventur*. Sensus est : nisi hoc fit, ut puerum suppositum videas, nihil est quod movebit, id est perturbabit, differet, irritas reddet has nuptias. *Bæcl.*

518. *Quid ais* Both. ex Be. *aisti*.

519. *Id consilium capere*. Subaudî « illas. » — Be. Zeun. Valp. Both. *id consilii*, quod posterior ille reposuit in versu præcedenti. — *Cur non dixti extemplo*. Both. *Cur non extemplo dixti*.

520. *Igitur*. Vox illa respondet ad Simonis incriminationem. — *Omnes nos*. Recte; ne Simone quidem excepto. Cf. vs. 125, 126.

521. *Misere*. perdite, sine modo ullo. Vulg. hoc ordine, *quam mis. hanc*. — *Nunc sibi uxorem expetit*. dari. — Ita intellige totam Davi sententiam : Quamvis, ut sciunt omnes, Pamphilus meretricem perdite amaverit; tamen nunc, meis consiliis impulsus, conjugium legitimum expetit.

522. *Id*, ut omnia harum consilia et machinas intervertam. — *Da mihi*. Al. *mihi da*. — *Tu tamen idem*, qui jam nuptiarum opus aggressus es. Bodl. non agnoscit *idem*, neque ed. 1469. West. *Tantum*, pro *tamen idem* Guelf. 1. — *Facere nuptias*, filio uxorem quærere.

Perge facere ita, ut facis; et id spero adjuturos Deos.
Si. Immo abi intro: ibi me opperire, et quod parato opus est, para.

SCENA QUINTA.

SIMO.

Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.
Atque haud scio, an, quæ dixit, sint vera omnia;
Sed parvi pendo. Illud mihi multo maxumum est,
Quod mihi pollicitu 'st ipsus gnatus. Nunc Chremem
Conveniam; orabo gnato uxorem. Id si impetro,
Quî alias malim, quam hodie, has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitu 'st, haud dubium 'st mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.

523. *Ita, ut*, sicut. — *Id*, amborum operam. — *Adjuturos*. G. Leidd. unus, *adjutores*; quam lect. defendit Guyetus.

524. *Immo abi intro*. Tu potius domum intra. — *Et quod parato opus est, para*. Quod opus est in parato, i. e. in apparatu nuptiarum.

526. *Atque haud scio an*. Perperam vertit *Lemonnier* : « Je ne sais pas trop, si tout ce qu'il m'a dit est bien vrai. » frequenter enim usurpatur *haud scio an*, pro *haud scio annon*, i. e. fortasse. Gallice melius verteretur : « Cependant, il se pourrait bien que tout ce qu'il m'a dit fût vrai. » — Hunc vs. esse glossam censet Both. et respuit.

528. *Pollicitus 'st*. Bi. *Pollicitu' est*. Zeun. *Pollicitus 'st*. Valp. *Pollicitus est*. Both. *Pollicitus* omisso *est*. — *Ipsus*. Al. *ipse*.

529. *Orabo gnato uxorem*, ut det filiam gnato meo. — Lectio *Id si imp.* Prisc. est. Both. *id* inserit.

530. *Alias*, alio tempore. — *Quî malim*, cur mallem. — Valp. Zeun. leg. *Quid*. Both. *Quando*.

531, 533. Ordo est: Nam si gnatus nolit præstare quod pollicitus est, haud dubium est mihi, quin, etc. — *Haud dubium est mihi*. Both. legit *id* pro *est*.

533. *Atque* MSS. Par. *Atqui. Perl. Adeo*, etiam. — *In ipso tempore*, in ipsa opportunitate. — *Eccum*, pro *ecce eum*, Veteres dixerunt; uti *ellum* pro *en illum*. — *Obviam*, subvenientem.

SCENA SEXTA.

SIMO. CHREMES.

Si. Jubeo Chremetem. Ch. O! te ipsum quærebam. Si. Et ego te. Ch. Optato advenis.
Aliquot me adierunt, ex te auditum qui aibant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato : id viso, tun' an illi insaniant.
Si. Ausculta paucis : et, quid te ego velim, et quod tu quæris, scies.
Ch. Ausculto : loquere quid velis.
Si. Per ego te Deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,
Quæ incepta a parvis cum ætate adcrevit simul,

534. *Jubeo Chremetem*, salvere.

535. *Aliquot.* Meminerit lector Davum Charino suasisse act. I, sc. III, ut Chremetis amicos adiret, et per eos hujus filiam in conjugium exposceret : de his igitur eo loco agit Chremes. — *Adierunt.* Sic Be. ex libb. s. In antiq. *adiere. Perl.* — *Ex te auditum*, pro auditum esse. Bene autem *auditum*, quia Chremetis amici ab aliis tantum de nuptiis certiores facti, nequaquam potuissent contendere *semet ipsos ex ipsius ore Simonis* audivisse. — *Aibant.* Valp. et plures *aiebant.*

536. *Meam nubere tuo gnato* Both. invertit : *Meam tuo nubere gn.* — *Id viso.* Venio ut videam id, sc. tu ne an illi etc. — *Tun'an illi insaniant.* Tu, si dixisti, illi si non audita referunt. *Farnab.*

537. *Ausculta paucis.* Aurem præbe paucis quæ dicam. Zeun. ex Bent. *Ausculta! paucis et . . .* Sed conunximus ex Both. Perl. Valp. — *Quid*, secundum quid. — *Te ego velim*, supp. adloqui, ut supra, vs. 29. — Valpy disponit *Ego te velim*, et *tu quod quæris.*

538. *Quid velis*, secundum quid velis me adloqui.

539. *Per ego te Deos oro. Per* in obtestationibus et adjurationibus solet separari a suo accusativo, interposito nominativo, qui sæpius est *ego.* Sic Virg. Æneid. IV, vs. 314 : «Me ne fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam, te etc.» Seneca in Agamemn. «Per te parentis memoriam obtestor mei.» — Both. ex Bent. *Per te ego Deos.* Zeun. *Per te Deos oro.* — *Chreme.* Vocativo casu, formatum more Græcorum, litera *s* subducta. Sic Cicero : *o Socrate*; Plaut. *o Hercule* etc.

540. *A parvis*, supp. *nobis.* Quum adhuc parvi essemus. — *Cum ætate adcrevit simul.* Hinc Virgilius Eclog. X, vers 54 : crescent illæ, crescetis amores. Don.

Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum?
Cujus tibi potestas summa servandi datur,
Ut me adjuves in hac re; atque ita, uti nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. CH. Ah, ne me obsecra,
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me, atque olim, quum daba
Si in rem est utrique ut fiant, arcessi jube.
Sed si ex ea plus mali 'st, quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
SI. Immo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme;
Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat. CH. Quid est?
SI. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. CH. Audio.
SI. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. CH. Fabulæ!
SI. Profecto sic est. CH. Sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium iræ, amoris integratio 'st.

541. *Cujus tibi potestas summa servandi datur.* Quem tu maxime omnium servare potes; et supplendum est, a corruptela amoris illegitimi.

543. *In hac re.* In servando filio. — *Uti.* Sic Both. Perl.; Valp. *Ut.*

545. *Quasi hoc te orando* etc. Quasi deceret amicum ab amico non nisi supplicationibus id impetrare.

546. *Alium esse censes nunc me atque olim.* Both. legit: *Alium me censes nunc atque olim.* — *Quum dabam* filiam.

547. *Arcessi jube* Philumenam. *Arcessi* dicebatur filia ex ædibus patris, in domum ducenda sponsi vel mariti.

548. *Ex ea re.* Intellige, e nuptiis.

549. *In commune ut consulas.* Ut rem consideres in commune nostri omnium bonum, nulla privatæ cujusquam utilitatis ratione habita.

551. *Immo.* Quasi dicat Simo: Adeo non a te dissentio, ut contra... — *Ita volo.* Volo ita ut dicis, h. e. in commune consulere. — *itaque*, pro *et ita.* C. I. et E. V. *atque* pro *itaque.* — *Ita postulo, ut fiat.* Impulsus illa voluntate in commune consulendi, postulo ut nuptiæ Pamphili et tuæ gnatæ fiant.

552. *Ni.* Valp. *nisi.* — *Ipsa res* Temporis opportunitas.

553. *Audio.* Hoc, leniter irridens Simonis credulitatem, Chremes respondet.

554. *Posse avelli*, h. e. filium ab hoc amore. — Both. *avelli posse.*

555. *Sic hercle* sub. est. — *Ut dicam tibi*, ut mox dicturus sum.

556. *Amantium iræ, amoris integratio est.* Quum duæ voces per substantivum *est* junguntur, verbum

Si. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus lubido occlusa 'st contumeliis,
Priusquam harum scelera et lacrymæ confictæ dolis
Reducunt animum ægrotum ad misericordiam,
Uxorem demus. Spero consuetudine, et
Conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dein facile ex illis sese emersurum malis.
Ch. Tibi ita hoc videtur : at ego non posse arbitror
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
Si. Quî scis ergo istuc, nisi periclum feceris?

cum posteriori potius concordat numero, ut hic est. Et præterea Ovidius:

« Vestes quas geritis, sordida lana fuit »

Cic. : « Tui consulatus fuit initium ludi Compitalici. » — *Integratio.* In quibusd. codd. est *reint.* in aliis *redintegratio. West.*

557. *Hem*, vox ad posteriora Chremetis verba alludentis, quasi dicat : Quum ita sit. Hanc vocem prorsus omittit Br.—*Ut ante eamus*, occurramus malo, impediamus nuptias, dum tempus adhuc sinit.

558. *Lubido.* Sic Bent. Both. Perl. In Valp. *Libido.* — *Contumeliis* mutuo congestis.

559. *Harum* feminarum. — *Scelera*, scelestas artes. — *Confictæ dolis*, quas simulatas dolus elicit. — De vi earum lacrymarum vid. Eunuch. 67 sq.

560. *Animum ægrotum*, qui nondum ab amore omnino convaluit. — *Reducunt.* Alii *reducant*, sed nostri omnes, et quidam antiqui Faerni habent *reducunt.* Recte. *Bent.*

561. *Consuetudine* conversatione ingenuæ uxoris. — *Et.* Finit hæc particula Be. versum. Sic it. Mu. Erasm. Bi. Sed incipiunt vulgo eadem sequentem. *Perl.*

562. *Liberali*, legitimo, et quod decet liberum virum. — *Devinctum, Chreme.* Lindenbr. MS. Reg. *divinctum Chremes.*

563. *Dein*, hac ratione. (Alii *Dehinc.*) Vox *dein* idem omnino valet hoc loco, quod apud Græcos εἶτα; quo tota sententia prior recolligitur, et posteriori jungitur. Sic Xenoph. : « Οὐ δυνάμενοι εὑρεῖν τὰς ὁδούς, εἶτα πλανώμενοι ἀπώλοντο. » — *Ex illis malis*, ex illo perdito amore.

564, 565. *At ego non posse arbitror neque illum* etc. Ut tota liqueat sententia, sic ordinandum et supplendum est: At ego non arbitror neque illum (Pamphilum) posse amare et colere constanter hanc (Philumenam), neque me posse perpeti id, sc. quod ille non habeat, non colat perpetuo hanc. — *Tibi ita hoc vid.* Both. omittit *hoc.* — *Neque illum hanc.* Both. *Neq. eum hanc.*

566. *Periclum*, tentamentum. Valp. *Periculum.*

CH. At istuc periclum in filia fieri, grave est.
SI. Nempe incommoditas denique huc omnis redit,
Si eveniat, (quod Di prohibeant!) discessio.
At si corrigitur, quot commoditates! vide.
Principio amico filium restitueris;
Tibi generum firmum, et filiæ invenias virum.
CH. Quid istic? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
SI. Merito te semper maximi feci, Chreme.
CH. Sed quid ais? SI. Quid? CH. Quî scis eos nunc discordare inter se?

567. *Periclum in filia fieri.* Menandri fertur : Ἐπὶ πείραν δοῦναι θυγατέρα. *Westerhov.*

568. *Nempe* scilicet, si quid est grave etc. — *Denique*, ad summum. — *Huc*, scil. ad id, quod est : Si eveniat...

569. *Discessio*, divortium. Guelf. 1. *discensio.*

570. *Corrigitur.* Hæc dicit de filio illicitis amoribus implicito. *Perl.* Alii *corrigatur*, vel *corrigetur.* — *Vide*, attendere velis ad commoda quæ enumerabo.

572. *Firmum.* Opponitur illi qui divortium facit. — *et filiæ invenias virum.* Post *virum*, subaudias, necesse est, *firmum*; quia si Terentius per *virum*, simpliciter *maritum* intellexisset, nihil dixisset Simo, quo Chremes pervinceretur.— *Invenias.* Sic Bent. ex vetustioribus suis. Valp. *invenies.*

573. *Quid?* sub. respondeam, dicam. — *Istic*, ibi, nunc, quum ita oras. Valp. Antes. legit *istuc.* — *Si ita istuc animum induxti esse utile.* Si induxti animum ita, sc. istuc esse utile. *Si* abest a Guelf. — *Animum induxti*, pro *induxisti in animum.* Vid. Sallust. Cat. 54. — *Istuc*, has nuptias.

574. *In me*, apud me ; quantum ad me attinet. — *Claudier*, pro *claudi.* Bentl. Both. Perl. legunt *intercludier*, contra omnes codices, ipsis confitentibus, et postulante sensu, ut putant. Quibus non assentimur.

575. *Merito te semper maximi feci.* Vid. eamdem locut. supra v. 293. — *Maximi.* G. EM. *maximum West.* Sic et Guelf. *Maxume* Br. — De hac tota senum confabulatione *Alex.* et *Am. Duval* : « Avec quelle bonhomie Térence fait parler les pères! c'est la nature même. S'il met deux vieillards ensemble, bien que leur caractère soit différent, ils parlent toujours avec une raison entraînante. Ces conversations entre les gens sensés forment, à notre avis, la partie la plus admirable de ses ouvrages. »

576. *Sed quid ais?* Omittit Chremes redditas sibi gratias, ut redeat ad ea quæ supra Simo nuntiaverat, v. 553 ; sed non clare dicit ad quæ

Si. Ipsus mihi Davus, qui intimus est eorum consiliis, dixit;
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.
Num, censes? faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?
Tute adeo jam ejus verba audies. Heus! evocate huc Davum.
Atque eccum video ipsum foras exire.

SCENA SEPTIMA.

DAVUS. SIMO. CHREMES.

Da. Ad te ibam. Si. Quidnam est?
Da. Cur uxor non arcessitur? jam advesperascit. Si. Audin'?
Ego dudum non nil veritus sum abs te, Dave, ne faceres idem,
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes;

spectet, et ideo interrogat alter. — *Quid?* h. e. quid, jam a me dictum, iterum repetis. — *Eos*, Pamphilum et Glycerium. — Abest *nunc* a Guelf.

577. *Eorum consiliis.* Both. *Consiliis eorum.*

578. *Suadet.* MSS. quidam *Persuadet.* Ita Br.

580. *Tute*, tu ipse. — *Adeo*, etiam. — *Ejus verba audies.* Versus gratia Fa. cum R. Steph. ex uno cod. *Ejus audies verba.* Sic et Br. — *Heus!* Servos alloquitur qui sunt in interiore domo.

581. *Eccum video ipsum foras exire.* Ecce video eum exeuntem ipsum foras.

582. *Uxor*, desponsa Philumena. Simonem alloquitur. Valp. Er. et G. F. recidunt τὸ *uxor.* — *Arcessitur.* De hoc verbo vid. sup. v. 547. — *Advesperascit.* Id vult indicare, tempus instare adducendi Philumenam. Nam sponsa vespertino tempore in sponsi domum ducebatur, præeuntibus pueris qui faces gestarent. Ad hæc Ritualia inter alios Ovidius spectat, Fast. II, 561. Hujus edit. volum. VI, pag. 132, — *Audin?* Hæc Simo ad Chremetem conversus. — Vulgo addunt *tu illum.* Quæ verba, ut Bentleius judicat, non necessaria, in textum ex notula irrepserunt. *Perl.*

583. *Non nil veritus sum.* Non omni metu carebam. — *Abs te, Dave, ne fac.* Valp. *Dave abs te ne f.*

584. *Solet* facere. — *Dolis ut me deluderes.* Refer illa ad τὸ *idem* versus præcedentis, quod ibi explicatur.

Propterea quod amat filius. Da. Egon' istuc facerem? Si. Credidi;
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. Da. Quid? Si. Scies.
Nam propemodum habeo jam fidem. Da. Tandem cognosti, qui siem.
Si. Non fuerant nuptiæ futuræ. Da. Quid! non! Si. Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. Da. Quid ais? Si. Sic res est. Da. Vide!
Nunquam istuc ego quivi intelligere. Vah, consilium callidum!
Si. Hoc audi: ut hinc te introire jussi, opportune hic fit mi obviam. Da. Hem!
Numnam periimus? Si. Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi.

585. *Propterea quod amat filius.* Dicit Simo se veritum fuisse, quia filius amicam habebat.

586. *Idque adeo metuens.* atque igitur id metuens. — *Vos celavi* te, et Pamphilum. — Da. *Quid.* Alii *quid est.*

587. *Jam* pro *Nam* Guelf. 2. *Habeo jam fidem.* Vulgo post *habeo* reponitur *tibi.* Non habet codex Bentleii veterrimus. Etiam deformat versum : sed tamen subauditur. — *Siem*, pro *sim.*

588. *Non fuerant nuptiæ futuræ.* Simo dicit *fuerant*, non *erant*, quia quum Davo nuntiaverat nuptias parari, jam tunc simulabantur. — *Non fuerant futuræ!* Hæc Davus, agens attonitum. — *Ea gratia*, ideo.

590. *Istuc*, scil. hæc esse falsa. — *Ego quivi.* Valp. et Zeun. *Quivi ego intelligere.*

591. *Hinc.* Intellige locum ubi scena agitur. — *Te introire jussi.* Nempe supra dixerat, v. 524 : *abi intro.* — *Hic.* Chremetem simul ostendit. Valp. leg. *hinc.* — *Hem!* interjectio est hic metuentis.

592. *Numnam periimus?* (Alii *Perimus.*) Necesse est, ut melius intelligatur hic locus, conferas adversus 398, 399, ubi Davus affirmaverat Pamphilo, fore ut, si diceret patri se velle uxorem ducere, Simonem negligentem faceret. Nunc spem conceptam despondere incipit, quum videt omnino aliter evenire. Simonem scil. nequaquam otiosum esse de nuptiis paratis, et instare nuptiis Philumenæ. — *Narro huic.* Guelf. et Br. *narra huic.* — *Quæ tu dudum narrasti mihi.* Adi supra versus 521 et seq. Hæc invertit Both. *Tu quæ dudum.*

DA. Quidnam audiam? SI. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. DA. Occidi. SI. Hem! Quid dixisti? DA. Optume inquam factum! SI. Nunc per hunc nulla 'st mora.

CH. Domum modo ibo; ut apparetur, dicam; atque huc renuntio. 595

SCENA OCTAVA.

SIMO. DAVUS.

SI. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mi effecisti has nuptias,

593. *Quidnam audiam.* Legitur et *audio*, quod Perletum secuti, rejicimus, eo magis quod ipse Menander sic ait: τί δή ποτ' ἀκούσω; ut citat Donatus. Et præterea sic sensus postulat: nam Simo dixerat, *Narro*, etc. Metuit igitur Davus quid auditurus sit, nempe ad nuptias revocatum esse Chremetem. — *Gnatam ut det oro.* Both. *Gn. oro ut det.* — *Vix*, non nisi post multas preces. — *Exoro*, precibus impetro. — *Occidi.* Hic *Am. Duval* et *Alex. Duval:* «C'est dans ce dialogue vrai que Térence est comique. Dave, qui se moque des vieillards, en feignant d'ignorer ce qu'il sait avant eux, se trouve accablé par la nouvelle qui renverse toutes ses ruses. Notre grand comique a souvent imité et embelli ce mouvement de scène.»

594. *Quid dixisti.* Sic un. cod. Be. pro *dixti* vulg. *Perl.* — *Optume inquam factum.* Sc. quia intentiore voce exclamaverat servus, *occidi!* quod, ut non plane audierat senex, Davus mira calliditate exclamationis temeritatem properat corrigere. Sed non censemus παρόμοιον esse *occidi* et *optume*, quod voluit Donatus, et quod admisit in versione sua Interpres gallicus. — *per hunc*, Chremetem.

595. *Modo*, solummodo, nec alio ut ostendat se non diu abfuturum. — *Ut apparetur.* Sic legimus ex Bentleio, quem secutus est Bothius. Ex iis qui illud *apparentur* retinuerunt, alii *nuptiæ* subaudiunt, alii, *omnia*, *uxor*, *matronæ*, *mundus muliebris*; non satis attendentes in domo Simonis, non Chremis paratum iri nuptias. Accipias igitur *apparetur* impersonaliter, ut infra Eunuchus, 583:

« Adhorter properent: dum *apparetur*, virgo in conclavi sedet. »

et intellige de apparatibus, quæ ad Philumenam spectant. — *Huc renuntio*, redibo huc, ut renuntiem quid actum fuerit. — Guelf. *huic* pro *huc.*

DA. Ego vero solus. SI. Corrigere mi gnatum porro enitere.
DA. Faciam hercle sedulo. SI. Potes nunc, dum animus irritatus est.
DA. Quiescas. SI. Age igitur, ubi nunc est ipsus? DA. Mirum, ni domi 'st.
SI. Ibo ad eum, atque eadem hæc, tibi quæ dixi, dicam itidem illi.

SCENA NONA.

DAVUS.

Nullus sum
Quid causæ 'st, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum. Jam perturbavi omnia:
Herum fefelli; in nuptias conjeci herilem filium;
Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo.
Hem, astutias! quod si quiessem, nihil evenisset mali.
Sed eccum video ipsum. Occidi.
Utinam mihi esset aliquid hic, quo me nunc præcipitem darem.

597. *Ego vero solus.* Hæc secum Davus quasi diceret: heu nimis vera loquitur. — *Porro*, igitur; et intellige: quum jam eum ad nuptias impuleris.

598. *Irritatus est*, quia dixerat v. 553: « Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. »

599. *Quiescas.* Ne sis sollicitus. — *Age igitur:* dic mihi. — *Mirum, ni domi est.* Both. omittit *est.*

600. *Tibi quæ dixi.* Valp. et Zeun. disponunt *Quæ tibi dixi.* — *Itidem.* R. *eadem.* Lindenbr. *idem.* — *Nullus sum.* Quasi Davus diceret *Perii.*

602. *Jam perturb.* Both. *tam.*

604. *Ut fierent* nuptiæ — *Hoc.* Simone.

605. *Hem! astutias* sub. *excogitavi.* Cum dolore et quadam simul ironia dictum. — *Hem.* Al. *Em*, in fine prioris versus. *Perl. Hem* dat Zeun. Sed quoque in fine prioris vers. — *Quod si quiess. Qui* pro *quod.* Br.

605. *Ipsum.* Pamphilum.

607. *Aliquid.* Aliquod præcipitium. — *Me nunc.* Sic invert. Be. quod vulgo est *nunc me.*

SCENA DECIMA.

PAMPHILUS. DAVUS.

PA. Ubi illic est scelus, qui me perdidit? DA. Perii! PA. Atque hoc confiteor
Jure mi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consilî
Sum: servon' fortunas meas me commisisse futili?
Ego pretium ob stultitiam fero; sed inultum id nunquam auferet.
DA. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.
PA. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo

608. *Illic*, pro *ille*. — *Scelus*. Non ad vocem, sed ad intellectum retulit per syllepsin; ut Eunuch. 300, et vide quæ jam de insolita hac syntaxi notavimus supra v. 250. — *Scelus*, idem valet quod *sceleslus*. — *Me perdidit*, in nuptias conjiciendo. Supra v. 523. — Totum hunc versum longe aliter legunt Both. et Perletus, ex Bent.:

« Ubi illic est? scelus! qui me hodie... perii! atque hoc confiteor jure. »

— *Perdidit* post *hodie* Guelf. 1. *Perdidit* omisso *hodie*, Guelf. 2.

609. *Nulli* pro *nullius*, (quod dant Reg. cod. et E.V.) Veteres nempe ita declinabant et hoc nomen, et alia, quæ serius posteriorem formam acceperunt. Invenitur in Varrone et in Probo *neutri generis*. Item Cic. « *aliæ* pecudis jecur. » et ad Her. « non res *totæ* rei necesse est similis sit. »

610. *Sum*. Ad finem prioris versus transponunt Bent. et Perl. Omittit Both. — *Fortunas meas*, meam sortem. — *Futili*. Homo est *futilis* qui tacenda continere non potest, et, ut ait Apuleius, rimarum est plenus. Veteres vas *futile* dicebant, quod infusa statim effundit.

611. *Ego pretium*. Sic legimus ex Perleto, qui subjicit: « Bentl. ex vett. edition. *Ego* pro *Ergo*, quod vulgo est. » Both. *en.* — *Inultum id nunquam auferet*. Non abibit, re impunita. Post *inultum* Both. legit *a me* ex Bent. — *Nunquam* pro *non*, ut jam supra vidimus vs. 411.

612. *Posthac incolumem*, etc. Intellige sic totam sententiam, quasi diceret Davus: « Tantum est illud malum, ut nullum sit postea, ex quo incolumis evadere nequeam, si præsens illud vitavero. » — *Nunc si hoc dev. m.* Both. *Si devito hoc mal.* omisso *nunc*.

613. *Nam quid*. Antesign. legit *Sed*

Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. DA. Nec quid me, atque id ago sedulo.
Dicam, aliquid me inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.
PA. Ohe! DA. Visus sum. PA. Ehodum, bone vir, quid agis? viden' me consiliis tuis
Miserum impeditum esse? DA. At jam expediam. PA. Expedies? DA. Certe, Pamphile.
PA. Nempe ut modo. DA. Immo melius, spero. PA. Oh! tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam et perditam restituas! hem, quo fretus sim,
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.

quid. — *Modo.* Vid. supra v. 421.

614. *Qui sum pollicitus ducere.* Both. *Qui ducere sum pollicitus.* — *Qua fiducia*, qua re fretus.

615. *Nec, quid me nunc faciam?* Volunt interpretes *me* sexto casu sumi, præpositione *de* omissa, quam multi cæterum recipiunt. Hoc nobis nimis durum videtur; et placuit admittere, Pamphilo, propter animi tumultum, incomposita excidere verba, ita ut debuerit dicere: *Nescio me, quid nunc faciam.* Quæ posterior dicendi formula hellenismus est Nostro usitatissimus, ut sæpius notatum est. — *Nec quid me*, scio quid faciam. — *Id ago*, ad id operam confero, ut sciam quid faciendum sit.

616. *Dicam*, h. e. Dicturus sum Pamphilo. — *Aliquid me inv.* Zeun. Both. Valp. *aliquid jam inventurum.* Fa. *jam me.* — *Producam*, differam, protendam.

617. *Ohe.* Gravis interrogatio, et minantis cum iracundia. *Don.* Var. in libb. *Ohe, Oh, Heo, Ehodum.* — *Bone vir.* Sic MOLIÈRE, *Tartuffe*, Act. IV, sc. VII:

« Oh! oh! *l'homme de bien*, vous m'en voulez donner. »

— *Quid agis.* Sic Perl. ex Be. Alii *ais.* — *Viden'* pro *videsne.* Alludit ad ea quæ dixerat supra v. 387, « Ut ab illa excludar, huc concludar. » — *Consiliis tuis*, secutum consilia tua.

618. *Miserum.* Both. *Misere.* — *Impeditum esse.* Absolute dictum.

619. *Nempe ut modo.* Sc. fecisti. — *Immo*, etiam. — *melius* expediam. — *Tibi ego ut credam*, intellige: vis, postulas. — *Furcifer. Furciferi* dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiæ magis quam supplicii causa, circa vicinos, *furcam* in collo *ferre*, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum. *Don.*

620. *Impeditam et perditam*, dif-

Annon dixi esse hoc futurum? DA. Dixti. PA. Quid meritu's? DA. Crucem.
Sed sine paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam. PA. Hei mihi!
Quum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo.
Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci sinit. 625

ficilem et desperatam. — *Quo fretus sim*, etc. Sic totam intellige sententiam : Hem, tu quo fretus esse unquam potui, tu qui me hodie... restituas rem. — *Sim.* MSS. *sum*, forte rectius.

622. *Dixi esse hoc futurum.* Zeun. et Valp. *Dixi hoc esse fut.* Both. *Futur. hoc esse dixi* — *Meritu's.* Aliquot lib. iique antiquiores, ut Fa. commemorat, non habent verbum *es*, nec Donatus quidem. At Bent. invenit *es* in suis libris; sed monet scribendum esse *meritu's*, ut *es* cum eo coalescat. *Perl.*

623. *Sine paululum.* Both. *Paulum sine.* — *Ad me redeam.* Vulg. *ut red.* Abest *ut* a multis libris. *Perl.*

624. *Quum non h.* Ant. et Valp. *cur.* Leid. un. *quad.*

625 *Namque hoc tempus, præcavere mihi, haud te ulcisci sinit.* Notandum est verbum *præcavere* non ex τῷ *sinit*, ut verbum *ulcisci*, pendere; sed ex altero (ut, *vult*, *jubet*,) quod subauditur, per licentiam sæpissime usurpatam latinis. Sic in Phæd. IV, XVIII, 31.

« Non veto dimitti, veram cruciari fame. »

Necesse est, ut plena sit constructio, reponas ante *cruciari*, non prius verbum *veto*, sed *jubeo*, *impero*. Rejiciendum ergo *monet* quod est in ed. 1469. — Ad extremum hunc actum annotant litterati jam sæpe citati : « De nos jours on aurait beau s'appuyer de l'exemple des anciens pour finir un acte à leur manière, on ne parviendrait point à satisfaire le public. On veut à présent un motif qui force les personnages à laisser la scène libre; et ce motif doit être tiré de l'action qui est censée marcher, même dans les entr'actes. »

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

CH. Hoccin' est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparent commoda? ah,
Idne 'st verum? Immo id est genus hominum pessimum,
In denegando modo quîs pudor paulum adest;
Post, ubi tempus promissa est jam perfici,
Tum, coacti, necessario se aperiunt;
Et timent: et tamen res premit denegare.

626. *Hoccine est credibile.* Antes. *credibile est.* Both. omittit *est.* — *Memorabile*, quod narrari et verbis exprimi possit.

627. *Vecordia.* Bene dicitur de homine qui est *sine corde*, et omni humanitatis sensu destitutus.

628. *Ut malis gaudeant.* Postquam dixit *cuiquam*, intulit numerum pluralem, ut alibi Eunuch. Prolog.: « Si quisquam est qui... in *his* poeta nomen profitetur suum. » — *Gaudeant.* Sic l. Vatic. In l. antiq. *gaudeat*, et infra *comparet*. *Perl.* — *Ex incommodis.* Both. *ab incommodis.*

629. *Alterius.* Refer, tum ad *malis*, tum ad *incommodis.* — *Comparent*, acquirant. — *Ah*, vox indignantis.

630. *Idne est verum.* (Valp. *Idn' est.*) Indicat se ægre adduci ad id, ut tantam admittat vecordiam. — Both. *Id ne vero.* — *Immo*, certe. Both. leg. *Id est pessumum hominum genus.* Antes. *Id genus hominum est pessimum.*

631. *Modo*, tantummodo. — *In denegando.* Antes. *Denegando*, et omittit *in.* Both. *De negando.* — *Paulum.* Zeun. et Valp., *Paululum.*

632. *Post, ubi* etc. Both. *Post, ubi tempu' promissa jam perfici.*

633. *Se aperiunt*, produnt animum suum. *Perl.*

634. *Et timent* denegare. Voces

Ibi tum eorum impudentissima oratio est : 635
« Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
« Heus, proxumus sum egomet mihi. » Attamen ubi fides?
Si roges, nihil pudet. Hic, ubi opus est,
Non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc expostulem? 640
Ingeram mala multa? atqui aliquis dicat: nihil promoveris;
Multum; molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.

has ad versum præced. transfert Zeun. — *Res*, rei et temporis necessitas. — Alii *Cogit* pro *premit*.

635. *Ibi tum*, quum denegant.

636. *Quis tu es*. Both. *tu quis es*. — *Quis mihi es?* Qua necessitate mihi conjungeris. — *Cur meam tibi*. Ellipsis est, et subaudi : *sponsam concedam*. — His alludit ad Pamphilum, quem loquentem ipsum inducit, imitando sane vocem et gestus.

637. *Heus* etc. Both. *Heus mihi* ad versum præcedentem transfert, et pro *ubi* dat *ubinam*. — *Attamen ubi fides*. Charinus eum ita respondentem inducit, cui talia objicerentur : Quis tu es..?

638, 639. *Nihil pudet* eos talia profiteri. — *Hic, ubi* etc. in rebus in quibus opus est pudore affici. — *Ubi nihil opus est*. Hæc summa est sententia Charini, ut homines pudere deberet quod fidem violent, non autem, quod aliquid rogati denegent. Jam ante Plautus, Epid. act. II, sc. 1, v. 1, « Plerique homines, quos, quum nil refert, pudet, ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor, quum usus est, ut pudeat. » — Hic *Am.* et *Alex. Duval*: « Charinus, dans son malheur, fait des reflexions morales qui toutes sont le fruit de la plus exacte observation du cœur humain. Qu'on reconnaît bien là un grand auteur comique! » — *Nihil pudet*. Both. *nil pudent* ex Be. Alii addunt *illos*. — *Hic ubi opus est*. Hæc verba initium versus præcedentis faciunt apud Both. — *Illic ubi nihil opus est*. Both. legit : *illi, ubi nil opus, ibi verentur*.

640. *Et cum eo*. Both. *aut cum eo*. Gu. 2. *ut cum eo*. — *Ad eum*, ad Pamphilum. Nondum enim prospexit. — *Cum eo injuriam hanc expostulem*; i. e. cum contentione rationem injuriæ ab eo deposcam.

641. *Mala multa*, h. e. maledicta; convicia. — *Atqui aliquis*, etc. Sin autem aliquis objiciat, dicendo, nihil profeceris. — *Atqui aliq. dic*. Bent. We. *atque*. Non placet. Nam *atqui* hab. vet. Ed. quod id. servit objectioni. — *Nihil*. Both. *nil*.

642. *Multum* promovero. — Perlet. distinxit cum We. et Valp. post *Multum*; alii ante, inter quos Both. — *Certe*, saltem. — *Animo morem gessero*, iræ indulsero.

PA. Charine, et me et te imprudens, nisi quid Dî respiciant, perdidi.
CH. Itane, imprudens? tandem inventa 'st causa: solvisti fidem.
PA. Quid tandem? CH Etiam nunc me ducere istis dictis postulas? 645
PA. Quid istúc est? CH. Postquam me amare dixi, complacita 'st tibi.
Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.
PA. Falsus es. CH. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,
Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?

643. *Imprudens*. Insciens, nec certe mali sibi conscius. *Perl.* — *Quid*. Secundum *quid*, i. e. aliquantum. — *Respiciant* nos. Bothius legit *respiciunt*.

644. *Itane, imprudens*. Itane fieri potuit, ut *imprudens* feceris. Interrogat, quasi negaret et diceret: Non ita; non imprudens fecisti. — *Inventa'st* a te. — *Causa*. Scilic. imprudentiæ prætextus. — *Solvisti fidem*, Rupisti fidem mihi datam, te non ducturum Philumenam. Sunt qui verbum *solvisti* accipiunt plane contrario sensu, *luere, persolvere;* inter eos Perletus qui: *solvisti fidem*, ironice. Nam *solvit fidem*, qui promissum præstat. Contra *adstringo fidem*, Eunuch. 102. Posterior cæterum interpretatio ad nostram recidit.

645. *Quid tandem* vis dicere. Quasi subjiceret: Ambagibus jam non diutius utere. — *Qui* pro *quid* Both. — *Etiam nunc*, quum fidem solvisti. — *Me ducere*, mihi fucum facere. — Al. *seducere*. — *Postulas*, vis, contendis. Adelph. 239: Per oppressionem ut hanc mi eripere *postulat*. — *Ducere ist. dict.* Both. legit: *me dictis ducere istis*.

646. *Amare* sub. Philumenam. — *Complacita'st*, complacuit. Eodem sensu P. CORNEILLE, in Comœdia, cui titulus, *Galerie du Palais:*

Connaissez tout à fait l'humeur de l'infidèle;
Votre amour seulement la lui fait trouver belle;
Son objet, tout aimable et tout parfait qu'il est,
N'a de charmes pour lui, que depuis qu'il vous plaît.

647. *Spectari*, æstimari.

648. *Falsus es*, falleris, in errore versaris. *Falsus* dicitur et de eo qui fallit, et de eo qui fallitur, ut ibi, et apud Sallust. Jugurt. 85: « Næ illi *falsi* sunt. » — *Nonne*. Be. Both. *non*. Itid. Erasm. sine *ne*. *Perl.* — *Tibi satis esse hoc vis. sol. gaud.* Both. *sat tibi esse hoc solid. vis. est gaud.* — *Hoc*, scil. habere Philumenam.

649. *Nisi me lactasses*, Per blandum sermonem et per promissa decepisses. *Lactare* proprie est *lacte nutrire*, et hic per translationem

Habeas. PA. Habeam! ah! nescis quantis in malis verser miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines,
Meus carnufex! CH. Quid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit?
PA. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
CH. Scio, cum patre altercasti dudum: et is nunc propterea tibi
Succenset; nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
PA. Immo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas,
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
CH. Scio: tu coactus tua voluntate es. PA. Mane;
Nondum scis. CH. Scio equidem illam ducturum esse te.

adhibetur. — *Produceres*, delusisses, et longa spe decepisses.

650. *Habeas.* Tibi Philumenam retineas. Concessio desperati et irascentis. — *Habeam*, indignantis repetitio, ut supra v. 329, Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. PAM. Cordi! — *Ah! nescis.* Both. *ah! an nescis.*

651. *Hic.* Davus quem ostendit. — *Confecit.* Vetust. cod. *conflavit.*

652. *Meus carnufex;* appositio quæ pendet ab *hic.* — *Quid*, secundum quid. — *Mirum est.* Both. *omittit est.* We. *Q. ist. t. mir. est? de te exemp. cap.* — *Si capit*, quod capiat.

653. *Si cognoris... amorem meum*, si sciveris cui dicaverim amorem meum.

654, 655. Hi duo versus per ironiam dicuntur. — *Cum patre altercasti dudum.* Prorsus alia dicit, alia intelligit; quia Pamphilus non diu cum patre altercatus est. Et sic de iis quæ sequuntur. — *Succenset;* et vidimus supra vers. 422, eum *obmutuisse.* — *Illam*, filiam Chremetis.

656. *Immo etiam, quo tu minus*, etc. Ad hæc mala in quibus versor, accedit id, in quo non plane scis quam miser sim, scilic. quod hæ nuptiæ a patre simularentur, nec mihi revera, sed tantum ad experientiam obedientiæ meæ appararentur. — *Quo tu minus scis.* Tuenda hæc lectio, ex consens. MSS. et edit. codic., contra Guyetum reponentem *quo scias magis.*

657. Be. et Both. legunt *hæc*, ex Donato.

658. *Postulabat*, contendebat.

659. *Mane;* ausculta, et discedentem Charinum retinet. — *Tu coact.* In lib. antiq. non est *tu*, quod pronom. Fa. interposuit. *Perl.*

660. *Nondum scis* ut omnia sese habeant. — *Scio equidem.* Eodem

PA. Cur me enicas? hoc audi : nunquam destitit
Instare, ut dicerem, me esse ducturum, patri,
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
CH. Quis homo istuc? PA. Davus. CH. Davus? quamobrem? PA. Nescio;
Nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
CH. Factum est hoc, Dave? DA. Factum est. CH. Hem, quid ais? scelus!
At tibi Dii dignum factis exitium duint!
Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quidni hoc consilium darent?
DA. Deceptus sum, at non defatigatus. CH. Scio.
DA. Hac non successit, alia adgrediemur via;

verbo *scire* per ironiam utitur. — Both. delet *scio* et edit : *equid. duct. illanc esse te.*

661. *Enicas* (alii *enecas*). Excrucias interpellatione tua. — *Hoc*, quod dicam.

662. *Instare, ut* etc. Both. *instare ut me ducturum patri dicerem.*

663. *Usque adeo donec*, usque ad id, donec.

664. *Istuc* fecit. — Versum hunc totum ex Perleto desumpsimus, quum longe variet apud omnes editores. Al. *P. interturbat;* al. *P. Davus omnia;* al. *P. interturbat omnia;* alii aliter. — *Davos*, non *Davus* Erasm. Par. Lind.

665. *Nisi satis scio*, id solum scio optime. — Similiter Cic. pro Rosc. Am. 35 : « *Nescio, nisi hoc video.* » *Perl.* Both. *nisi deos satis mihi scio fuisse iratos.* Tollit Be. *satis scio*, audacter. — *Auscultaverim.* Guelf. 2. et Zeun. *ei auscultaverim.*

666. *Factum est hoc, Dave.* Bent. adjicit *a te.* Da. *Factum est.* Be. ex uno Codice reponit *est.* Vulgo omittitur. — *Auscultaverim* Davo suadenti.

667. *At* execrandi vim habet initiale. Virg. Æneid. II, 535 : *At tibi* pro scelere, exclamat, pro talibus ausis. — *Duint.* Antique pro *dent*; quae altera est apud antiquos, et praesertim apud comicos subjunctivi forma.

668. *Eho, dic mihi.* Formula est intentionem audientis exposcens. — *In nuptias* illas.

669. *Quidni hoc consilium darent. Quidni* pro *quid nisi*, et intellige : *quid* fecissent, *nisi* dedissent hoc consilium. Vulg. *quod nisi hoc.* — *Vellent, darent*, pro *voluissent, dedissent.* — *Hoc consilium.* Vid. supra 384, 389, 395 : « Dic te ducturum... Tu, ducam, inquies... Patri dic velle. »

670. *Deceptus sum* eventu. — *Scio* te non eum esse, qui defatigeris propter dolorum et fallaciarum copiam, quae ad manum habes. Ironice dictum.

671. *Hac* via. — *Non successit* impersonaliter dictum. — *Adgrediemur.* MS. Mark. *adgrediamur*, atque ita

Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.
Pa. Immo etiam : nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
Da. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuum 'st, si quid præter spem evenit, mî ignoscere :
Parum succedit quod ago; at facio sedulo.
Vel melius tute reperi; me missum face.
Pa. Cupio : restitue in quem me accepisti locum.

Bæcleri omnes scripti codices.

672. *Nisi id putas.* Both. ex Bent. *nisi si id.*—*Id,* quod sequitur. — *Processit* imperson.

673. *Ad salutem* nostram, mutata viçe, *converti.* — Bent. ut magis numerose legatur, *posse* ponit post *salutem.*

674. *Immo etiam* amplius fieri potest. Ironice hoc dictum, et quod sequetur. — *Satis credo,* ut supra v. 665. Both. *sat credo.* — *Advigilaveris,* in hac re vigilantem et sedulum præbueris.

675. *Unis* nuptiis, ut dicitur *unis litteris,* quia nomen reipsa simplex, singulari numero caret. — *Ex unis gem. mihi conf. nup.* Is es qui non jam, in unas tantum, ut nuper fecisti, sed jam in binas simul nuptias me intricare possis, pro tua vigilantia. Satis liquet Pamphilum pergere, Davum ironice carpendo. — Guelf. 2. *ex unicis.*

676. *Hoc,* quod sequitur, scilic. *conari, adire.*—*Pro servitio,* pro servi ministerio, quoniam servus sum tuus.

677. *Conari manibus, pedibus.* De hoc vide supra v. 161. — *Noctesque et dies.* Both. omittit *que.*

679. *Tuum 'st,* pro dominio. — *Si quid* ex iis quæ conor. — *Præter spem,* contra spem tuam. — *Evenit.* G. *eveniat* pro *evenit* quod delet Both. — *Mi ignoscere.* Bothius dat *mihi te ignoscere.*

680. *Parum succedit* etc. Hoc generaliter dicit Davus, sed ita ut ad rem præsentem spectare possit. — *Sedulo,* id est, ex animo et sine dolo.

681. *Vel* si opera mea tibi non placet. — *Tute,* tu ipse. Notat Faernus in quibusd. lib. leg. *vel melius tu aliud reperi.* Atque ita est in edd. Aldinis, R. Steph. et Joh. Fabrini. —*Me missum face,* et operam meam.

682. *Cupio,* sc. te missum facere; sed prius me restitue in locum in quo me accepisti. — *Restitue in quem me* etc. Westherov. secuti sumus in hac lectione. Bentl. Perlet. Both. *restitue quem a me accepisti locum.* — *In quem locum,* pro, *in locum* in quo, ut vult ordo grammaticus; per attractionem quia ad casum antecedentis *locum,* attrahitur ipse relativus.

DA. Faciam. PA. At jam hoc opus est. DA. Hem! st, mane: concrepuit a Glycerio ostium.
PA. Nihil ad te. DA. Quæro. PA. Hem! nunccine demum?
DA. At jam hoc tibi inventum dabo.

SCENA SECUNDA.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

MY. Jam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum
Tuum Pamphilum: modo tu, anime mi, noli te macerare.
PA. Mysis! MY. Quid est? Ehem! Pamphile, optume te mihi offers. PA. Quid est?
MY. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad se venias;

683. *Faciam* Both. *faciemus.* — *Jam*, statim. — *St.* Vocula quædam jubentis silere. Plaut. in Epid. act. II, sc. II : « *St, st*, habete animum bonum. » — *Mane*, sta, audi quid hoc sit. — *A Glycerio*, ex domo Glycerii. — *Concrepuit ostium.* Notandum est, Athenis fores in publicum (*de dedans en dehors*) aperiri. Itaque monendi erant qui forte præteribant, ne fores iis impingerentur.—Both. legit : *hem! Sed mane : concrepuit ostium.*

684. *Nihil ad te* pertinet quid huc agatur; cogita potius de mea salute. — *Quæro.* De resarciendo malo cogito. — *Nunccine demum.* Num tandem nunc invenisti. Both. *Nuncne.* — *Jam*, brevi. — *Hoc*, consilium salutare *inventum dabo*, inveniam et dabo.

685. Hæc dicit Mysis exiens, ad Glycerium quæ est in interiore domo.—*Jam.* Alii *Jamjam* — *Ubi, ubi*, ubicumque. Sic Cic. Tusc. Q. I, 29 : « *Ubi, ubi* sit animus. » Locus expressus e Plauto, Rud. IV, VI, 6. *Perl.* — *Tibi*, pro, tuo desiderio. — *Inventum... adductum*, refer ad Pamphilum et intellige : curabo ut inveniam et adducam.

686. *Modo tu*, tantum. Sic Be. et Both. propt. metrum. Vulgo *tu modo. Perl.* — *Anime mi.* Mollis allocutio mulieris.

687. PA. *Mysis!* MY. *Quid est.* Sic legimus ex Perleto, nisi quod ex codice Regio *quid est*, pro *quis* reponimus. Rationem autem dialogi aliter intervertunt Zeunius, Valpy : PA. *Mysis, quid est.* MY. *Hem, Pamphile.*

688. *Ut ad se venias.* Br. Zeun. Bent. *sese.*

Videre ait te cupere. Pa. Vah, perii! hoc malum integrascit.
Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitari?
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mî adparari sensit.
Ch. Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset.
Da. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. My. Atque ædepol
Ea res est; proptereaque nunc misera in mœrore est. Pa. Mysis,
Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me desertu-rum,
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines.
Hanc mi expetivi; contigit; conveniunt mores. Valeant,
Qui inter nos discidium volunt. Hanc, nisi mors, mi adi-met nemo.

689. *Cupere*. Subaudi *se*. — *Vah*. Interjectio dolentis. — *Hoc malum*. Dolor est quem sensit Pamphilus, ad nuptias invisas adactus, ex consiliis Davi. — *Integrascit*; est quasi vulnus quod incrudescit. Interpretes gallici volunt hic agi de malo *Glycerii*. Satius est referre ad Pamphilum, quia τὸ *integrascit*, malum indicat jam antea memoratum. Fecit autem poeta nuperrime mentionem de Pamphili desperatione.

690. *Siccine me atque illam* etc. Apostrophe ad Davum et objurgatio. — *Sollicitari*. Vulg. *sollicitarier*; at Be. Mu. tollunt paragogen. *Perî*.

691. *Arcessor* a Glycerio. Br. Bent. *Accersor*. —*Sensit*, non *audivit*. Subest aliquid delicatius, et magis accommodatum ad anxietatem feminæ amantis. Sic Virgil. Æneid. IV, 296, sq.:

At regina dolos, (quis fallere possit amantem!)
Præsensit, motusque excepit prima futuros.

— Charinus facit continuationem sermonis Pamphili.—*Quibus quiesci*, a quibus (nuptiis) liberi et quieti nos omnes potueramus esse.—*Quam facile* pro *quam facillime*. Vid. supr. v. 136, pag. 26. — *Potuerat*. MS. quid. et editi *poterat*. — *Hic*, Davus. — *Quiesset*, nihil movisset.

693. *Age*, alloquitur Charinum. — *Si hic* etc. Quoniam hic non satis insaniat. Per ironiam et exprobrationem dictum.

694. *Ea res est*, i. e. nuptias apparari sensit, vers. 691. Mysis respondet ad id quod Pamphilus suspicatur, se a Glycerio arcessi, de nuptiis quas illa reformidabat.

696. *Capiundos*, suscipiendos.

697. *Contigit*, eam obtinui. Vide ad Ovid. Am. III, 7, 43. — *Mores* utriusque nostrum. — *Valeant*; h. e. abeant, recedant, et formula est omnia spernentis.

698. Libri antiqui *dissidium*.

Mr. Resipisco. Pa. Non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo. Sed si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse, ut credat.
Quis videor? Ch. Miser, æque atque ego. Da. Consilium quæro. Ch. Forti's.
Pa. Scio quid conere. Da. Hoc ego tibi profecto effectum reddam.

699. *Resipisco.* Ut sup. v. 334: « Reddidisti animum. » *Farn.* Hæc Charino tribuunt Zeun. et Valp. — *Atque hoc*, quam hoc responsum Pamphili. — Sententia eadem occurrit apud Racine, *Iphigénie*, act. III. sc. vii, sub finem :

Votre fille vivra : je puis vous le prédire.
Croyez du moins, croyez que tant que je respire,
Les dieux auront en vain ordonné son trépas;
Cet oracle est plus sûr que celui de Calchas.

700. *Si poterit.* Alii *potuerit* prave. *Perl.* — *Per me stetisse ne* etc. Per me factum esse ne. — *Volo*, libenter volo, lætabor. — *Non poterit* fieri.

702. *In proclivi quod est.* Quod factu facile est. Quia ex rebus anteactis, pater jam propensus est ad credendum, ortura esse a me suo de nuptiis consilio impedimenta.

703. *Quis videor.* Qualis, in quo statu tibi videor esse, qui misere cogar patri resistere. — Da. *Consilium quæro.* Postquam Charinus respondit : *Miser æque atque ego*, videtur Pamphilus respexisse severiori vultu ad Davum, qui, ut recreet heri animum, vivide hæc profert : *Consilium quæro.* His auditis, Charinus, *fortis es*, inquit ad Davum, ut ei blandiatur, simulque addat animos. At longe aliter servum alloquitur Pamphilus, et increpat per ironiam amaram : *Scio quid conere*, alludens ad ea quæ supra dixerat, v. 674 : Nam satis credo, si advigilaveris, ex unis geminas mihi conficies nuptias. Davus incusationem continuo refellit : *Hoc ego tibi profecto*, etc. — Mire inter se dissentiunt interpretes de lectione et sensu hujus loci. Perletus legit ex Bentl. Ch. *Forti's Si quid conere.* Zeun. Pa. *Consilium quæro.* Ch. *Fortis.* Pa. *Scio* etc. Both. Pa. *Fortis! scio, quid conere!* Valpy : D. *Consil. quæro.* Ch. *Fortis.* P. *Scio, q. conere.* Posteriorem hanc lectionem secuti sumus, quam præterea exhibet codex unus vetustior Biblioth. reg. — Quod ad sensum attinet, Donatus, Faber, et interprete gallici verba *fortis es* volunt dici a Charino ad Pamphilum, quasi voluisset Pamphilus sibi dici, *es fortis*, quum patri palam resistere decrevisset. Sed satius esse judicavimus si, ad ea intelligenda, respiceremus non privatam quamdam juvenis mentem, sed potius totam sententiæ seriem, quacum aptius quadrare credidimus interpretationem nostram. — *Hoc ego tibi profecto effectum reddam*, id est, efficiam, ad finem perducam. Notanda vis τοῦ *hoc*,

PA. Jam hoc opus est. DA. Quin, jam habeo. CH. Quid est? DA. Huic, non tibi habeo, ne erres.
CH. Sat habeo. PA. Quid facies? cedo. DA. Dies mi hic ut satis sit vereor
Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mi impedimento estis.
PA. Ego hanc visam. DA. quid tu? quo hinc te agis? CH. Verum vis dicam? DA. Immo etiam
Narrationis incipit mi initium. CH. Quid me fiet?
DA. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? CH. Dave, at tamen... DA. Quid ergo?
CH. Ut ducam. DA. Ridiculum! CH. Huc face ad me venias, si quid poteris.

i. e. *hoc* alterum consilium, non irritum, ut prius, futurum.

705. *Jam*, jam nunc. — *Hoc* i. e. consilium effici. — *Quin*, immo. — *Habeo*. Scilic. consilium. — *Huic, non tibi* etc. Davus ad Charinum.

706. *Sat habeo*. Si huic consulas. Quia nempe Davus, heri rebus consulendo, Charino quoque inserviet. — *Dies mi* etc. Construe: «Vereor (optans) ut hic dies sit sat. mi ad ag.» Both. legit *Dies satis sit vereor*.

707. *Ad agendum* quod deliberavi. — *Vacuum*, otiosum. — Both. τὸ *esse* rejicit post *narrandum*.

709. *Hanc*, Glycerium. Et ostendit domum Andriæ. *Ego hanc visam*. Both. *hanc visam ego*. — *Quid tu* facturus es ad Charinum. — *Verum vis dicam?* Visne ut dicam quæ vera sit moræ causa? — *Immo etiam*. Non solum ille affert moras in discedendo, sed etiam mihi est impedimento, incœpta *narratione* (hac enim voce solemne illud exordium perstringit.)

710. *Incipit*. Hæc seorsum dicit Davus. — Both. leg. *Narr. init. incipit mihi*. — *Me*, de me. Illud *de me* quidam admittunt.

711. *Eho*. Vox stomachantis. — *Impudens*, quem non pudet adhuc instare; qui non satis habeat, per Davum sibi moram esse præstitam, quominus fiant nuptiæ Pamphili cum Philumena. — *Dieculam*; mora, et quasi parva dies.

712. *Quantum huic promoveo* etc. addo dieculam, i. e. tantum temporis, in quantum promoveo, etc. — *Dave, attamen.....* ἀποσιώπησις, et subaudi, *fac, quæso, effice*. — *Ego* pro *ergo*. Guelf.

713. *Ridiculum* negotium. Et adjice: Quasi sit in mea potestate, ut Philumenam ducat. — *Huc*. Vultu et gestu domum suam indicat.

DA. Quid veniam? nihil habeo. CH. Attamen si quid...
DA. Age, veniam. CH. Si quid,
Domi ero.

SCENA TERTIA.

DAVUS. MYSIS.

DA. Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire me hic.
MY. Quapropter? DA. Ita facto est opus. MY. Matura. DA. Jam, inquam, hic adero.

SCENA QUARTA.

MYSIS.

Nilne esse proprium cuiquam? Di, vostram fidem!
Summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco

— *Ad me venias.* Alii dant *ut venias.*

714. *Quid veniam.* Cur venirem. —*Nihil habeo* quod tui causa possim. Bothius legit, *Quod veniam, nil habeo.*—*Age, veniam.* Vix concedentis, vix consentientis. *Don.* — *Si quid* habes.

715. *Dum exeo* e domo Glycerii, quo ingressurus sum. De voce *dum*, id. supra v. 330. — *Opperire me.* Be. et Both. delent *me.*

716. *Ita facto opus est.* Ita fieri opus est. — *Matura*, festina. — *Jam, inquam, hic adero.* Both. *Jam jam hic adero.*

717. *Nilne esse proprium cuiquam?* Τὸ *esse* abest ab edit. Perl.—*Proprium cuiquam. Proprium* est id, cujus possessio ita penes nos est, ut nequaquam eripi possit, et ideo quod est constans, perpetuum. Probat optime huuc sensum locus Nostri, infra, vs. 961:

«Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum *propriæ* sunt...»

—Eam sententiam Terentius expressit a Menandro: Βέβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ πλὴν.—*Vostram fidem*, testimonium, et subaudi, imploro. Id est *Testes vos* appello in hac re.

718. *Putavi hunc Pam.* Both. *hunc putabam Pamphilum.*

719. *Amicum, amatorem*, amicitia simul et amore conjunctum. Pro

Paratum : verum ex eo nunc misera quem capit
Laborem! facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. Mi homo! quid istuc, obsecro, 'st?
Quo portas puerum?

SCENA QUINTA.

DAVUS. MYSIS.

Da. Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia.
My. Quidnam incepturu's? Da. Accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram januam adpone. My. Obsecro,
Humine? Da. Ex ara hinc sume verbenas tibi,

amatorem Be. subs. *tutorem.* — *Virum*, maritum. — *In quovis loco*, in quavis occasione.

720. *Paratum*, qui præsto est.— *Ex eo*, Pamphili causa.

721. *Laborem*, malum, ærumnam. We. *Laborem* ex MSS. Leidens. Itid. Zeun. et Par. At MSS. quid. teste We. *dolorem.* Itid. Mu. Perl. — *Facile*, sine difficultate, sine controversia. Veteres dicebant *facile* pro *certo.* — *Hic*, in hoc (scil. Glycerio) *plus* est *mali*, sc. infelicitatis, *quam illic*, in illo (sc. Pamphilo) *boni*, scilicet auxilii, opis, quæ malo medeatur.—Plures interpretum aliter intelligunt : Certe plus mali est Glycerio *hic*, in hoc labore, quam est boni, felicitatis *illic*, in illa amicitia, et illo amore Pamphilo, quæ prius loquendo attigit.

722. *Sed Davus exit* e Glycerii domo.—*Mi homo.* Familiaris allocutio.—*Quid istuc*, quod facis.

724. *Nunc opus est tua.* Both. omittit *est.* — *Ad hanc rem* quam paro. — *Memoria*, ut retineat Davi præcepta. Perletus et Bothius legunt *malitia*; minus vero probe; quia, si partes Mysidis in hac scena respicias, nullus malitiæ locus est. — *Opus est exprompta memoria atque astutia.* Opus est ut expromas memoriam atque astutiam.

725. *Hunc* puerum.

726. *Nostram januam.* Januam Simonis, mei heri.

726. *Obsecro*, quæso. Miserantis est, puerumque humi reponere dubitantis.

727. *Humine.* Num humi infantem adponam.—*Ex ara.* Aræ Athenis stabant, pro unius cujusque domibus. Non autem probamus interpretes, qui putant hic agi de *Apollinis ara*, quæ ponebatur quum agerent comœdiam; dum, in tragœdia, *aram* Baccho consecrarent. Non enim hic

Atque eas substerne. My. Quamobrem tute id non facis?
Da. Quia, si forte opus sit ad herum jusjurandum mihi,
Non adposuisse, ut liquido possim. My. Intelligo:
Nova nunc religio in te istæc incessit! cedo.
Da. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas.
Pro Jupiter! My. Quid est? Da. Sponsæ pater intervenit.
Repudio quod consilium primum intenderam.
My. Nescio quid narres. Da. Ego quoque hinc ab dextera
Venire me adsimulabo; tu, ut subservias
Orationi, utcunque opus sit, verbis, vide.

agi debet de aris theatralibus; nec in scena, verum in foro res agitur. — *Hinc*, quæ stat ex hac parte. — *Sume tibi*, Pronomen est unum ex iis quæ sæpe Latini, ad majorem sententiæ vim, dativo casu adhibebant, ut in hoc Horatiano :

Qui metuens vivit, liber *mihi* non erit unquam.

— *Verbenas*. Planta erat verbena quæ in sacris sæpius et in ornandis aris adhibebatur.

728. *Eas*. Both. *Ei*. — *Substerne* puero. — *Tute*, tu ipse.

729. *Quia*, etc. Ob id, quod jam dicturus sum. — *Si forte opus sit*, etc. Si forte jusjurandum, me non adposuisse hunc puerum, opus sit mihi apud herum, possim liquido, sc. sine exceptione, aut conscientiæ scrupulo. — Both. *Quin, si forte opus sit ad herum jurato mihi*. Zeun. legit ut nos, nisi quod *jurandum* legit pro *jusjurandum*. — *Possim*, subintellige, facere. Molière, *Tartuffe*, act. V, sc. 1 :

Ce fut par un motif de cas de conscience.
J'allai droit à mon traître en faire confidence,
Et son raisonnement me vint persuader
De lui donner plutôt la cassette à garder,
Afin que, pour lui, en cas de quelque enquête,
J'eusse d'un faux-fuyant la faveur toute prête;
Par où ma conscience eût pleine sûreté,
A faire des sermens contre la vérité.

— *Cedo :* da puerum. Vid. sup. 150, pag. 28.

731. *Nova nunc rel. in te istæc inces.* Both. *Nova nunc in te istæc relig. incessit.*

732. *Move ocius te.* Periphrasis, pro *matura*, et intellige : appone hunc ocius ante januam nostram. — *Porro*, deinde; postquam *infantem* adposueris.

733. *Pro Jupiter!* Hæc subito Davus, viso Chremete. — *Quid est.* Hæc Mysis, dum puerum apponit. — Delet *est* Both. — *Sponsæ*, Philumenæ.

734. *Primum.* Adverbialiter dictum. — *Intenderam*, struxeram. — Both. *Quod prim. intendi, jam cons. repud.*

735. *Narres* G. m. *narras*. — *Quoque.* In eodem momento, quo Chremes. — *Hinc ab dextera*, per pleonasmum : *hinc*, ab hac parte, sc. ab dextera.

737. *Ut subservias orationi.* Ut me adjuves, orationi meæ tua verba accommodando. Both. omit. *ut*. — — *Utcunque opus sit*, (Both. omit.

My. Ego, quid agas, nihil intelligo; sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, ut tu plus vides,
Manebo, ne quod vestrum remorer commodum.

SCENA SEXTA.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

Ch. Revertor, postquam, quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paravi, ut jubeam arcessi. Sed quid hoc?
Puer hercle 'st. Mulier! tun' apposuisti hunc? My. Ubi illic est?
Ch. Non mihi respondes? My. Nusquam est. Væ miseræ mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. Da. Di, vostram fidem!
Quid turbæ est apud forum! quid illic hominum litigant!
Tum annona cara 'st. Quid dicam aliud, nescio.

sit;) prout opus erit. — *Vide*, cura ut, cave ut.

738. *Agas*, moliaris. — *Nihil*, nullo modo.

739. *Quod*, circa quod. — *Vobis*, tibi et Pamphilo. — *Ut*, quia. Sic Mur. Bent. Perl. Both. Vulgo *aut*. — *Vides*, intelligis, provides.

740. *Quod vestrum commodum*. Aliquod ex commodis vestris, tui et Pamphili. Alii legunt, *aliquod*; alii *ne quid*.

741. *Revertor... ut jubeam arcessi*. Sub. sponsam et cognatos in domum Simonis. — De verbo *arcessi* vid. supra v. 582.

743. *Mulier*. Alloquitur Mysim, quum antea secum locutus esset. — *Tun' apposuisti hunc*. Vett. edd. *tu*. Both. delet *hunc*. — *Ubi illic est. Illic*, pro ille. — Hæc Mysis, quærens anxie Davum, qui discesserat, ut rediret veluti veniens de foro.

744. *Nusquam est*. De Davo semper loquitur, nec habet quid respondeat.

745. *Di, vostram fidem*. Vid. sup. v. 717.

746. *Quid turbæ*, quantum tumultus. — *Quid hominum*; quantum hominum, quot homines. MS. aliquot et impressorum vetustissimi: *quot illic hom.* — *Illic*. Apud forum. Both. omittit *illic*.

747. *Tum*, præterea. Westerh. *num*. — *Annona cara 'st*. Simili modo garrulus ille apud Theophr. c. III, inter alia sic: ὡς ἄξιοι γεγόνασιν οἱ πυροὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ. Davus loquitur clara voce, quasi Chremetem non videat, ut fidem faciat se e foro redire. — *Quid dicam aliud*. Hæc Davus secum.

My. Cur tu, obsecro, hic me solam...? Da. Hem, quæ hæc est fabula?
Eho, Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
My. Satin' sanu's, qui me id rogites? Da. Quem igitur rogem,
Qui hic neminem alium videam? Ch. Miror unde sit.
Da. Dicturan' es, quod rogo? My. Au! Da. Concede ad dexteram.
My. Deliras. Non tute ipse...? Da. Verbum si mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.
My. Male dicis. Da. Unde est! Dic clare. My. A nobis.
Da. Ah, ah, he!

748. *Cur tu me solam* sub. *reliquisti.* Et est aposiopesis, per festinationem Davi interrumpentis, ne simplicitas Mysidis detegat fallaciam. — *Quæ hæc est fabula.* « Quænam fabula hic agitur. » His Davus indicare vult se adeo non omnia ante disposuisse, ut contra puerum fraude mala huc appositum ex animo credat.

749. *Eho, Mysis,* etc. Hæc ait, quasi Chremetem usque non videat. Both. rejicit *Mysis* post *unde est.*

750. *Sanu's*, sana mente es. — *Rogites.* Alludit ad repetitas Davi interrogationes : *quæ hæc fabula... Puer hic unde... Quis huc...* — Annotandum est ingenue hic Mysidem loqui, nec *orationi subvenire.* Ante *igitur* Both. et Zeun. addunt *ego.*

751. *Videam.* Both. *Video.* — *Miror.* Veteres dicebant *miror* pro *nescio*, præsertim *unde* sequente. Sic recte Donatus; nam admiratio, inquit, ab ignorantia descendit. — *Unde sit* hic puer. Chremes meditatur secum.

752. *Dicturan' es.* Both. delet *es.* — *Au!* Interjectio est turbatæ et consternatæ mulieris. — *Concede ad dexteram.* Hæc, Chremeti non audienda, ait. Bene *dexteram*; sinistra enim venit Chremes, et Davus non vult Mysidem propiorem esse seni; ita ut inter utrumque ea sit.

753. *Non tute ipse...?* Interrumpit Davus, dicturam : *huc attulisti.* Hæc submissa voce dicuntur. Perlet. et Both. *Verbum unum mihi*, et incipiunt versum seq. sic : *Præterea-quam.*

754. *Præterquam quod te rogo.* Plusquam illud quod te rogo. — *Faxis* per syncopen, pro *faceris*, unde postea *feceris.* — *Cave*, comminantis est.

755. *Male dicis.* Mihi jurgium facis, comminaris. — *Unde est* puer. Alta voce Davus primum loquitur, et pergit submisse. — *Dic clare*, ut Chremes audiat. Both. omitt. *dic.* — *A nobis*, e domo Glycerii. Et quum antea infantem ante ostium Pamphili posuerit, satis clare significat, tum pueri expositione, tum sua ipsa confessione, *a nobis*, natum esse hunc e Glycerio et Pamphilo. Alii legunt *a vobis*, quod et Faern.

Mirum vero, impudenter mulier si facit
Meretrix. Ch. Ab Andria est hæc, quantum intelligo.
Da. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? Ch. Veni in tempore.
Da. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua.
Mane: cave quoquam ex istoc excessis loco.
My. Di te eradicent: ita me miseram territas!
Da. Tibi ego dico, an non? My. Quid vis? Da. At etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic adposuisti? dic mihi.
My. Tu nescis? Da. Mitte id quod scio; dic quod rogo.

tuetur. — *Ah, ah, he!* ad Mysidis verba, quasi ad ridiculum quoddam mendacium, erumpit Davus in cachinnos, ut simulata admiratione se ab hac machinatione prorsus alienum ostendat.

756. *Mirum vero* etc. Hæc vere verba sunt viri se ipsum corrigentis, quum deprehenderit causam rei, quæ primum admirationem ipsi moverat. Et sic Davus omnia ad naturam callide adeo exprimit, ut Chremes ipsum vera loqui credat, Mysidem vero falsa ingerere. — *Impudenter facit*, impudenter se gerit, mendacia innectit. — *Mulier meretrix.* Sic designare vult Glycerium; quod intelligens Chremes subjicit: *Ab Andria.* Effecit ergo Davus quod volebat. Nam intellexit Chremes, ex qua natus sit Pamphilo puer.

757. *Ab Andria est hæc.* Post *Andria* legunt quidam *ancilla:* vocem hanc tanquam glossam, secundum Perletum rejecimus. Both. *hæc est.*

758. *Videmur esse idonei in quibus*, ea esse natura ut in nobis etc. Fingit Davus iracundiam

759. *In tempore*, opportune. Both. delet *in.*

760. *Adeo*, igitur, proinde.

761. *Mane: cave*, etc. Hæc rursus Davus submissa voce loquitur, non audiente Chremete. Et est interminatio prohibentis ne tollat Mysis puerum, aut exeat. Nondum enim omnia audivit Chremes; nondum plane comperit unde sit mulier, et de qua puer susceptus sit. — *Quoquam*, in quemcumque alium locum. — *Excessis* pro *excesseris*, quod proponit Guelf. 2.

762. *Di te eradicent.* Metaphorice dictum, pro funditus perdant. Locutio hæc ad Latinos transiit e Græcis, ἐκριζόω, *radicitus perdo.* Et imo Græci illam a populis orientis fuerant mutuati.

763. *Tibi ego dico, an non?* Hæc sublata voce. Legit Both. ex Bent. *Tibi dico ego.* — *Quid vis?* Mysis, Davo urgente, turbata quærit quid sit factura; nec ita submisse ut non a Chremete audiatur: Davus autem properat vocem *quid vis?* interpretari eo sensu, qui melius conveniat. — *At etiam*, Valp. *An etiam.* — *Rogas*, quid velim. Rursum jurgium repetit.

765. *Mitte id quod scio; dic* etc. Hæc submisse dicuntur.

My. Vestri... Da. Cujus nostri? My. Pamphili. Da. Hem! Quid? Pamphili?
My. Eho, an non est? Ch. Recte ego semper has fugi nuptias.
Da. O facinus animadvertendum! My. Quid clamitas?
Da. Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
My. O hominem audacem! Da. Verum: vidi Cantharam
Suffarcinatam. My. Dis pol habeo gratias,
Quum in pariundo aliquot adfuerunt liberæ.
Da. Næ illa illum haud novit, cujus causa hæc incipit.
« Chremes, si positum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit. » Tanto hercle magis dabit.
Ch. Non hercle faciet. Da. Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam

766. *Vestri*... adjectivum referendum ad *Pamphili*, quod infra.— *Hem! quid Pamphili?* Apparet mulierem *vestri* et *Pamphili* lentius pronunciasse, quam Davus vellet. Et ex consulto repetit ipse, quo pleniora Chremeti omnia indicentur.—*Hem! Quid?* Subaudi *dicis*.

767. *Recte*, merito.—*Ego semp. has fug. nup.* Guelf. 2; *effugi*. Both. *has fugi semper* et delet *ego*.

768. *O facin. anim.* Both. « *O anim. fac.* Mys. *Quid? Quid clamitas?* » — *Quid*, eur.

769. *Quemne vidi*. Quasi diceret: Loquerisne de eo puero, *quem vidi* etc.— *Vesperi* adverbialiter dictum; et est antiquus ablativus pro *vespere*: utroque enim promiscue utebantur. —*Verum*. Id quod dico *verum* est. Ita distinguimus ex Perl. contra multos.

770. *Vidi Cantharam suffarcinatam*. h. e. anum quamdam sarcina oneratam, quam sub axillis gestabat et veste tegebat. Præterea diversas explicationes aliorum. *Perl.*

771. *Habeo gratias*. Both. ex Bent. *gratiam*.

772. *Quum*. Quandoquidem. — *In pariundo*, substantive dictum, pro, in partu Glycerii. — *Liberæ*, quarum testimonia fidem faciant. Servis enim non licebat apud Atticos in testimonium admitti.

773. *Illa* Glycerium. — *Illum cujus causa* etc. Chremetem vult designare, et de eo loquitur, quasi de absente. — *Novit*, cognoscit quis sit. — *Hæc talia*, tales fallacias.

774. *Chremes si positum* etc. Pronuntiata hæc ἐν ὑποκρίσει; et ea sane inflexione vocis utitur Davus, qua secum loquentem Glycerium ipsam inducat Aliq. codd. ap. Be. et vett. add. *puerum positum*. — *Tanto magis dabit*. Ad sua ipsius verba redit, quæ Glycerii verbis opponat.

776. *Non hercle faciet*. Hæc dicit seorsum Chremes. — *Adeo*. Vide supra v. 760.

777. *Jam ego hunc* etc. West. notat alios legere *jam jam*.

Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto.
My. Tu pol homo non es sobrius. Da. Fallacia
Alia aliam trudit: jam susurrari audio,
Civem Atticam esse hanc. Ch. Hem! Da. Coactus legibus
Eam uxorem ducet. My. Eho, obsecro, an non civis est?
Ch. Jocularium in malum insciens pæne incidi.
Da. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis.
Ausculta. Ch. Audivi jam omnia. Da. Anne hæc tu omnia?
Ch. Audivi, inquam, a principio. Da. Audistin' obsecro? Hem,
Scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic est ille: non te credas Davum ludere.
My. Me miseram! nil pol falsi dixi, mi senex.
Ch. Novi rem omnem. Est Simo intus? Da. Est.

778. *Provolvam*, id est, volvam ante me. — *Pervolvam*, sæpius ac sæpius volutabo.

779. *Non sobrius*, ebrius.

780. *Trudit*, expellit, cujus in locum subeat.

781. *Hem.* Vox Chremetis, mirantis simul et sibi plaudentis quod has nuptias declinaverit. Pro *Hem.* Zeun. *Eho.* — *Coactus legibus.* Legibus Solonis cautum fuit, ut qui virginem liberam civemque atticam stuprasset, illam aut uxorem duceret, aut dotaret. *West.*

782. *Eho.* Alii *au.* Vox adversativa, Mysidis Davum refellentis, non sine quadam indignatione.

783. *Jocularium in malum.* Quod me ridiculum fecisset. Et in eo fuisset malum, quod Glycerium adversus nuptias reclamare potuisset, unde filiæ Chremetis ortæ fuissent molestiæ; præterquam quod Pamphilus, jam aliunde pater, in illicitis amoribus perseverare potuisset, Philumena neglecta.

784. *Quis hic loquitur.* Simulat Davus se nunc demum videre Chremetem. — *Per tempus*, in tempore, opportune. — Principium loquendi Davus Chremeti dat, perfecturus quæ ipse conatus est. *Don.*

785. *Anne hæc tu omnia.* Subaudi *audivisti.*

787. *Hem, Scelera!* Quot scelera moliuntur! Exclamatio indignantis. Vox *hem* versum incipit apud Zeun. et Valp. — *Hanc*, Mysim. — *In cruciatum*, seu in verbera. Bodl. non agnoscit τὸ *hinc*, et pro *abripi* legit *arripi.*

788. *Hic est ille. Ille* quem ludis est, sc. Chremes, qui adest. Both. *hic ille est.* — Difficile credendo, affirmat se non scivisse præsentem Chremetem, ut nihil illum de se faciat suspicari. *Donat.*

790. *Novi rem.* Verum mihi nunc compertum est. — *Ne me attingas.* His Davum increpat, qui gestiens præ lætitia ludos facit Mysidi et blanditias. Both. *ne me attigas.*

SCENA SEPTIMA.

DAVUS. MYSIS.

MY. Ne me attingas, 790
Sceleste; si pol Glycerio non omnia hæc....
DA. Eho, inepta, nescis, quid sit actum? MY. Quî sciam?
DA. Hic socer est. Alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret hæc, quæ voluimus. MY. Prædiceres.
DA. Paulum interesse censes, ex animo omnia, 795
Ut fert natura, facias, an de industria?

SCENA OCTAVA.

CRITO. MYSIS. DAVUS.

CRITO.* In hac habitasse platea dictum 'st Chrysidem,
Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias,

791. *Si pol Glycerio non omnia hæc* sub. *renuntiem.*

792. *Quid sit actum* a me. — *Quî sciam.* Non fuit Davo tempus prænonendi. Vid. supra. Both. et Zeun. *Quid sciam.*

793. *Socer* futurus.

794. *Quæ voluimus* eum scire.— Valp. *Quæ volumus.* — *Prædiceres.* West. *Hem, prædic.* Supprimitur *si* particula et tempus mutatur, pro *si prædixisses.* Sic Virgilius Æneid. VI, v. 31:

Partem opera in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

— Et præterea alterum est genus reticentiæ, quia non absolvitur per hæc verba omnino sensus. Occurrit etiam aliquid simile in Virgil. Eclog. IX, v. 45.

... Numeros memini: si verba tenerem.

795. *Paulum*, parum.

796. *Ut fert natura, facias; an de indust.* Annotant ad hæc *Am.* et *Alex.* DUVAL: « Voilà le coup de maître! L'auteur avertit le public de la beauté de sa scène; ce qui n'est pas toujours inutile. » *Ut fert natura*; Both. *Natura uti fert.*

797. CRITO*, Chrysidis sobrinus; ad quem lege hæreditas pertinebat. — *Habitasse.* Non *habitare*, quia mortua est. — *Dictum est* mihi.

798. *Sese optavit parere. Sese* eleganter abundat. Sic Eunuch. I, « qui placere *se* studeat bonis » — *Parere.*

Potius quam honeste in patria pauper viveret.
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter, video. Salvete. MY. Obsecro!
Quem video? Estne hic Crito sobrinus Chrysidis?
Is est. CR. O Mysis, salve. MY. Salvos sis, Crito.
CR. Itane? Chrysis. . .? Hem! MY. Nos pol quidem miseras perdidit.
CR. Quid vos? quo pacto hic? Satine recte? MY. Nosne? Sic
Ut quimus, aiunt; quando, ut volumus, non licet.

Manuscripti quidam et editi(Z.)dant *parare*. Sed τὸ *parere* ex Probo vindicat Riv. admisitque in suam edit. 1536. Et sane Terentianum magis est. *Westerhov.* — Bothius: *Quæ inhoneste parere se hic optavit divitias.*

799. *Pauper*. Adjectivus ille in feminino genere, *pauper* et *paupera*. Plaut. « *Pauperæ* hæc res est. » In quibusd. MSS. et editis, *paupera*.— *Viveret*. Vulgo *vivere*. Sed hæc lectio repugnat grammaticæ. Quia, quum *vivere*, ita ut *parere* pendeat a *sese*, deberet adjectivus ad infinitivi subjectum referri, et legi *pauperem*. — Menander: Πενίαν τ' ἄλυπον μᾶλλον, ἢ πλοῦτον πικρόν. Et Antiphanes: Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς.

800. *Ejus morte*. Vult Guy. *Ejus mortuæ*. — *Ea*. Istius modi, tam inhoneste parata.—*Redierunt*, ea mortua. Bene *redierunt*, quia, ex jure, bona in familiam mortuorum redeunt, si non est hæres de proximo, aut ex testamento.

801. *Video*. Hæc dicit, prospiciens Davum et Mysim. — *Obsecro*. Adverbialiter positum, estque veluti rogantis; etiam quum, qui loquitur neminem interrogat, et secum loquitur.

802. *Quem video*, etc. Totum hunc versum a Mysidi seorsum dicitur.— *Sobrinus*. *Consobrini* proprie dicuntur nati ex duabus sororibus; *sobrini* filii consobrinorum. Cæterum legitur *Consobrinus* apud L. et Venet. cod. Both. dat: *Estne hic re consobrinus Chrysidis*.

803. *Is est*. Agnoscit Mysis Critonem quem olim apud Andrum cognoverat, jam Chrysidis servitio addicta. — Guelf. 2: *Is est Crito*.

804. *Itane?* Sub. *es t*.—*Chrysis..?* Sub. *periit*, quod Crito omittit, seu propter euphemismum, seu propter optimi viri dolorem. — *Hem?* Vox gementis. — *Nos*, me et Glycerium. —*Quidem*, etiam. Valp. *Nos quidem pol*. — *Perdidit*, moriens perdidit, exstinxit. Ita Virg. Æn. IV, v. 682.

Exstinxti te meque, soror...

805. *Quid vos?* sub. *agitis*.—*Quo pacto hic? Satine recte?* subaudi *vivitis*. Valpy legit *sati'n*.—*Nosne?* Quæritisne quomodo vivamus. — *Sic* vivimus, *ut quimus*. Perl. distinguit hoc modo: *Sic. Ut quimus*. Et interpretatur *sic*, quasi sit particula extenuationi inserviens. Nos sequimur Bentleium et Zeunium.

806. *Aiunt*. Sicut aiunt. For-

Cr. Quid Glycerium? Jam hic suos parentes reperit?
My. Utinam! Cr. An nondum etiam? haud auspicato huc
me attuli.
Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem:
Semper enim dicta 'st ejus hæc atque habita 'st soror;
Quæ illius fuerunt, possidet. Nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent. Simul arbitror,
Jam esse aliquem amicum et defensorem ei: nam fere
Grandiuscula jam profecta 'st illinc. Clamitent,

mula usitata in citando proverbio. —*Non licet.* Subaudi *vivere.* Eamdem fere sententiam expressit Noster supra, v. 306, sq. — Alias *lubet. Er.* Non habet *quando* R. c. *Perl.* — *Quandoquidem* Guelf. 2. *Ut volumus quando,* Guelf. 3.

807. *Quid Glycerium* subaudi *agit.* Eadem ellipsi utitur Virgil. Æneid. III, v. 339:

Quid puer Ascanius?...

Convenit viro hæreditatem petanti, de pluribus interrogare. *Dum;* — *Jam,* jam nunc. — *Hic,* Athenis, e qua oriunda dicebatur Glycerium.

808. *Utinam* reperisset. — *An nondum etiam?* Subaudi *reperit.* Et dictum potius per exclamationem, quam interrogationem. — *Haud auspicato.* Infeliciter, ut ait Valla, quasi auspiciis repugnantibus. — *Attuli. Fa. appuli.* Dant quoque Br. Zeun. Both. qui legit *ah* pro *an.*

809. *Scissem* Glycerium non reperisse parentes. — *Tetulissem,* pro *tulissem,* reduplicata prima verbi litera. Alii *retulissem.* Alii *detulissem;* corrupte, ut putat Westerhovius.

810. *Ejus,* Chrysidis. Hanc vocem Bodl. non agnoscit. — *Hæc,* Glycerium. Both. *Hæc semper esse dicta est atque.* Perlet. monet Guelf. 2 habere *esse hæc* sine *ejus,* et in Guelferbytano 3 poni *esse* post *est.*

811. *Hospitem,* et inde multa impedimenta nacturum in jure impetrando. Quam vero Athenis difficile fuerit peregrinis litigare, vel causam suam consectari, præsertim contra civem Atticum, id e Xenophonte satis ostenditur.

812. *Quam hic mihi utile atque facile.* De usu τοῦ *quam* negandi vim habentis; vide supra vers. 287, et intellige quasi diceret, *minime facile atque utile.* « Pro *hic,* lego *id,* ob fidem quatuor codd. antiquorum et ob sensum. » *Bentl.* Sequitur Bothius.

813. *Simul,* præterea.

814. *Nam fere Grand.* Consecuta pene hanc ætatem qua posset dici *grandiuscula;* et intellige: ea ætate, qua viris placere posset. — *Ei.* MSS. Par. et alii *ejus.* — *Esse aliquem,* Valp. *aliquem esse.*

815. *Illinc.* Ex Andro; et est illud adverbium, quod remotiora designat. — Reg. cod. *Profecta'st illinc clam: clamitent,* etc. *Lindembrogius* — *Clamitent.* Clamitarent amici et defensores illios.

Me sycophantam hæreditates persequi,
Mendicum; tum ipsam spoliare non lubet.
My. O optume hospes! Pol, Crito, antiquum obtines.
Cr. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. My. Maxume.
Da. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

816. *Me sycophantam*, etc. Construe: me, mendicum, persequi sycophantam (ut est sycophantæ) hæreditates.—*Sycophantam*, fraudulentum. Athenienses, quum e sterili suo solo nihil fere, nisi olivas et ficus colligerent, edixerunt, ne quis ficos exporturet: unde jus datum cuique accusandi, si quis legem hanc violasset, et ficus exportatas designandi. Propter quod accusator vocabatur συκοφάντης. Quum autem sæpius accidisset, ut crimen illud falso indictum fuisset ante judices, venit usus eodem nomine συκοφάντου hunc designandi, qui quamlibet calumniam, vel fallaciam struxisset. — *Hæreditates*. Dant Br. Both. Perl. *hæreditatem*. Distinguendum post *Sycophantam* putat Bentl. ex Donato. Sequitur Valpy. Abest *me* a Guelf.

817. *Tum*, præterea. — *Lubet*. Sic Br. Both. *Libet*. Valp. *Licet*. Z. — *Spoliare*. Valpy ex Guelf. 1, 3, *despoliare*.

818. *Antiquum*, subaudi *ingenium*, quod tuum esse Andri noveram.— *Obtines*, servas. Edit. pr. *retines*. — *Optume*. Quidam legendum putant *opportune*. Post *obtines* Guelf. legit *morem*.

819. *Maxume*, libentissime faciam.

820. *Sequar hos* ad Glycerium.— *Senex*, Simo. Nam Simonis domum ingressus est Chremes, et timet Davus ne Simo suo apud socerum utatur testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium, et ne rursus nuptiæ confirmentur. *Donat*.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

CHREMES. SIMO.

CH. Satis jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia 'st mea :
Satis pericli incepi adire : orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pæne illusi vitam filiæ.
SI. Immo enim nunc quam maxume abs te postulo atque oro, Chreme,
Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
CH. Vide quam iniquus sis præ studio, dum id efficias, quod cupis :

821. *Spectata*, etc. Probata est mea erga te amicitia.

822. *Satis pericli incepi adire.* Sic omn. codd. Bentleii. In lib. antiq. *cæpi.* Bip. *Sati'.* — *Orandi jam finem face* (*face* antique pro *fac.*). Inde patet, jam antequam in scenam prodirent, Simonem incepisse orare.

823. *Dum studeo*, eodem sensu quo, *dum studerem*, mutatione temporis apud Terentium non semel adhibita; Phorm. 76.

Seni fidelis dum cum, scapulas perdidi.

Nec opus est admittere Lindembr. lection. *dum studui.* Both. *Tibi dum obsequier studeo.* — Guelf. 3 *Natæ* dat pro *filiæ.* — *Illusi vitam.* Quasi lusi in sortem, atque adeo ludendo pæne perdidi.

824. *Immo enim*, scilicet *nam contra.* Necesse est, ut bene intelligatur τὸ *enim*, suppleas sic: *non finem orandi faciam; nam contra.* — Omnes libri scripti delent *nunc.* — *Quam maxume.* Bent. *cum* pro *quam* contra codd. — Br. *Chremes*, et *etiam* pro *enim.*

825. *Verbis initum*, quod verbis tantum præstare incepisti. — *Comprobes*, confirmes, efficias.

826. *Vide quam sis iniquus præ stu-*

Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
Si. Quibus? Ch. Ah, rogitas! perpulisti me, homini ut adolescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in seditionem, atque in incertas nuptias;
Ejus labore atque ejus dolore gnato ut medicarer tuo.
Impetrasti; incepi, dum res tetulit; nunc non fert, feras.
Illam hinc civem esse aiunt; puer est natus: nos missos face.
Si. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile 'st, illum esse quam deterrimum.

dio, etc. Vide quam, præ immoderata nuptiarum cupiditate, non dubites injustus esse, nec quidquam pensi habere, dummodo etc. — *Id efficias.* Alii *efficias id.* Bent. interpungit: *Vide quam iniquus sis præ studio: dum id efficias quod cupis, neque modum* etc. — *Vide.* Guelf. 1 *vides.*

827. *Neque modum benignitatis cogitas*, nec in animo præsentem habes modum benignitatis, qui sit.

828. *Cogites, remittas*, pro *cogitares, remitteres.* — *Injuriis*, non conviciis, sed injustis petitionibus.

829. *Ah! rogitas?* Gu. Bent. Both. *At rogitas.* — *Homini ut.* Sic Bent. invertit. Vulg. *ut homini.* — *Homini adolescentulo*, quasi esset simpliciter *adolescentulo.* Sic supra vers. 756, *mulier meretrix*; Sall. *mulier ancilla.* Sic quoque Græci: ἀνὴρ ποιμήν, ἄνδρες δικασταί.

830. *Alio.* «C. G. m. *alieno.* Unica quidem lectio, sed ob minorem codicis ætatem parvi habenda.» *Perl.* — *Occupato.* Dativus est; scilicet Pamphilo. — *Ab re uxoria*, a conjugio legitimo.

831. *Filiam darem.* Omnes libri scripti et Donat. *filiam ut darem.* — *In seditionem*, in discordiam et rixas cum marito. — *In incertas nuptias*, divortii periculo. Plures omittunt *vò in.*

832. *Labore atque dolore.* Corporis et animi ærumnis. — *Medicarer.* Br. *mederer.*

833. *Impetrasti.* Edit. V. 1483, *imperasti.* Both. *impetrasti incœptum, res dum*, etc. — *Incepi* dare filiam. — *Res tetulit*, tulit, sivit. Erasm. *tulit.* — *Non fert*, subaudi, res. — *Feras*, æquo animo feras, si non dem filiam tuo gnato.

834. *Illam*, Glycerium. — *Hinc civem*, civem ex hac urbe, Athenis. — *Nos*, me et Philumenam. — *Missos face.* Jam omitte de nuptiis compellare.

835. *Animum inducas credere*, id in animum inducas ut credas.

836. *Illis quibus*, etc. id est, meretricibus, servis, ancillis. — *Id*,

Nuptiarum gratia hæc sunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit adempta his, desinent.
Ch. Erras : cum Davo egomet vidi ancillam jurgantem.
Si. Scio.
Ch. At vero vultu; quum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.
Si. Credo; et id facturas Davus dudum prædixit mihi,
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

scilicet *illum esse*, etc.—*Illum*, Pamphilum. Guelf. 2 *Eum*.

837. *Nuptiarum gratia* cavendarum cum Philumena. *Ficta*. Chartaceus codex Bentleii et Guelf. 2 *Facta*.

838. *Ea causa*, scilicet hæc spes impediendi nuptias, propter quam.. —*Desinent* talia fingere. MSS. quidam, *tum desinent*.

839. *Ancillam jurg*. Valpy *jurg. anc.* —*Scio* ita eventurum fuisse. Alludit Simo ad ea quæ sibi Davus prædixerat de fallaciis ad impediendas nuptias destinatis; et est quasi diceret, *simulabant Davus et ancilla*. —Non item omnino intelligit Faber, et annotat : Quum Veteres *scio* dicebant, plerumque idem erat ac si dixissent, logi, somnia, nugæ, fabulæ. Gallice, sic aliquando negamus hoc modo, *Oui-dà!* Id verum esse et alia satis ostendunt. Lege modo. Id etiam Chremetis responsio satis probat : *at vero vultu*. Ita cape : *Il ne faut point dire, Bagatelles : c'était tout de bon. Ni la servante ni le valet ne savaient point encore que je fusse là.*

840. *At vero vultu* sub. jurgabat. *At*, minus bene legi contendit Both. qui cum illa voce *Ac* claudit vs. 839. — *Vero*, non simulato. — *Quum*, eo temporis momento, quum, etc. — *Tum*, adhuc. — *Præsenserat*, animadverterat ante jurgium. — Varie hæc leguntur : *Neuter dum præsenserat; Neuter dum persensi; Neuter tum ne senserat*.

841. *Credo*. Eodem sensu dictum, quo supra *scio*. — *Facturas*, Glycerium et ancillam. Br. legit *facturas;* de quo notat Bruns. « hæc antiqua lectio, pro qua vulg. edit. *facturas*, genio linguæ minus convenienter mutata est in *facturas?* » — *Dudum prædixit mihi*, supra vs. 508. Dat Br. *dum* pro *dudum*.

842. *Quid*, cur. Both. legit *qui id*, et locat *et* in fine versus 841. — *Ac volui*. Both. et Perlet. legunt *at volui*. — *Ac*, æque ac, sicut. Eadem ellipsi Plautus : « Sicut est hic quem esse amicum ratus sum, *atque* ipsus sum mihi. » pro, *æque atque*, etc.

SCENA SECUNDA.

DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

DA. Animo nunc jam otioso esse impero. CH. Hem, Davum tibi!
SI. Unde egreditur? DA. Meo præsidio atque hospitis. SI. Quid illud mali est?
DA. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. SI. Scelus,
Quemnam hic laudat? DA. Omnis res est jam in vado. SI. Cesso adloqui?
DA. Herus est. Quid agam? SI. O salve, bone vir. DA. Ehem, Simo! o noster Chreme!
Omnia adparata jam sunt intus. SI. Curasti probe.

843. *Nunc jam.* Alii *jam nunc.*— *Otioso*, securo : quia negotium sollicitudo est. *Donat.* — *Esse* subaudi *omnes*. Hæc secum Davus domo egrediens Glycerii, non viso Simone et Chremete. — *Hem*, vox est hominem indicantis. Br. *En.* — *Davum tibi*, Davum tuum, et subaudi *ecce.*

844. *Unde egreditur.* Hæc seorsum loquuntur Chremes et Simo, Davo non audiente, et solo secum loquente. — Hic non interrogat; sed cum admiratione, vel magis cum indignatione dicit. *Don.*—*Præsidio*, tutela, opera.— *Hospitis*, Critonis scilicet, quo nuntio Davus audivit, Glycerium Chremetis filiam esse inventam, id quod senes ambo ignorant. *Perlet.* — *Quid illud mali est*, quod portendit Davi lætitia.

845. *Commodiorem.* Hic adjectivus ante tres substantivos, pro vario genere, subaudiendus est. — *Tempus.* Sic legimus ex Be. Westerhov. Lindembr. Perl. Valpy. At ms. Paris. *Adventum ad tempus.* In Leid. uno est *ad temp. adventum.*

846. *Scelus! quemnam hic laudat? Hic* refer ad *scelus*, quomodo sup. v. 608. — *Omnis res est jam in vado*, id est *in tuto.* Metaphora proverbialis, *a vadis*, quæ sunt fluminum loca minus profunda, et ideo tutiora.— *Cesso adloqui.* Eadem supra vide v. 244.

847. *O salve, bone vir!* Ironica salutatio, ut jam vidimus.—*Noster Chreme.* Vox affectus magni plena, qua latenter indicat, quæ jam audivit, id est, Glycerium esse filiam Chremetis, et ideo rem Pamphilo bene cessuram. — Both. *Ehem* pro *hem.*

848. *Omnia adparata jam sunt intus*, subaudi, ad nuptias. Alludit

DA. Ubi voles, arcesse. SI. Bene sane: id enimvero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? Quid istic tibi negoti 'st? DA. Mihin'? SI. Ita.
DA. Mihine? SI. Tibi ergo. DA. Modo introii. SI. Quasi ego, quam dudum, rogem.
DA. Cum tuo gnato una. SI. Anne est intus Pamphilus? Crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
DA. Sunt. SI. Cur igitur hic est? CH. Quid illum censes? Cum illa litigat.
DA. Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex . me audias.
Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus:

ad quod præceperat Simo supra vs. 524, et pergit simulando sese omnino esse voluntati Simonis paratum. — *Curasti probe.* Approbatio ironica irati senis, qui, quum viderit Davum e Glycerii domo exeuntem, intelligit probe servum nequaquam apparandis nuptiis consuluisse.

849. *Ubi voles, arcesse,* sub. Philumenam, ut jam dixerat vs. 582, ubi vide. — *Bene, sane*; recte dicis. Pergit in ironia. — *Id*, scilic. sponsam arcessi. — *Hinc nunc abest.* C. G. ch. *hic* sine apice. Inde var. in edd. *hic, hinc.*

850. *Etiam tu hoc respondes?* Be. *responde* ex codd. s. Itidem C. G. m. Hæc intellige quasi diceret, quum jam omnia tam bene feceris, num potes quoque respondere ad id quod quæro. — *Hoc* pro *ad hoc.* Sic Eunuch. 791: «Primum hoc mihi responde.» — *Istic*, in domo Glycerii, unde exis. — *Mihi'n?* Quid mihi negotii sit.

851. *Mihine?* Quum non sit paratus ad respondendum, ducendo tempus eludere tentat. — *Ergo*, id est, quum toties rogites. — *Modo introii.* De negotio interrogatus, de tempore respondet. — *Quam dudum*, a quo tempore introiveris.

852. *Cum tuo gnato una.* Ut se excuset, Pamphilum accusat.

853. *Non tu dixti.* Supra vs. 521. — *Eos.* Glycerium et gnatum.

854. *Hio*, apud Glycerium. — *Est.* Pamphilus. — *Quid illum censes* sub. *agere.* — *Cum illa litigat.* Irridet Simonem qui supra vs. 553, dixerat: «Iræ sunt inter etc.»

855. *Immo vero.* Insuper, præterea quod Pamphilus est apud Glycerium. — *Faxo ut audias*, fecero ut audias. Perl. legit ex Bentl. *audies.*

856. *Qui*, alii *quis.* — *Ellum*, pro *en illum*, ecce ibi est; et indicat Glycerii domum. — *Confidens*, constans, et sui bene compos. — *Ca-*

Quum faciem videas, videtur esse quantivis pretî.
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.
Si. Quidnam adportas? Da. Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
Si. Quid ait tandem? Da. Glycerium se scire civem esse Atticam. Si. Hem,
Dromo! Dromo! Da. Quid est? Si. Dromo! Da. Audi.
Si. Verbum si addideris.... Dromo!
Da. Audi, obsecro. Dr. Quid vis? Si. Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
Dr. Quem? Si. Davum. Da. Quamobrem? Si. Quia lubet. Rape, inquam. Da. Quid feci? Si. Rape.
Da. Si quidquam invenies me mentitum, occidito. Si. Nihil audio.

tus, prudens. Ed. an. 1490 ap. We. *cautus*.

857. *Quantivis pretii*, ejus pretii quod maximum esse potest.

858. *Tristis severitas*. Austerus et a joci consuetudine abhorrens orio habitus. Eodem sensu Cicero: « judex *tristis* et integer. »

859. *Illum*, Critonem. Both. *nil quidem*, *nisi quod eum*. Guelf. *novi* post *equidem*.

860. *Quid ait tandem*, subaudi Crito. C. G. m. colloc. *Quid tandem ait*. — *Glycerium*, etc. Both. disponit: *Esse civem scire se atticam*. Alii, ut notat Antesignanus, *esse hanc civem*. — *Hem*. Vox illa vulgo ad sequentem versum rejicitur. Interjectio est Simonis vocantis servum, et ad domum suam se convertentis.

861. *Dromo*. Lorarius erat simulque ergastularius vocabatur; nam ergastulariis servi dabantur custodiendi. Vid. Columell. I, 8. *Perl.* — *Quid est?* Exclamat Davus audiens nomen, quod ei præsagit malam rem. Antesign. Zennius, Perl. hæc verba ipsi Dromoni tribuunt.

862. *Audi*. Plerumque a verberandis vel indulgentia imploratur, vel mora. C. G. m. ante *agi* præmittit *illud* cum gloss. *ad Chremetem loquitur*. — *Sublimem hunc intro rape*, etc. Ita solebant in eos, qui cum violentia quadam ita abripiebantur, ut terram vix contingerent. Adelph. 3 17; et Clo. in Catil. I, 11. — *Intra*, domum. — *Quantum potes*, quam celerrime; dixerat enim *rape*, quod est, *celeriter tolle*.

863. *Quem*. Ridicule sic interrogat Dromo, qui præter Davum et Chremetem neminem videt.

864. *Si quidquam*, etc. Sic Perl. et Bentl. ex antiq. libris. Alii eamdem collocationem verborum habent sine *me*. Alii, et cum iis Donatus, *Si quidquam invenies mentitum me*. Fa. — *Nihil audio*. Sic precanti Davo renuit. Bodl. hæc Dromoni tribuit; sequentia vero *ego* etc. Simoni. *Westerh.*

Ego jam te commotum reddam. DA. Tamen etsi hoc verum est? SI. Tamen.
Cura adservandum vinctum; atque, audin'? quadrupedem constringito.
Age, nunc jam ego pol hodie, si vivo, tibi,
Ostendam, quid herum sit pericli fallere, et
Illi patrem. CH. Ah. Ne sævi tantopere. SI. O Chreme!
Pietatem gnati! nonne te miseret mei?

865. *Ego jam te* etc. C. G. m. exhib. *Dromo* prænotatum. — *Commotum reddam.* Donatus intelligit *citum, celerem :* quæ res nonnullis suspicandi causam dedit, quasi ad Dromonem hæc, veluti cunctantem, dicerentur. Sed non dubitamus quin ad Davum dicantur. Qui quum supra *otiosus* incessisset, aliosque *animo otioso* esse jussisset, senex, *ego jam te commotum*, inquit, reddam. Sicut Heauton. 726 dicitur : *Dormiunt ; ego pol istos commovebo* : an alludit ad labores pistrini, in quod post vincula et verbera dedendus erat, ibique se moturus. Fr. Guyetus tamen emendat *comtum*, et erudite explicat. Bæol. — *Tamen etsi hoc verum est.* Hæc dicit per interrogationem, et supplendum est : *Reddes commotum, tamen etsi hoc* etc. — *Tamen etsi* ; licet. Antesign. *Tametsi.* — SI. *Tamen.* Omnes libri habent *tamen tu*, vel *tu tamen*, quasi Dromonem unum alloquatur. Sed potius, ut annotat Faernus, delenda est vox *tu*, et distinguendum post *tamen*, ut ad eam interrogationem Davi, *tamen etsi hoc verum est*, respondeat Simo, *tamen*, et deinde subdat ad Dromonem, *cura adserv.* etc. — Edd. quædam antiquissimæ *tantum tu cura.* Leidensium unus post illa, *tamen etsi hoc verum est?* statim subjungit : SI. *Cura ass. vinctum.* Alter vero : SI. *Tamen tu cura. Quadr. constr.* West. Legitur in veter. libb. *tamen etsi hoc verum est.* SI. *Audin? quadruped.* — *Quadrupedem constringito.* Κυφωνιστὸν vocabant Attici id genus supplicii, quo colla servorum cippis pessum incurvabantur, ut quadrupedum præberent speciem. *We.*

867. *Age, nunc jam.* Ad Davum, dum Dromo eum anfert, et est formula qua subeuntem increpat. Intelligit *Lemonnier*, hæc ironice dici, « strue nunc dolos et fallacias. » — *Si vivo*, formula comminantis ; qua certum Davo supplicium, sicut sibi hodiernam vitam, spondet. — Both. *Herum quid sit pericli ostendam fallere.*

869. *Et illi*, Pamphilo. « Scilicet Pamphilo ostendam, *quid sit pericli*, s. quantum sit periculum, patrem fallere. » *Bæclerus.* — Hæc dicens Simo vehementissimus adcurrit ad ædes Glycerii, evocaturus Pamphilum, et mox ingeminat clamorem de via.

870. *Pietatem gnati!* Præ dolore dicit per ellipsin. Deest enim *vides.* Contrarium autem intelligit, impium filium suum esse.

Tantum laborem capere ob talem filium!
Age, Pamphile, exi, Pamphile, ecquid te pudet?

SCENA TERTIA.

PAMPHILUS. SIMO. CHREMES.

PA. Quis me volt? Perii! Pater est. SI. Quid ais, omnium...? CH. Ah,
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
SI. Quasi quidquam in hunc jam gravius dici possiet.
Ain' tandem? civis Glycerium 'st? PA. Ita prædicant.
SI. Ita prædicant? O ingentem confidentiam!
Num cogitat, quid dicat? Num facti piget?
Num ejus color pudoris signum usquam indicat?

871. *Tantum laborem*, etc. Subaudi, *annon est indignum patre.* — *Laborem*, molestiam.

872. *Age*, *Pamphile*, etc. Ad januam advolat Glycerii. — *Ecquid te pudet. Te* omittit Perl. et id notat habere C. G. m. *Et quis te* dat Br. — *Ecquid.* Intellige quasi esset, *nonne pudet;* sicut in Cicer. Cat. I, 20. (Ed. Gen. 1533.) « Quid est, Catilina? *ecquid attendis, nonne animadvertis.* »

873. *Quis me volt;* sub. *alloqui*, ut supra vs. 346, pag. 51. — *Quid ais, omnium...?* Aposiopesis, irato familiaris, quando pro dignitate peccati non invenitur convicium competens. *Antesign.* — C. G. m. *sceleratissime*, et supra scrip. *nequissime*, post *omnium*. Lectio merito suspecta, ut animadvertit Perletus. — *Ah, rem potius*, etc. Hæc Chremes ad Simonem.

874. *Rem ipsam*, de qua agitur, id est, crimina quæ ei exprobres. — *Male loqui*, conviciari.

875. *In hunc*, in filium tam invere-cundum. — *Gravius*, nimis asperum.

876. *Ain'*, aisne. Guelf. *Ha* pro *ain.* — *Tandem.* Irascenti et jurganti convenit abrupta interrogatio: quæ significare vult Davum pridem allegatum, ut ementiretur Glycerium civem esse atticam: unde nunc, *audesne*, inquit, hoc dicere, scilicet, quod tuo allegatu modo sceleratus Davus apportavit. *Bæcl.*

877. *Ita prædicant.* Commotus senex hoc ipsum repetit per iracundiam. — *O ingentem confidentiam! O* eliditur, et sunt qui illud omittant. *Antesign.* — *Confidentiam*, audaciam, impudentiam.

878. *Piget.* Alias *pudet.*

879. *Num ejus.* Libri antiq. præmittunt *vide*; quod Donat. non ha-

Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium
Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
Pa. Me miserum! Si. Hem, modone id demum sensti Pamphile?
Olim istuc, olim, quum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi.
Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego? Cur me excrucio? Cur me macero?
Cur meam senectutem hujus sollicito amentia?
An, ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam?

bet. Bentl. *Numnam ejus.* Both. *Num color enim.* Guelf. *Vide non.* — *Usquam*, in toto vultu.

880. *Adeon' impotenti* etc. Supple: decet eum. Bent. censet legendum *adeo impot.* — *Impotenti*, immoderato.

881. *Præter civium morem atque* etc. Bene Nonnius observat nothos, seu qui non ex utroque Atheniensi parente nati essent, lege Periclis ita habitos esse, ut nec ipsi nec proles eorum ad magistratus vel alios honores admitterentur. Vide Plutarchum in Pericle. — *Morem.* Hic singulari numero indicat *usum, consuetudinem*; et perperam vertit novissimus translationis Terentianæ editor: *à la honte des mœurs.*

882. *Tamen*, non obstante triplici harum rationum auctoritate. — Lind. omittit *hanc.* Pro *studeat*, legitur *cupiat* in ed. Sandbyensi, et in Br. — *Cum summo probro* referri debet ad *habere.*

883. *Hem, modone id dem. sensti.* Br. omittit *hem*, et dat *sensisti*, quod est in MSS. quibusdam et editis.

884. *Olim istuc*: supplendum: sentire tum debuisti. Repetitur hic vox *olim*, quo vis major confirmationi accedat, ut Virg. Æn. II, 602: « . . . . Divum, inclementia divum Has evertit opes. . . . » — *Ita animum induxti tuum.* Vide supra 573.

884—885. Eadem sententia occurrit in Virgilio, Æn. IV, 596, ubi Dido seram increpat pœnitentiam:

Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cum sceptra dabas...

885. *Aliquo pacto*, quoquo modo.

886. *Eodem die.* L. et Venet. cod. *Nunc ne demum.* Perl. — *Eodem die*, quum induxti etc. — *Vere in te accidit*, eodem sensu quo *cecidit in*, i. e. te decuit, tibi merito convenit.

887. *Sed quid ego.* Formula frustra operam impendentium. *Perlet.* Fr. Fab. et post eum Zeun. et Both. *sed quid ago.* — *Cur me excrucio.* Both. ex Bentl. *Sed quid ego me autem excruc.* G. *Me autem cur excrucio.*

888, 889. *Sollicito*, Sollicitam reddo. — *An.* Incipit hanc particula apud Be. Lind. huno versum; finit ap. Westerhov. Mu. priorem. *Perl.* — *An ut pro hujus* etc. Debeone me

Immo habeat, valeat, vivat cum illa. Pa. Mi pater!
Si. Quid, « mi pater »? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre;
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
Pa. Pater, licetne pauca? Si. Quid dices mihi?
Ch. Tamen, Simo, audi. Si. Egon' audiam? Quid ego audiam,
Chreme? Ch. At tamen dicat sine. Si. Age dicat: sino.
Pa. Ego me amare hanc fateor; si id peccare est, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo; quidvis oneris impone: impera.
Vis me uxorem ducere? Hanc vis mittere? Ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.

ob id unum macerare, ut sufferam.

890. *Immo*, at potius. — *Habeat* meretricem. — *Valeat*, discedat.

892. *Liberi inventi.* Sic dicit, quum unus esset, sed invidiosius *liberi.* Et *inventi*, non *geniti*, secundum illud, « hoc ego scio neminem peperisse hic. » Guelf. 2. *inventi sunt.*

893. *Adducti* leg. Guelf. 3. *adductis.* — *Civem hinc*, civem ex Athenis. — *Viceris.* Tibi victoria decernatur, qui propositum assecutus es. Per ironiam dicit.

894. *Pater, licetne pauca.* Subaudi, dicere. — Guelf. *ne licet.*

895. *Tamen, Simo, audi.* Tres ex vetustioribus *at tandem*, R. *Tandem, Simo.* Lind. — *Audiam ego.* Guelf. 2. Valp. *Ego audiam? quid audiam.* Zeunius legit *Ego audiam? quid ego audiam?*

896. *At tamen.* Pro *attandem* quod tres codices vetustiores habent. Vulgo *tamen*, omisso *at.* — *Age.* Vox permittentis et concedentis. Sæpe autem imperativus *age* adhibetur cujusque numeri personis.

897. *Hanc.* Bene *hanc*, non Glycerium, cujus nomine offendisset patrem. *Donat.* — *Si id peccare est.* Zeun. Valpy. *Peccare'st.*

898. *Tibi me dedo.* Tuæ potestati me committo. — *Quidvis operis impone: impera.* Eadem est docilitas Iphigeniæ apud Racine, *Iphigénie*, act. IV, sc. IV:

Quand vous commanderez, vous serez obéi.

899. *Vis me uxorem ducere.* G. *Ducere vis me uxorem.* — *Mittere.* Lindembr. ed. *amittere;* quod est in lib. antiq. Sed Fa. ac Be. commendant *mittere* legendum; quippe, inquit posterior, *amittitur* uxor jam domum ducta. *Perl.* — *Hanc vis mittere*, Visne me eam dimittere.

900. *Modo*, solummodo. — *Allegatum*, subornatum, submissum, sc. Critonem, et subaudi *a me.* Perl.

Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. Si. Adducas! Pa. Sine, pater.

Ch. Æquum postulat: da veniam. Pa. Sine te hoc exorem. Si. Sino.

Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.

Ch. Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

SCENA QUARTA.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

Cr. Mitte orare: una harum quævis causa me, ut faciam, monet,

Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.

Ch. Andrium ego Critonem video? is certe est. Cr. Salvus sis, Chreme.

Ch. Quid tu Athenas insolens? Cr. Evenit. Sed hiccine 'st Simo?

901. *Coram* vobis. — *Adducas*. Bentl. et post eum Perl. per signum interrogationis efferunt.

902. *Te hoc exorem*. Te in hoc precibus evincam. — *Sino*. Simone loquente, Pamphilus advolat ad domum Glycerii.

903. *Quidvis cupio* etc. Omnibus quæ vultis, do manus. — *Dum ne comperiar*, dummodo non deprehendam. — *Chreme*. Westerhovius legit *Chremes*.

904. *Pro peccato magno* etc. Corneille, *Nicomède*, act. II, sc. 2:

La plus mauvaise excuse est assez pour un père,
Et sous le nom d'un fils, toute faute est légère.

905. *Mitte orare*, etc. Exoraverat Pamphilus patrem, ut liceret adducere Critonem. Ad illum præpropere contendit, atque ut edisseret apud patrem, quæ ad agnitionem Glycerii pertinerent, rogavit. Is ergo, dum prodit in scenam, officiose pollicetur, sibi hanc rem commendatam esse debere. *Bæcl.* —*Harum* causarum, quas jam enumeraturus est. — *Ut faciam* quod rogas.

906. *Tu, vel quod* etc. Tui ratio, veritas, mea in Glycerium bona voluntas. — *Cupere alicui*, absolute dictum, idem sonat quod consulere alicujus utilitati.

907. *Is certe est*. Sic Bentl., sed vulgo colloc. *certe is est*.

908. *Athenas*. Subaudi, venisti. — *Insolens*, non solitus venire. — *Evenit*, casu id contigit. Pudet autem fateri se propter hæreditatem venisse. *Perl.*

CH. Hic: CR. Simo, men' quæris? SI. Eho, tu Glycerium hinc civem esse ais?
CR. Tu negas? SI. Itane huc paratus advenis? CR. Qua re? SI. Rogas?
Tune impune hæc facias? Tune hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas? CR. Sanus es?
SI. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
PA. Perii. Metuo, ut substet hospes. Ch. Si, Simo, hunc noris satis,
Non ita arbitrere: bonus est hic vir. SI. Hic vir sit bonus?
Itane attemperate evenit, hodie in ipsis nuptiis

909. *Hic.* In ed. Sandby. *hic est.* Zeun. Sic Guelf. 2. — CR. *Simo, men' quæris?* Antesign. Zeun. et Valp. SIMO. *Men' quæris? eho.* Nos Perletum ex Bentleio secuti sumus. — *Men' quæris?* Crito venit non ut salutans, sed ut evocatus. — *Eho.* Interjectio vocantis et quærentis responsum; subaudi *dic.*

910. *Paratus*, scil. ad fingendum. Verba sunt indignantis potius quam interrogantis; pro certo enim habet Critonem esse subornatum. — *Qua re.* Sic Antesign. Bentl. Both. Perl. *Qua de re.* Fa. Valp. Zeun. Intellige, *in qua re paratus.*

911. *Hæc facias.* Alii *hoc.* Guelf. omitt. — *Tune impune h. fac.* Intellige: An impune hoc facere tibi licebit? — *Hic*, Athenis, ubi leges bono in usu.

912. *Eductos libere*, scilicet ut decet ingenuos. — *In fraudem*, in malas insidias. Perletus intelligit *in damnum et periculum.*

913. *Sollicitando* ad meretricios amores *et pollicitando* omnia bene cessura etc. Perletus distinguit *in fraudem illicis sollicitando, et pollicitando* etc. — *Lactas.* Bodl. Br. *jactas.* — *sanus es?* Both. *Sanun' es?* Valp. *Sanusne es?*

914. *Ac meretricios* etc. Facis ut qui furtivi usque adhuc fuerunt amores inter Pamphilum et Glycerium, nunc rati fiant legitimis nuptiis. — *Meretriculos* Guelf. 2.

915. *Substet*, subsistat, stet firmus adversus patris contumelias. *Perl.*

916. *Arbitrere.* Br. *arbitrare.* — *Hic vir sit bonus.* Potestne fieri ut hic sit etc.

917. *Evenit.* Ita Bentl. ex plurimis suis. Vulgo *venit.* — Valp. *Itane attemp. ven. hodie in ipsis nuptiis, ut veniret ante nunquam;* et intelligit: « Itane præsto est, in nuptiarum tempus veniens, quam nunquam antea venerit? » — *Ipsis nuptiis* Pamphili et Philumenæ.

Ut veniret, antehac nunquam? Est vero huic credendum, Chreme.
Pa. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.
Si. Sycophanta! Cr. Hem! Ch. Sic, Crito, est hic: mitte.
Cr. Videat qui siet.
Si mihi pergit quæ volt, dicere, ea quæ non volt, audiet.
Ego istæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam ego quæ dico, vera an falsa audierim, jam sciri potest.
Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus est,
Et istæc una parva virgo. Tum ille egens forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. Si. Fabulam inceptat.
Ch. Sine.
Cr. Itane vero obturbat! Ch. Perge tu! Cr. Is mihi cognatus fuit,

918. *Est vero huic cred*: Ironia est, si interrogationis signum sustuleris, quod est in Zeunio, Bothio, Valpy.

919. *Illa re*, id est, de illa re, scilicet quid respondendum sit. — *Illum*, Critonem.

920. *Sycophanta!* Subdolus est et mendax homo. Hoc est quod minime voluit sibi dici Crito, vid. supra 816 sq. — *Hem!* Chremes irascitur.—*Mitte*, sperne.—*Videat qui sit*: Curet ipse Simo qualis sit; sed hæc illius indoles nullo modo faciet, ne vera patefaciam.

921. *Pergit*. Edit. 1469, *perget*. *Perl.* Ita quoque Both.

922. *Moveo, aut curo*. Num ego hunc amorem excito, aut foveo.— *Æquo animo*, non ita irato, ut aliis maledicas.— Bothius legit pro his, *Nos tu tua, malum, animo æquo feres*.

923. *Quæ dico*, hoc est, Glycerium civem esse atticam. Vide supra 860. Legunt *Dixi*, Ant. Guelf.— *Vera an falsa audierim*. Alii *audieris*, et intellige *quæ a me audivisti*.—*Jam*, statim. — *Sciri potest* ex omnibus eis quæ ordine exponam.

924. *Ad Andrum*. Sic nos ex Be. Both. Perl. Vulgo *apud*.

925. *Una* cum eo ejecta est. — *Primum*, in primo adventus tempore.

926. *Fabulam*, narrationem paratam.—*Sine* eum loqui.

927. *Itane vero obturbat!* Siccine autem parat me loquentem interrumpere?— Alii *itane vero? obturbat*. —*Perge tu*. Pronom. *tu* addit Perl. cum Bentl. quod opponatur Simoni.— Cr. *Is*. Scilicet Chrysidis pater. — Vulgo, *tum* ante *is*,

Qui eum recepit. Ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum.
Is ibi mortuus est. CH. Ejus nomen? CR. Nomen tam
cito tibi . . . ! Phania.
CH. Hem, perii! CR. Verum hercle opinor fuisse Pha-
niam. Hoc certo scio,
Rhamnusium sese aiebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem
hæc, Chreme,
Multi alii in Andro audivere. CH. Utinam id sit, quod
spero. Eho, dic mihi,
Quid eam tum? suamne esse aiebat? CR. Non. CH. Cujam
igitur. CR. Fratris filiam.
CH. Certe mea 'st. CR. Quid ais? Si. Quid tu ais? PA.
Arrige aures, Pamphile.
SI. Quid credis? CH. Phania illic frater meus fuit. SI. No-
ram, et scio.

inepte. «Nam qui cognatus est, semper est.» *Bent.* Sequuntur Both. et Perletus.

928. *Ibi*, apud cognatum meum. — *Ex illo* scil. naufrago. — Bothius omittit *sese*.

929. *Ejus nomen*, supple *dic*. — *Tam cito tibi*. Supple: Poterone dicere? Non negantis hæc sunt, sed difficile se dicturum ostendentis. *Donat.* — Bothius distinguit, *Nomen? tam cito Phania.*

930. *Hem.* Hanc vocem in versu præcedenti reponit Bothius ex Be. — *Perii.* Vox illa personæ Chremetis subita re penitus perturbati maxime convenit. *Perl.* — *Verum*, sane, et adverbium est. — *Opinor fuisse.* Hoc adhuc cunctanter est dictum, et indiget confirmatione. *Donat.* — *Certo.* Br. Valpy *certe*.

931. *Rhamnusium. Rhamnus* erat pagus in agro attico. Strab. lib. IX. *Farnab.*

932. *In Andro.* Post hæc Zeun. Valpy legunt *tum*. Delent Bothius, Perlet. — *Multi alii audivere.* Hæc dicit Crito, ut confirmet ea quæ protulit; credit nempe Chremetem ob id unum exclamare, quod falsa ingeri putat; dum longe est aliter. — *Utinam id sit* etc. Hæc seorsum Chremes; et quæ seqq. *eho* etc., ad Critonem.

933. *Quid eam tum? tuamne* etc. Both. *Quid eam tum esse aibat? suamne* etc. — *Quid eam tum* aiebat *esse.*

934. *Quid ais? quid tu ais? arrige aures Pamphil.* Both. *Certe mea est.* PA. *Quid ais?* SI. *Quid tu autem?* PA. *Ehem, arrige aures, P.* notatque idem C. dare *Tu ais hem.*

935. *Quid credis?* Quare credis hanc esse filiam tuam. Alii *Qui.* — *Illic.* Eodem sensu quo *ille*, quod est cæterum in Valpy, Zeun. Both. *Noram* eum, dum viveret. — *Scio* eum fuisse fratrem tuum.

CH. Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur;
Tum illam hic relinquere veritus est. Post illa nunc primum audio,
Quid illo sit factum. PA. Vix sum apud me : ita animus commotu 'st metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
SI. Næ istam multimodis tuam inveniri gaudeo. PA. Credo, pater.
CH. At mî unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. PA. Dignus es
Cum tua religione, odium! nodum in scirpo quæris. CR. Quid istuc est?
CH. Nomen non convenit. Ch. Fuit hercle huic aliud parvæ. CH. Quod, Crito?
Numquid meministi? CR. Id quæro. PA. Egon' hujus memoriam patiar meæ

936. *Is hinc.* Bothius reponit *is* in versu præcedenti. — *Persequens*, me quæsiturus. Patet enim priorem ivisse in Asiam Chremem, et fratri suo filiæ suæ curam commisisse.

937. *Tum illam hic relinquere.* Valpy *relinquere hic.* Both. *Tum veritus hic relinquere eam est.*

938. *Quid illo.* MSS. quidam et editi : *Quid de illo.* — Valp. *Commotu 'st metu.* Westerhov. *Commotus est metu.* Bothius delet *est.*

939. *Mirando hoc tanto, tam repentino bono.* Perletus omittit virgulam post *tanto.*

940. *Multimodis.* Ita junctim recte. Editione 1469 plene, *multis modis.* Perletus intelligit, multis de causis gaudeo. — *Istam tuam inveniri*, quod Glycerium inveniatur esse filia tua. Bothius legit CH. *Credo.* PA. *Pater.*

941. *Mi.* Alii *mihi.* — *Unus scrupulus.* Metaphora est, a *scrupis* et *scrupulis*, id est parvis lapillis qui ambulantium pedibus molesti sunt. Inde molestia etiam animi hac voce denotatur. *Perl.*

942. *Religione*, religiosa anxietate. — *Odium.* Sic Both. et Perlet. Ut *dignus odium* elliptice dicatur pro *dignus ad odium;* sed melius est *odium* accipere pro *homine odioso*, ut *scelus* pro *homine scelesto.* R. D. — *Nodum in scirpo quæris.* Scirpi junci sunt palustres sine nodo : unde proverbium est de his qui in rebus claris scrupulum quærunt.

943. *Nomen non convenit.* Nomen quo illam vocant, h. e. Glycerium, non convenit cum nomine filiæ meæ. — *Aliud* sc. nomen.

944. *Numquid* Terentio est frequens pro *num. Perl.* — *Egon'.*

Voluptati obstare, quum egomet possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. Heus, Chreme, quod quæris, Pasibula. Cr. Ipsa 'st. Ch. Ea 'st.
Pa. Ex ipsa millies audivi. Si. Omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. Ch. Ita me Dî ament, credo. Pa. Quid restat, pater?
Si. Jam dudum res reduxit me ipsa in gratiam. Pa. O lepidum patrem!
De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes. Ch. Causa optuma 'st;
Nisi quid pater ait aliud. Pa. Nempe. Si. Id scilicet. Ch. Dos, Pamphile, est
Decem talenta. Pa. Accipio. Ch. Propero ad filiam. Eho! Mecum, Crito:
Nam illam me credo haud nosse. Si. Cur non illam huc transferri jubes?

Both. Valp. *Egone.* Zeun. *Ego.* — *memoriam* obliviosam.

945. *Meæ Voluptati*, meæ felicitati — *Egomet.* Sic. Be. edit. Valp. ex antiq. libb. alii (ed. Zeun.) *ego.* *Perl.* — *Medicari mihi.* Remedium mihi invenire adversus malum optatis nuptiis imminens.

946. *Quod quæris*, sub. nomen. — *Pasibula;* Valp. *Pasibula'st.* Br. *Passibula est.*

947. *Gaudere hoc*, ex ea re.

948. *Ita me di ament*, certe. Est enim formula confirmandi, quasi diceretur, *di me ament, tum me ament, quam verum est me credere.* Vid. Eun. 615. — *Quid restat* impedimenti meæ felicitati.

949. *In gratiam* tecum. Guy. *Reduxit te.* I. et ed. V. add. *tuam.* Perl. — *O lepidum patrem.* h. e. benignum.

950. *De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes?* Nullo ne modo obstat quin possideam uxorem, ita ut possedi. Nos ex Both. interrog. Valp. Zeun. Perl. affirmative accipiunt. — *Causa optima'st.* Both. *Optuma est.* Jus est optimum.

951. *Nisi quid.* Both. legit. *Nisi si quid.* Pa. *Nempe.* Æquum est ante omnia, ut dicis, patrem nihil aiere. — *Id scilicet.* h. e. volo. *Perl.* Bothius: Si. *Nempe si scilicet.*

952. *Ad filiam.* Glycerium. — *Eho! mecum* sub. *Veni.* I. Et V. *eho meus Crito mecum.*

953. *Nam illam me*, etc. Nondum comperisse me suum esse patrem. Et ideo Critonis testimonium desi-

PA. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negoti.
SI. Non potest.
PA. Qui non potest? SI. Quia habet aliud magis ex sese, et majus. PA. Quidnam? SI. Vinctus est.
PA. Pater, non recte vinctu 'st. SI. At ita jussi. PA. Jube solvi, obsecro.
SI. Age, fiat. PA. At mature. SI. Eo intro. PA. O faustum et felicem diem!

SCENA QUINTA.

CHARINUS. PAMPHILUS.

CH. Proviso quid agat Pamphilus : atque eccum! PA. Aliquis forsan me putet
Non putare hoc verum : at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.

derat Chremes. —*Credo haud nosse.* Alii *haud nosse credo.* Both. et Zeun. *Credo haut* nosse. — *Transferri.* Quia puerpera erat.

954. *Davo ego.* Bothius omisit *ego.*

955. *Qui non potest.* Zeun. Bent. Both. omittunt *non potest.* At illud legit ex octo mss. We. quem sequor. *Perl.* — *Aliud negotium magis ad sese*, magis ad se ipsum pertinens.

956. *Recte*, juste. — *At.* Sic Be. Ex acad. s. sed Do. Valp. *Haud.* Si illud admittis, Pamphilus per *non recte* intelligit *non juste.* Simo vero per jocum intelligit, non satis stricte; ut qui jusserat Davum tanquam quadrupedem aretissime vinciri. — Hunc sensum duo gallici interpretes *Dacier* et *Lemaistre* accipiunt.

957. *Mature.* Fa. Zeun. Valp. *Matura.*—*Felicem diem.* Zeun. Valp. *Felicem hunc diem.* — Rectius hic fabulam Terentius, Schmiedero monente, clausisset, quum fere omnes personæ, quo tenderent, attigerunt. Sed restabat de Charini quoque nuptiis, quas æque ac Pamphili, ad prosperum exitum essent perducendas. *Perl.*

958. *Proviso*, Venio ut visam. Hanc secum Charinus.

959. *Non putare.* Both. *non deputare.* — *Hoc*, quod jam enuntiabit *Deorum vitam semp. esse.* — *Lubet.* Sensus hic est: « alii putent ut volunt; ego autem verum esse confirmo, quod mihi lubet verum cre-

Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriæ sunt : nam mî immortalitas
Parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissimum optem, cui nunc hæc narrem, dari?
Ch. Quid illud gaudî est? Pa. Davum video: nemo 'st, quem mallem, omnium :
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

SCENA SEXTA.

DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

Da. Pamphilus ubinam hic est? Pa. Dave! Da. Quis homo 'st? Pa. Ego sum. Da. O Pamphile!
Pa. Nescis quid mihi obtigerit. Da. Certe : sed quid mihi obtigerit scio.

dere. » *Don.* Bent. Both. *Liquet.*

960. *Deorum vitam.* Sic Do. Invertit. Both. *Deor. vitam propt. ego.* Bemb. et Bas. *Vitam deorum.* —*propterea* refer ad *quod* versus sequentis.

961. *Propriæ*, perpetuæ, constantes, vid. sup. 717. — Hoc dictum est ex sententia Epicuri. Ille enim vitam judicabat beatissimam, quæ plurimum haberet voluptatis : tristitiæ quam minimum. — *Mi immortalitas.* Zeun. et Valp. *mihi.*

962. *Parta est.* Zeun. et Valp. *Parta'st.* Both. *est parta. Parata est.* Vet. Cod. *Lind.*

963. *Potiss. optem, cui nunc.* Zeun. et Valp. *potis. optem nunc, cui hæc narr.* Br. *Exoptem.* — *Mihi dari* sc. obviam.

964. *Mallem* obviam dari. Both. *malim.*

965. *Gavisurum gaudia.* Ex more Græcorum est vel Orientalium nomen et verbum jungere ejusdem radicis. Vid. Sanct. Minerv. III, 3. *Perl.*

966. *Ubinam hic est.* Guy. Be. et Both. *D. Pamphilus ubinam est?* Pam. *Hic est, Dave.* — *Quis homo 'st*, qui me vocat. — *Ego sum.* Both. et Be. ed. *Pamphilus*, nec addunt Dav. *o Pamphile!*

967. *Nescis quid etc.* Both. totum versum sic legit : Pa. *Nescis quid mihi obtig.* Da. *Certe non.* Pa. Non! Da. *Set, quid mihi scio.*—*Certe* sub. *nescio quid mihi obtigerit.* Alludit ad vincula.

PA. Et quidem ego. DA. More hominum evenit, ut quod sim ego nactus mali
Prius rescisceres tu, quam ego tibi quod evenit boni.
PA. Mea Glycerium suos parentes repperit. DA. O factum bene! CH. Hem?
PA. Pater amicus summus nobis. DA. Quis? PA. Chremes. DA. Narras probe.
PA. Nec mora ulla est, quin jam uxorem ducam. CH. Num ille somniat
Ea, quæ vigilans voluit? PA. Tum de puero, Dave? DA. Ah, desine.
Solus es quem diligunt Dî. CH. Salvus sum, si hæc vera sunt.
Colloquar. PA Quis homo 'st? Chariñe, in tempore ipso mî advenis.
CH. Bene factum. PA. Audisti? CH. Omnia. Age, me in tuis secundis respice.
Tuus est nunc Chremes: facturum quæ voles scio esse omnia.

968. *Et quidem ego.* Scio quid tibi obtigerit. — *More hominum*, rerum humanarum.—*Sim ego nactus.* Quod expertus sum. *Ego* abest a Guelf. 2. 3. Zeun. Valp.

969. *Quam ego tibi quod etc.* Zeun. et Valp. *Quam ego illud quod etc.*

970. *O factum bene.* Zeun. omitt. *O Chr. hem?* seorsum loquitur.

971. *Pater* Glycerii. — *Narras probe.* Rem felicem narras.

972. *Quin jam uxorem.* Zeun. et *Valp eam* pro *jam.* Alii mss. *eam* pro *uxorem* frigide. *Perl.* — Virgil. Eclog. VIII, 108: «Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.»

973. *Tum*, cæterum.—*De puero, Dav.* Sub. *Quid fit.* — *Desine* quæ-

974. *Solus es quem diligunt Dî.* Dictum erat proverbialiter et hyperbolice de magna alicujus felicitate. Et per hæc Davus bono animo jubet esse Pamphilum, et de se ipso, et de suo filio. — Zeun. Valp. *Solus est.* B. Z. *diligant.*

975. *Colloquar.* In mss. quibusd. præcedit *Adibo et.* Perl. — *Charine.* Zeun. Valp. *o Charine, et mihi* pro *mî.*

976. *Audisti!* sic Both. Zeun. et Valp. *Audistin! respice* bono oculo, adjuva.

977. *Tuus est.* hoc est, tibi favet. Eun. 270. Et Cic. ad Quint. Frat. II: «Plautius totus *noster* est.» *Facturum* sc. Chremetem. — *Esse* omittit Bothius.

PA. Memini : atque adeo longum 'st nos illum exspectare dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. Tu, Dave, abi domum;
Propere arcesse, hinc qui auferant eam. Quid stas? Quid cessas? DA. Eo. 980
Ne exspectetis dum exeant huc : intus despondebitur :
Intus transigetur, si quid est quod restet. Plaudite. 982

978. *Memini.* Non obliviscor te respicere. — *Adeo*, etiam. — *illum* sc. Chremetem, utpote qui cum Critone intraverat ædes Glycerii.

979. *Sequere hac me etc.* Don. *Sequere me intus apud Glycerium.* Bent. sequente Bothio. S. *Hac me, intus apud Glyc. nunc est.* — *Hac*, hac via.

980. *Propere.* Zeun. *Propera.* — *Hinc* ex domo Glycerii quam designat. — *Auferant.* Virgo nupta, antiquo ritu, simulabatur ex gremio matris, aut, si ea deesset, ex proxima necessitudine muliere, rapi; inde ad virum transferebatur : quod ea res Romulo suisque Sabinas rapientibus feliciter cessisset. *West.* — *Quid stas? Quid cessas?* Hæc Pamphilus respiciens retro, dum abit cum Charino.

981. *Ne exspectetis* etc. Davus ad spectatores. — *Exeant huc.* Both. *hice.* — *Intus* in domo Glycerii. — *Despondebitur*, sponsalia fient. — *Transigetur*, conveniet et transigetur de dote Philumenæ, de Chrysidis hæreditate, deque cæteris rebus.

982. *Plaudite.* Consuetudo erat, ut populus, finita recitatione cum plausu discederet, ad quem invitat eos recitator. — Guelf. In pluribus editionibus, legitur Ω *Plaudite.* Non una eruditorum hominum de hac nota (ω) est sententia. Petitus ex duplici o o, id est, ὁ ὄχλος, turba, caterva, quod in Græcis comœdiis appositum, τὸ ω natum esse autumat. Bæclerus, ut non negat, τὸ *plaudite* a toto histrionum grege fuisse acclamatum, ita contendit, antiquitus non ω, quod Faernus reperisse se in codicibus vetustissimis scribit, sed G scriptum fuisse, quo *Grex* fuerit notatus. Dacieria ω a librariis additum autumat, ut esset signum finis, quomodo elementum τοῦ ἄλφα fuerit præmissum initiis operum. Qua de re consulendi interpretes ad apocalypsin, 1, 8. *Westerhovius.* — In extremis Terentii fabulis verba hæc leguntur: CALLIOPIUS RECENSUI. Hoc nomine grammaticus quidam designatur, qui Terentium ad prisca exemplaria correxit, ut plures grammatici apud alios scriptores fecerunt; cujus recensionis, quoniam hodie vestigia, quæ quidem certa sint, habentur nulla, nomen inane repetere insuper habuimus ex Bothio, a quo hæc mutuamur.

PUBLII TERENTII AFRI

EUNUCHUS.

EUNUCHUS TERENTII.

Acta Ludis Megalensibus[1], L. Posthumio Albino et[2] L. Cornelio Merula Ædilibus Curulibus[3]. Egerunt[4] L. Ambivius Turpio[5], et L. Atilius Prænestinus[6]. Modos[7] fecit Flaccus Claudii [filius], tibiis duabus[8] dextris[9]. Græca Menandru[10]. Acta II[11], M. Valerio, C. Fannio[12] Consulibus.

1. *Ludis megalensibus.* Vid. supra pag. 2.

2. *L. Posth. Albino et L. Corn. Merula.* Zeun. Both. Valp. omittunt *et*, sicut infra. *Et L. Atilius Prænest.*

3. *Ædilibus curulibus.* Vid. sup. loc. cit.

4. *Egerunt.* Zeun. Valp. Both. *Egere.*

5. *Turpio.* Cod. Ien. *Turpius.*

6. *Prænestinus* a patria : Nam *Præneste* oppidum est Latii, non procul Roma.

7. *Modos fecit Flaccus Claudii* [*filius*] hæc verba reponunt post *acta II* Valp. et Zeun. et sine ulla interpunctione referunt *tibiis duabus dextris* ad *Egerunt.* — *Mod. fecit.* C. I. *modum laviit.* Inde *modulavit.*

8. *Tib. duab. dextr.* Agebantur fabulæ *tibiis* paribus aut imparibus et *dextris* aut sinistris. Dextræ autem et Lydiæ sua gravitate seriam comœdiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et Serranæ acuminis levitate jocum in comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mixtim joci et gravitates denuntiabantur. We. — Cæterum vide ad Andriæ titulum.

9. *Græca.* Videlicet *Græca* est Fabula Εὐνοῦχος Menandri ; quam Terentius in Latinum sermonem traduxit.

10. *Menandru.* Græco genitivo pro *Menandri.*

11. *Acta II.* Par. in marg.. « H. e. secundum acta. »Ergo iterum hæc acta est Comœdia. Sed dubitat Muretus an M. Valerio et C. Fannio Coss. hic notatis. Equidem magis Gellio simpliciter confidamus, qui in N. A. II, 24, non solum horum consulum, sed etiam simul Megalensium ludorum mentionem facit.

12. *C. Fannio.* In mss. Pall. teste Par. *Gajo Mummio.* Annum vero, quo M. Valerius et C. Fannius consules fuerint, notat esse Farnabius ab U.C. 598, et ant. C. 158.

DRAMATIS PERSONÆ.

PHÆDRIA, adolescens, amator THAIDIS; a Græco αιδρὸς, hilaris.

PARMENO, servus PHÆDRIÆ. Παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων, manens et adstans domino.

THAIS, meretrix; a θεατὸς, spectabilis, a θεάομαι specto, quasi speciosa.

GNATHO, parasitus THRASONIS; a γνάθος, maxilla; quod sit edax.

CHÆREA, adolescens, amator PAMPHILÆ; a χαίρων, gaudens.

THRASO, miles, rivalis PHÆDRIÆ; a θράσος, audacia.

PYTHIAS, ancilla THAIDIS. Quasi πυθομένη, percuntatrix.

CHREMES, adolescens, frater PAMPHILÆ; a χρεμίζω, hinnio, quod hinnitu equorum delectaretur.

ANTIPHO, adolescens; ab ἀντιφαίνομαι, contra appareo, vel ab ἀντίφημι, contra loquor.

DORIAS, ancilla THAIDIS. Quod *Doride* regione orta sit.

DORUS, Eunuchus. Quasi *Doricus*.

SANGA, centurio; a *Sangia*, vico Phrygiæ, vel a fluvio ejusdem regionis.

SOPHRONA, nutrix PAMPHILÆ; a σώφρων, casta, continens.

LACHES, senex, pater PHÆDRIÆ et CHÆREÆ; ab ἔλαχον verbi λαγχάνω, sortior, sorte vel hereditate obtineo.

PERSONÆ MUTÆ.

STRATO, elephantis Præfectus; a στρατεύω, qui imperat.

SIMALIO, a *Simia*, ob fœditatem oris, vel nasi.

DONAX, a δόναξ, fistula, seu calamus piscatorius.

SYRISCUS, diminutivum est a *Syrio;* vel a συρίσκος, fiscina ficorum.

C. SULPITII APOLLINARIS

PERIOCHA

IN

TERENTII EUNUCHUM.

Sororem falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique donat. Erat hæc civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet,
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ puellulam
Quum deperiret dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur : suadet Parmeno :
Introiit : vitiat virginem : sed Atticus
Civis repertus frater ejus, collocat
Vitiatam ephebo : Phædriam exorat Thraso.

PUBLII TERENTII AFRI

ĖUNUCHUS.

PROLOGUS.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, et minime multos lædere,
In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimarit esse, sic existimet,

1. *Studeat.* Be. *Studeant* ex Prisciano. — *Si quisquam... In his.* Hæc duo pronomina, *quisquam*, *his*, ad se invicem referuntur, et sic Latini, Græcos imitati, a singulari transeunt ad numerum pluralem. Haud aliter Sophocl. Antigone, 703—5, ὅστις.. οὗτοι; ubi v. Erfurdt. *Perl.* — *Se*, abundat; cf. Andr. 798, not. Itidem Sallust. Catil. 1. « Omnes homines, qui *sese student* præstare cæteris animalibus. » — *Bonis.* Huic *bonis* opponitur τὸ *multos*, v. 2. hoc est, malos. Notat Eug. « *boni* sunt admodum pauci, sicut οἱ πολλοὶ Græcis notant vulgus. » Cf. infra 409, ad not. Excusat enim verecundus poeta, quod invehatur in adversarium. *Perl.* — *Bonis*, ingenuis, bene moratis.

2. *Quam plurimis.* Ante hæc verba Farnabius vult subaudi *potius*, ut animadvertit esse in Plauto, Rud. act. III, scen. III, et in Hom. Iliad. II. Sed satius esse judicavimus, si, ex majori numero, intelligeremus, *quam plurimis possit*, ita ut *quam* sit adverbium, non conjunctio. Sensus præterea sic expostulat, ut salva sit antithesis *quam plurimis*, *minime multos.*

3. *In his poeta hic.* Guelf. 1. non habet *hic.* — *In his*, « in numero horum. » *Schol.* — *Nomen profiteri*, Locutio vel a militibus vel a candidatis translata. *We.* Sic Liv. II, 24, *profiteri nomina.* Et Cic. Fam. X, 31. « Quicumque is est, ei *me profiteor* inimicum. » *Perl.*

4. *Tum.* His ita positis. Both. legit *tamen.* — *Si quis est, qui* etc. Lusciun Lanuvinum innuit, malum poetam, cujus calumniis respondit in prologo Andriæ.

5. *Existimarit.* Var. *Existimet.*

Responsum, non dictum esse, quia læsit prior.
Qui bene vertendo, et easdem scribendo male, ex
Græcis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,

Existimat. Existimavit. — Post *existimet*, Antesignanus legit *sciat.*

6. *Responsum, non dictum esse.* Subauditur *ei*, et verba *responsum esse, dictum esse* impersonaliter accipimus, ut supra. Donatus vult *dictum* hic esse nomen, et intelligit *maledictum.* Sed melius quadrat, si τὸ *dictum* opponatur τῷ *responsum*, sicut *lacessere* et *propugnare* opponuntur. Gallice: *Qu'il considère qu'on lui répond, et qu'on ne l'attaque pas.* — *Prior.* Sic legit Bemb. Vulgo *prius.*

7. *Qui bene vertendo.* Guyet. *male.* — *Et easdem scribendo male.* Sic legend. monet Fa. ex Be. Both. legit *eadem.* Antes. et Valpy *eas.* — *Scribendo.* Alii *describendo.* — *Ex.* Finiunt præpositione *ex* Bentl. Mu. Both. hunc versum. Alii incipiunt eadem sequentem. *Perl.* — *Qui bene vert.* etc. « *Bene vertere*, secundum Bentl. est fideliter vertere, verbum verbo reddere, e Græco: id ipsum vero, ob utriusque sermonis diversitatem, est male scribere latine. Tam anxie fidum interpretem egerat Luscius Lanuvinus. » — *Bene* pro *valde* accipit Donatus, et *vertere* seu pro, in linguam latinam transferre, seu pro, corrumpere. Faernus denique, *bene vertendo* sic interpretatur: *eligendas quidem bonas quas verteret.* Sed ut animadvertit Bæclerus, latinitas vix patitur, ut *bene vertere* sit *bene eligere vertenda.*

8. *Græcis bonis... Latinas non bonas.* Subauditur subst. *comœdiæ*, sicut apud Quintilianum: *In togatis excelluit Afranius.*

9. *Idem.* Both. *Item ut.* — *Idem.. nuper dedit.* Hac voce *idem* carpit Lanuvinum. Quum enim dicat eum *nuper dedisse Phasma*, et jam dixerit, eum *ex Græcis bonis malas latinas facere*, est quasi pronuntiet Phasma Menandri a Lanuvino adulteratum fuisse. — *Phasma.* Hujus Menandri fabulæ hoc est argumentum: Noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, quum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue, nullo conscio. Parietem, qui medius inter mariti domum ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Quumque transitum intenderet sertis ac fronde felici, rem divinam sæpe faciens, evocabat ad se virginem. Quod quum animadvertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut numinis visu, perculsus, exhorruit: unde *Phasma* est nomen fabulæ. Deinde, paulatim re cognita, exarsit in amorem puellæ, ita ut remedium tantæ cupiditatis nisi ex nuptiis non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, et ex voto amoris, consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit Fabula. *Donat.* — *Nunc nuper dedit.* Both. legit *nuper perdidit.* Ingeniosa certe, et in tanta interpretum anxietate non spernenda lectio, quum

Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
Prius unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

Bothius tuetur : « *Per* in τῷ *nuper*, inquit, sequentem similem syllabam absorpsit. *Nu* autem male geminatum in *nunc* degeneravit. »

10. *In Thesauro.* Var. *a Thesauro, a Thesauris.* Lindemb. script. edit. *Thensauro*, græce. *Perl.*—*Thesaurus* erat quoque nomen fabulæ Menandri, ut putant plurimi interpretes. Attamen Domina *Dacier* vocem hanc vult intelligi, non de fabula quadam alia, sed de una ejusdem Phasmatis parte, quam fabulæ Menandri ex se affinxit Lanuvinus. Ecce autem hujus fabulæ, aut, ex Dacieria, hujus partis fabulæ, expositio : « Senex quidam, quum haberet filium prodigum, in suo monumento *thesaurum* defoderat, caveratque testamento ut post annos tantum decem aperiretur monumentum, et eo epulæ inferrentur, quas mortuis adhibere mos erat. Interim agrum, in quo id monumentum erat, senex quidam ab adolescente prodigo emerat. Servus nostri hæredis ad aperiendum monumentum auxilio usus senis ipsius qui emerat, thesaurum cum epistola ibidem reperit. Emptor autem hunc thesaurum tanquam a se per tumultum hostilem illic defossum retinet, et sibi vindicat. Adolescens judicem capit. » Non is est eventus ille qui verisimiliter possit videri affixus fuisse ad fabulam Phasmatis, ut eam exposuimus, tum ex natura rei, tum quod necesse sit, ad talem confusionem, patrem adolescentis decem annis antea fuisse mortuum ; et contra vivit, et vivere debet in Phasmate. — *Scripsit causam dicere*, quasi esset, scripsit dicentem, induxit in fabula dicentem etc.

11. *Unde petitur.* Accipe *unde* pro *a quo ;* et refer ad antecedens *illum*, quod subauditur, usitata ellipsi. Sic Virgilius Æneid. IV, 598.

... En dextra fidesque,
Quem secum patrios aiunt portare penates.

Ubi *quem* referri debet ad *illius*, et sic supplendum, *En dextra* etc. illius, *quem* etc. — *Causam dicere, aurum quare sit suum.* Exponere causam dicendo, quo jure illud aurum sit suum.

12. *Unde petitur.* Is unde *petitur* est possessor, a quo possessio rei petitur, qui rei partes sustinet, gallice *qui est défendeur.* Qui *petit* est actor, gallice *demandeur.* Ex ratione et ex consuetudine prior loqui debet ille qui petit, ut secundo loco respondeat is a quo petitur. At contra Luscius Lanuvinus fecit ut prior loqueretur unde petitur, quam ille qui petit. Hoc modo partes permutavit et confudit. *Perl.*

12. *Quam ille.* « Tres ex codicibus nostris *ille*, multi *illi*, unus *illum :* sed *illic* adsciscamus ex tribus codd. Rivii, G. F. et Lind. » *Bentl.* Bothius legit, *quam illunc.... Sibi ant.* Bem. V. Br. Do. Zeun. legunt sicut nos. — Post *ille* subaudi *causam dicat unde is.*

13. *Unde* quomodo. — *In patrium monumentum.* Vide supra ar-

Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet:
«Defunctus jam sum; nihil est, quod dicat mihi.»
Is ne erret, moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur:
Quæ proferentur post, si perget lædere,
Ita ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam Ædiles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus quum ibi adessent, occepta 'st agi.
Exclamat, furem, non poetam fabulam
Dedisse, et nil dedisse verborum tamen;

gumentum fabulæ, vs. 9. — *Pervenerit*, inclusum fuerit.

14. *Dehinc*, postea quam tales expertus fuerit exprobrationes. — *Frustretur*, ne se deludat falsa spe. Var. *frudetur*, *fraudetur*. — *Sic cogitet*. C. G. m. *Si*.

15. *Defunctus jam sum*. Qui rem peregit, quique proinde ea est liberatus, defunctus et perfunctus dicitur. Sic Ad. 510, itid. Liv. III, 8. *Perl.* — *Quod dicat mihi*, in posterum.

16. *Ne erret*, ne falsam spem alat. — *Desinat*. Alii *desinet*.

17. *Quæ nunc*. Both. *nunc quæ*. — *Condonabitur*. Cod. Hal. *Condonabuntur*, quod malebat J. C. Scaliger. Glar. præferebat *condonabimus*. — *Quæ condon.* « Secundum quæ ille condonabitur. » Per græcismum.

18. *Proferentur*, evulgabuntur.

19. *Instituit*, incepit. — *Quam nunc*. Vulg. *Nunc quam*. Et dicitur *quam* per syllepsin, nempe subaudi *comœdiam*, et ordo est : « Postquam Ædiles emerunt Eunuchum Menandri, quam comœdiam nunc, etc. » — *Acturi sumus*. Donatus legit *simus*.

20. *Menandri Eunuchum*, desumptam ex Menandro. — *Postquam Ædiles emerunt*. Agebantur enim privatim, et speciminis causa comœdiæ, apud Ædiles Curules, antequam publice agerentur. Adnotavimus in prologo Andriæ Ædiles Curules, præter cætera, ludos scenicos administravisse.

21. *Perfecit*, ad id pervenit Lanuvinus. — Post versum 20, in Bothio sequitur ille, cujus initium *Magistratus, quum ibi adesset*, quem deinde excipiunt verba *Perfecit* etc.

22. *Adessent*. Sic tres Bentl. antiqui codices, pro *adesset* vulgato. Magistratus autem plurali numero sunt duo Ædiles. *Perl.*

23. *Furem*. In Ms. Lips. altero *furem esse*.

24. *Et nil dedisse verborum tamen*. Donat. « aut neminem fefellisse, (dare enim verba, decipere est :) aut nihil apposuisse de suo, nihil addidisse de suo. » Prior sensus potior nobis videtur, et magis latinitati accommodatus. — Putant Juvencius et domina *Dacier*, per has voces *nil dedisse verborum* innui a Lanuvino, nihil damni fecisse

Colacem esse Nævî, et Plauti veterem fabulam;
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia 'st
Poetæ, non quo furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et miles gloriosus: eas se hic non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca; sed eas fabulas factas prius
Latinas scisse sese, id vero pernegat.

Terentium quia alienam bonam pro una ex se mala dederat. Simplicius est Lanuvinum intellexisse, furtum minime latuisse.

25. *Colacem esse Nævi.* Bentl. legit *colacem esse nempe, Plauti v. fab.* Nam Nævii putat nullibi Colacem commemorari. At vero a Nonio et Prisciano *Colax Novii* memoratur, quod *Novii* pro *Nævii* corruptum facile putes. Nævius autem fuit poeta Campanus, Ennio senior, ab Horatio laudatus, Ep. II, 1, 53. *Perl.* — *Et Plauti veterem fabulam.* Both. legit *aut Plauti.* Scil. eam quæ inscribitur *Miles gloriosus.*

26. *Inde*, collectivo sensu, scilicet ex Colace Nævii, parasiti personam, ex milite Plauti, personam militis desumpsisse.

27. *Peccatum est*, contra jus factum est. — *Imprudentia 'st*, cod. Hal. *imprudentiæ*, male. *Perl.*

28. *Quo.* Sic antiquissimi libri, non *qui*, ut legunt Valp. et alii. *Quo* autem pro *quod* exponendum. *Ut* pro *quo* Guelf.

30. *Parasitus Colax.* Hic *Colax* proprii nominis vicem gerit, et indicat hominem, qui erat et parasitus et adulator.

31. *Et miles gloriosus.* Sic inscripta Plauti fabula superest. — *Eas se hic non negat.* Perl. ex Bent. *hic* ingessit; rejiciunt Zeun. et Valp. Nostri hunc locum Cicero tangere videtur dicens: »Assentatio *parasitorum* in comœdiis nobis faceta non videretur, nisi essent *milites gloriosi.* Lael. 26. *Perl.*

32. *In Eunuchum suam.* Ad fabulam, non ad hominem retulit, et ideo feminino genere utitur. Per eiusdem synchesin Virgil. Æneid. V, 122, *Centauro invehitur magna*... cf. supra vs. 19, not.

33. *Ex græca*, sc. fabula Menandri. A Græcis autem transtulisse vel desumpsisse quidquam, id vitio nomini dabatur, quod fieri quotidie solebat. Hujus rei testem Ciceronem quidem habemus de Fin. I, 2, init. *Perl.*

34. *Eas fabulas factas latinas.* Refer *eas* ad τὸ *personas* prioris versus, et sententiam sic ordina: *eas personas* (parasiti, et militis) *factas esse fabulas latinas*, id est materiam et nomen præbuisse fabulis latinis duabus, Nævii et Plauti; vid. supra. — Vult Bentleius intelligi per *eas fabulas*, Menandri Colacem et Eu-

Quod si personis iisdem uti aliis non licet;
Quî magis licet, currentes servos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per servum senem,
Amare, odisse, suspicari? Denique
Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare æquum est, vos cognoscere atque ignoscere,

nuchum. Sed non objecerat malevolus poeta Eunuchum Menandri, jam Latinum prius factum fuisse; et revera non factus fuerat. Quum igitur de duabus fabulis latine translatis non fiat hic mentio, pluralem numerum *eas* non melius explicare potuimus, quam si referremus ad *personas*. — *Scisse sese*. Cui mirum videbitur Terentium latuisse, personas e Menandro tractatas fuisse a duobus poetis popularibus, is meminerit illa ætate ob librorum paucitatem raram fuisse copiam scriptorum opera legendi. — *Vero*, quod ad id attinet.

35. *Aliis*. Legit Bemb. *huic*. — *Aliis*. Poetis, qui postea veniunt.

36. *Quî*. Quomodo—*Magis*, Both. *mage*. — *Currentes servos*. L. Bemb. et deinde Fa. *currentem servum*; cf. Heaut. 37. Par. mss. *discurrentes servos*.—*Currentes servi* præ cæteris dicebantur, ut qui agiles essent atque concitatiores. *Perl.*—*Scribere*, in fabulam inducere.

37. *Bonas matronas*. Cujusmodi est apud Terentium Nausistrata in Phormione, et Sostrata Hecyræ.—*Meretrices malas*. Tales etiam Noster, Thaidem in Eunucho, Bacchidem in Heautontimorumeno induxit personas. *Perl.*

38. Hic versus deest in Bothio, qui eum rejicit tanquam spurium. — *Parasitum edacem*. Inter alios *edax* Terentii quoque Gnatho ostenditur *parasitus*, in hac ipsa Eunuchi fabula. *Perl.* — *Gloriosum militem*, ut est Thraso, vid. infra.

39. *Puerum supponi*, ut in Andria, 742 sq. Hæc referri debent ad *Quî magis licet*. — *Falli per servum senem*. Ut Simonem in Andria, et Demeam in Adelphis.

40. *Amare, odisse, suspicari*. Quomodo licet personas in scenam inductas *amare, odisse, suspicari*, i. e. repræsentari in fabula *amorem, odium* et alia παθήματα.

41. *Denique Nullum est*, etc. Hæc verba respiciunt ad v. 35. Ac sane mirum esset, diversos homines interdum in eadem cogitata non incidere posse. Igitur poeta ostendit, summum esse nefas atque calumniam, si quis proprio Marte invenerit effeceritque, quæ jam aliena opera exstent, eum protinus furti accusare. —*Jam*, nostra ætate. *Perl.*— Quinque ex Valpyan. cod. *non sit dictum*, quod Bent. credit poetam sic dedisse. — *Dictum*. Vox illa prius substantivi, posterius participii vices implet.

42. Ien. cod. *nos* pro *vos*. Perl.

Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.
Date operam, et cum silentio animum attendite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

— *Æquum est*, etc. Intellige *æquum est vos cognoscere*, expendere hanc rem, i. e. quantum liceat poetis in imitando sibi sumere, atque ignoscere, si faciunt ea quæ etc.

43. *Quæ veteres factitarunt*, etc. Cum magna defensione Terentii, semel facientis id quod sæpe Veteres, qui ipsi a prioribus personas mutuati fuerant.

44. *Animum attendite.* Zeun. ex mss. quibusd. *animadvertite.*

45. *Quid sibi Eunuchus velit.* Quid agatur in hac fabula.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA. PARMENO.

PH. Quid igitur faciam? Non eam? Ne nunc quidem,
Quum arcessor ultro? An potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit; revocat. Redeam? . . . Non, si me obsecret.
PA. Si quidem hercle possis, nil prius neque fortius.
Verum si incipies, neque pertendes naviter,
Atque, ubi pati non poteris, quum nemo expetet,

46. *Quid igitur*, etc. Ex his apparet Phædriam multa et cogitasse et cum servo fuisse collocutum, priusquam in scenam prodiret. Deliberat scilicet adolescens, an expulsus a meretrice, rursus rogatus ut redeat, revertatur. *Eugraph.* — Iidem Menand. εἶτα τί ποιήσω. Confer ad Hecyram, 521.

47, 48. *Ultro*, nullis a me admotis precibus, et Thaidis sponte. — Hunc locum imitatus est Persius, Sat. V, 171: «Quidnam igitur faciam? ne nunc, quum arcessat, et ultro Supplicet, accedam...? » — *Quum arcessor.* In Ien. *quum* omittitur. — *Ita me comparem, non perpeti.* Me comparem, ita ut perpetuo non feram. — *Meretricum* invidiose, quum de una Thaide sermo sit. Andr. 559.

49. *Exclusit*, non admisit Thais. Similis est querela amatoris, apud Tibull. II, VI, 13, 14. Hunc locum insuper tam veritate quam concinnitate orationis egregium Horatius Sat. II, 3, 158 seqq. percurrit illustravitque. *Perl.*

50. *Si quidem hercle possis nil*, etc. Per Herculem, si quidem valeas id facere, nihil, etc. — *Prius*, præstantius.

51. *Verum si incipies*, si autem tale consilium exsequi incipies. — *Pertendes.* Perseverabis fortiter in exsequendo consilio.

52. *Atque, ubi...non poteris*, etc. Hæc connectuntur cum prioribus

Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, et ferre non posse, actum 'st : ilicet,
Peristi; eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam hoc cogita,
Here! quæ res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam rem consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. Incerta hæc tu si postules

per conjunctionem *si*, quæ subauditur : *atque, si, ubi non poteris....*, *ultro ad eam venies*, etc. — *Pati*, absolute pro, durare, καρτερεῖν. Heaut. 761. — *Quum nemo expetet*, generâliter dictum pro ipsa Thaide. — Guyetus præter genium Terentiani sermonis, *quum neno* (Sic scribit *Valpy* qui citat.) *expetet*, quum res, tempus non expetet. West.

53. *Infecta pace*, antequam pacem cum illa feceris. — *Ultro*, sponte tua, nec rogatus.—*Indicans*, ostendens ipsa re, potius quam verbis.

54, 55. *Ferre non posse*, absolute dictum, eodem sensu quo supra. — *Actum est*, etc. Hæc est præcipua sententiæ pars, ad quam antecedentia referri debent. — *Ilicet*, *peristi*. Statim, jam nunc, perditus eris.— *Eludet*. C. G. m. addit *te*. P. Intellige, te ludibrio habebit.—*Victum*, domitum a se.

56. *Proin tu*. Sunt libri, atque in iis Lips. et Br. codices, ubi hic versus tribuitur Phædriæ. Ita quoque Zeunius et interpres Gallicus *Lemonnier* habent. Bentl. autem, Perlet. et Both. dant lectionem quam recepimus. — *Hoc cogita*. Ingessimus *hoc* ex Bentl. et Perl. Intellige, tecum reputa quæ tibi prædico.

57. *Quæ res*, amor scilicet. — *Neque consilium neque modum habet ullum*, prudentia et moderatione caret.

58. *Rem* exstat in Bo. cod. uno inter lineas, utpote quod omissum fuerat, a manu posteriore adscriptum. Hoc idem habet C. G. m. in textu. *Perl.* Rejiciunt Zeun. Bot. Valp.—Perletus notat ex versu hoc et priori Faernum facere unum; et expressa hæc fuisse e Menandri Consobrinis :

. . . φύσει γάρ ἐστ' ἔρως
Τοῦ νουθετοῦντος κωφὸν, ἅμα δ' οὐ ῥᾴδιον
Νεότητα νικᾶν ἐστι, καὶ θεὸν λόγῳ.

— *Consilio regere non potes*. Hæc dicit Parmeno, quasi occupaturus, quæ potuisset herus objicere, scilicet se in hoc amore non nisi cum consilio et modo aliquid staturum esse.

59. *Hæc omnia vitia*, quæ proferam. — Integrum hunc locum Cicero laudat, Q. Tusculan. IV, 35. Item Horatius Sat. II, 3, eumdem imitatus esse videtur. *Perl.*

61. *Bellum, pax rursum*. Præcipue pertinet hoc ad amantes. Vide Plaut. Amphitr. III, 11, 57. *Postules*. Contendas, ut vidimus in Andria, vs. 646, *Amantium iræ*, etc.

Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas :
Egone illam...? Quæ illum...? Quæ me...? Quæ non...? Sine modo;
Mori me malim : sentiet qui vir siem.
Hæc verba una mehercule falsa lacrimula,
Quam, oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet; et te ultro accusabis, et dabis ei
Ultro supplicium. PH. O indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse, et me miserum sentio;
Et tædet; et amore ardeo; et prudens, sciens,
Vivus videnque pereo; nec, quid agam, scio.
PA. Quid agas? nisi ut te redimas captum, quam queas
Minimo; si nequeas paululo, at quanti queas,

62. *Certa facere*, stabilia reddere. — *Agas*, proficias.

65. *Egone illam..?* Has ellipses sic explere poteris : *egone illam* adibo? *quæ illum* (id est rivalem) præposuit mihi? *quæ me* sprevit? *quæ non* suscepit me heri. Tota mimesis est figura, per quam imitatur Parmeno cogitata Phædriæ. *Perl.*—*Sine modo* me perstare in consilio eam non revisendi.

66. *Mori me malim*, potius quam redeam.—*Qui vir siem*, quam tenax propositi.

68. *Oculos terendo.* MS. Markianus *tergendo.*—*Misere.* Both. Zeun. *Misera* quod probant Ruhnken. et Bent.—*Vix vi expresserit*, Bothius omittit *vi.*

69. *Restinguet.* Itidem Ovidius Metamorph. VI, 618. Et Syrus in Mimis : « Didicere flere feminæ in mendacium. »—*Accusabis.* Sic Eras. Mu. Westherov. ob structuram et sensum verborum commode. Alii *Accusabit.* — *Ultro*, prior.

70. *Dabis supplicium*, dabis illi pœnas.

71. *Et illam.* Hoc *et* prius West. priori versui annectit, et post eum Both. et Valpy.

72. *Et tædet; et amore ardeo.* Hæc inter se opponuntur : Simul illius tædio, simul illius amore afficior. — *Prudens* est qui intelligentia sua aliquid sentit; *sciens* qui alicujus indicio rem cognoscit. Ergo *prudens* per sese, *sciens* per alios. *Donat.*

73. *Vivus videnque pereo.* Sic Lucret. III, *vivo atque videnti.* «Bene autem hæc junguntur, sicut apud Græcos βλέπων idem est quod ζῶν.» Mu. — Itid. Hom. II, A, 88. Ad hæc v. Adag. Erasm. *Perl.*

75. *Minimo*, subaudi, pretio. Perl. monet Ien. legere *nimio.*—*Si nequeas paululo* pretio te redimere. — *At*, saltem, et subaudi : *Te redime, quanti*

Et ne te afflictes. PH. Itane suades? PA. Si sapis.
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas; et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas:
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

SCENA SECUNDA.

THAIS. PHÆDRIA. PARMENO.

TH. Miseram me! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. PH. Totus, Parmeno,
Tremo horreoque, postquam aspexi hanc. PA. Bono animo es;
Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.

etc. Hæc omnia per translationem dicuntur, et digna sunt quæ ad verum reducantur: per hæc, *redimere se quam minimo pretio*, servus intelligit, ex amore Thaidis se expedire quam promptissime, quia, durante amore, durat sumptus in Thaide faciendus. Inde sequitur *quanti queas* intelligendum esse, tam cito quam poteris, si non promptissime.

76. *Ne te afflictes*, ne pereas ob animi mœrorem. — *Si sapis*. Intellige: id suadeo, si ita sapis ut suadenti possis parere.

78. *Et illa*. Bo. omittit *et*. — *Quas habet* amor. — Hæc levi mutatione ex Eunucho Menandri expressa: Μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς ἀναγκαίους φέρε. *West*.

79. *Sed ecca ipsa*, pro *ecce ea ipsa*. — *Nostri fundi calamitas*. Proprie *calamitatem* rustici grandinem dicunt, quod comminuat *calamum*, h. e. culmum ac segetem. *Donat*. — *Nostri fundi*, herilium fortunarum, per figuram dictum.

80. *Nam quod* etc. Eum proventum quem e fundo nos percipere deceret, antequam ad nos perveniat, capit. In Lips. est: *Jam quod nos*.

81. *Illud* refer ad *quod heri intromissus non est*.

82. *Aliorsum*, in aliam partem, id est, in malam partem.

83. *Quod heri intromissus non est*, supple *ad me*.

84. *Es*, imperandi modo. M. *esto* pro *es*. Sed et ita Pall. tres. *West*.

85. *Ignem hunc*, nimirum ad Thaidem, in qua amanda ureris. Amores nempe igni comparantur. Sic Virg. Bucol. Ecl. III, 66. Ovid.

TH. Quis hic loquitur? Ehem, tune hic eras, mi Phædria?
Quid hic stabas? Cur non recta introibas? PA. Cæterum
De exclusione verbum nullum. TH. Quid taces?
PH. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. TH. Missa istæc face.
PH. Quid! missa? O Thais, Thais! Utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
TH. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem aut plus diligam,

Epp. XVI, 102. Cf. hunc imprimis Metam. III, 372 seqq. itid. Horat. Od. III, 7, 11. *Perl.* — *Plus satis*, omisso *quam*, pro *plus quam satis*. Sic in Heaut. 198. Vid. Sanctii Minervam II, 4, 7.

86. *Loquitur.* Ien. cod. *obloquitur.* — *Tune hic eras.* Vulgo *tun'eras hie.*

87. *Recta introibas.* Lips. *recta intrabas.* Guelf. 1, *introibas via.*

88. *Verbum nullum*, subaudi, facit Thais. Hæc servus propterea dicit, ut Phædria, injuriæ memor, non statim manus det victus. *Perlet.* — *Quid taces.* Hæc Thais ad Phædriam.

89. *Sane, quia vero* etc. Hæc respondent non ad posteriorem *quid taces*, sed ad primam Thaidis interrogationem, *cur non recta introibas*, et ideo subauditur *non introibam.* — *Sane vero*, ironiæ hæc conveniunt; ut hæc omnia εἰρωνικῶς dicantur.

90. *Apud te primus*, i. e. plurimi fio et præ cæteris diligor. — *Missa face* pro *mitte*, id est omitte, obliviscere.

91. *Quid! missa?* subaudi *hæc faciam.*

92. *Mihi pars æqua amoris tecum.* Construe: Utinam pars amoris æqua tecum (id est, cum tua amoris parte) esset mihi, ut par esset inter nos mutuus amor. Eadem sententia occurrit apud Theocrit. I, XII: Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειεν ἐπ'ἀμφοτέροισιν ἔρωτες Νῶϊν! κ. τ. λ. — *Pariter* in eo quod ad utrumque nostri attinet.

93. *Hoc*, hæc injuria quam a te accepi. — Both. *aut tibi hoc uti doleret*, etc.

95. *Necrucia te*, etc. Totum versum legit Bothius: *Ne crucia nimium te, obsecro, mi Phædria.* Zeunius legit sicut nos, præterquam quod non repetit *mi.* — *Anime mi, mi Phædr.* Comice et amatorie dictum, præsertim ob voculam *mi mi* molliter geminatam. Andr. 697. *Perl.*

96. *Plus* quam te. — *Amem. Amare* plus est quam *diligere*, quod plane explicat Cicero: « Quis erat qui putaret ad eum amorem quem erga te habebam posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut mihi nunc denique *amare* videar; antea *dilexisse.* » Inde sequitur ut *amemus* potius impulsu quodam animi, quam ex

Eo feci; sed ita erat res, faciundum fuit.
Pa. Credo, ut fit, misera præ amore exclusisti hunc foras.
Th. Siccine agis, Parmeno? Age. Sed huc qua gratia
Te arcessi jussi, ausculta. Ph. Fiat. Th. Dic mihi
Hoc primum: potin' est hic tacere? Pa. Egone? Optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo et contineo optume;
Sin falsum, aut vanum, aut fictum 'st, continuo palam 'st.
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
Th. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.

delectu prudenter facto, quod exprimit *diligere*.

97. *Eo*, ideo; et jungitur cum *quo quemquam*. — *Ita res erat*. Ita rerum mearum ratio necessitasque poscebant.

98. *Præ amore exclusisti*. Ironia. Andr. 660: « *Tu coactus tua voluntate es.* » Hæc dicit servus, vocis sono miserans, verbis irridens. P. — *Exclusit*. Bodl. *excludit*. Lips. *exclusit*. Fa. *exclusti*, quod probat Bentl. — *Ut fit*, ut fieri solet in amore. Per ironiam, dicit quæ bene scit esse falsa.

99. *Siccine agis*. Br. Both. Zeun. Valp. *ais*. Hac formula utuntur qui ægre ferunt quod dicitur. Inf. 803, et Adelph. 129. — *Age*, i.e. perge modo. Hæc ad Parmenionem melius quam ad Phædriam referuntur, et sunt corripientis potius quam hortantis. — *Sed huc*, etc. Alloquitur Phædriam hic Thais. — *Qua gratia*, qua de causa.

100. *Fiat*, ut optas, quasi diceret, *auscultabo*. — *Arcessi*. Alii *accersi*.

101. *Potin'est*, pro *potisne est*, *potestne*. — *Hic*, Parmeno. — *Tacere*, arcana servare.

102. *Heus*, vox attentionem postulantis. — *Tu*, Thais. — *Meam fidem*, supple, fore ut taceam.

104. *Sin falsum aut vanum*, etc. Pro *aut vanum* unus ex nostris Academicus *aut varium*, alter R. *aut vacuum*. — Hæc tria Donatus distinguit ita: *falsum* est, quo tegitur id quod factum est, *vanum*, quod fieri non potest, *fictum*, quod non est factum et fieri non potuit. — *Continuo palam 'st;* quia nempe a me vulgatur.

105. *Plenus rimarum sum*. Translatio a vase quod rimas habet. — Be. et Both. *perpluo*. Vox Plautina, in Terentio minime probatur. Insuper cf. *effluet* vs. 121, quod huc respicit. *Perlet*. Hæc interpretatur Laur. Vall.: « in modum non fidelis lagenæ, quæ mihi committuntur, effundo. »

106. *Taceri*, silentium servari. Perlet. not. Len. cod. legere *taceo*. Both. *si vis taceri*.

107. *Samia*, ex Samo, insula Icarii maris Ionia adjecta. — *Rhodi*. Rhodus est maris Carpathii insula.

PA. Potest taceri hoc. TH. Ibi tum matri parvolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. PH. Civemne? TH. Arbitror:
Certum non scimus. Matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cætera
Neque scibat, neque per ætatem etiam potis erat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, se audisse abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educere, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quicum tum uno rem habebam, hospite,

108. *Potest taceri hoc*, quia verisimile est. — *Ibi tum.* Quum Rhodi degeret. Omnes codd. Bentl. et ed. vett. *tum ibi.*

110. *Ex Attica hinc.* Adjicit *hinc* quo melius designet locum. — *Abreptam*, a prædonibus, ut patet infra 114.

111. *Certum non scimus*, id non scimus ut certum. Lips. alter *certum nescimus.*

112. *Signa cætera*, quibus agnosci posset, scilicet domum patris regionemque ejus etc. Ed. prima 1469. *signa certa.*

113. *Potis erat*, poterat, et supple scire. Fa. *potuerat*, et sic Zeunius.

114. *Unde*, a quibus; ut jam vidimus paulo supra, vs 11.

115. *Abreptam.* Cicero ad Atticum, VII, 3, citat *captam;* nisi forte ut Bæclerus existimat, Terentii verbum exciderat memoria. *Perlet.* Nec adeo mirum videbitur illud μνημονικὸν ἁμάρτημα Ciceroni excidisse, quum nihilominus constet ratio metri; nam in ista exemplarium inopia, Veteres non semper ad auctoris textum recurrere poterant, memoria tantum utcumque adjuvante. — *E Sunio. . . . Sunium* est promontorium Atticæ terræ. Vid. Curt. X, 2. Et Homer. Odyss. III, 278.

116. *Cœpit studiose.* Both. *Studio cœpit omnia.* — *Ubi accepit* hanc puellam. Plures interpretum et *Lemonnier* intelligunt, « ubi accepit (audivit) id quod a mercatore dicebatur; » quasi impulsa mercatoris narratione, mater Thaidis curam magis sedulam puellulæ impendisset. Sed non is erat mercatoris sermo qui spe aliqua mulierem lactaret, fore ut olim mercedem inveniret, propter educatam puellam. — *Studiose*, refer ad *docere.*

117. *Educere.* Plurimi lib. scripti et editi *educare*, sed *educere* et metro consulit, et Nostro est frequentius. *Perl.* Vid. in Andria vs. 275.

119. *Quicum.* Sic Bentl. Both. et Perl. eos secutus. Vulgo *quocum* C. G. m. *cum quo.* Sed *quicum* poetæ usitatissimum est. — *Cum illo hospite*, Id est, mercatore attico, de quo mo-

Abii huc : qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
Pa. Utrumque hoc falsum 'st : effluet. Th. Quî istuc? Pa. Quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te adtulit.
Th. Ita 'st; sed sine me pervenire quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus. Te interea loci
Cognovi. Tute scis post illa quam intimum
Habeam te, et mea consilia ut tibi credam omnia.
Ph. Neque hoc tacebit Parmeno. Pa. Oh! Dubiumne id est?
Th. Hoc agite, amabo. Mater mea illic mortua 'st
Nuper; ejus frater aliquantum ad rem est avidior.
Is, ubi hanc forma videt honesta virginem,

do fecit mentionem. Et dicit *hospes*, quia ille Atticus erat. — *Rem habebam*, i. e. consuetudinem, amorem. — *Amorem*, pro *uno rem* dat Guelf. eodem sensu.

120. *Huc* Athenas, e Rhodo. — *Reliquit* moriens.

121. *Utrumque hoc falsum est.* Ipse explicat versu sequenti *hoc utrumque* quod dicit. — *Effluet*, non tacebitur. — *Quî*, quomodo, et supple *dicis*. — *Quia ;* pro hac voce Both. *rogas ?*

122. *Neque tu uno eras contenta.* Quippe quæ certissime plures habueris amatores. — *Neque solus.* Both. *neque is solus.*

123. *Hic quoque.* Phædriam intuens hoc dicit. — *Bonam magnamque.* Hæc dicuntur ἰσοδυναμοῦντα, ut, *abs te petere et poscere.* An potius *bonam* specie, *magnam* quantitate.

124. *Ita 'st.* Alii *ita est.* — *Sine*, permitte. — *Pervenire* narrando. — *Quo volo*, subaudi *pervenire.*

125. *Miles*, Thraso, de quo amplior mentio fit infra.

126. *In Cariam. Caria*, minoris Asiæ regio, cui Rhodus adjacet. Hodie *Aidinelli* et *Mentesselli*. Farnabius. — *Interea loci*, inter ea temporis, inter id tempus. Locutio hæc in narratione usitata, pro *interea.*

127. *Post illa*, non ad *scis*, sed ad *habeam* referri debet.

129. *Hoc.* Libri antiqui *Ne hoc quidem.* Both. *num hoc quid.* — *Neque hoc tacebit Parmeno*, utpote falsum. — *Oh!* vox confirmantis. — *Id*, sc. me non taciturum.

130. *Hoc agite*, ad hoc attendite. De hac voce egimus supra in Andria, vers. 186. — *Amabo*, si attenditis, formula blande precantis. — *Illic*, Rhodi.

131. *Ejus frater.* Both. *ei frater.* — *Ad rem* augendam. — *Aliquantum avidior*, paulo nimis avidus. Bruns. legit *aliquantulum.*

132. *Hanc.* Bent. ingerit *esse*, quasi necessarium, ob *fidibus scire.*

Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit. Forte fortuna adfuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum ignarusque omnium.
Is venit. Postquam sensit, me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo:
Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me; ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam, velle se illam mihi dare:
Verum id vereri. Sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. PH. Etiamne amplius?
TH. Nil: nam quæsivi. Nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere:

Perl. Hoc verbum, etsi non admittamus, tamen subaudimus.—*Videt.* Zeun. *vidit*; « forsan operarum errore » dicit Br. Both. rejicit *videt* ad versus calcem.

133. *Fidibus scire*, sub. *canere*. — *Pretium* bonum ex puella vendita.

134. *Producit.* Heautont. 144. Qui venales sunt, *produci* plerumque dicuntur. Sic Sueton. Tiber. 34. Id. Gram. 4: « venalis produceretur. » — *Forte fortuna. Fors fortuna* ὑφ'ἓν, id est, subita fortuna. Et *fortuna* in incerto. *Fors fortuna* in bono ponitur. *Donat.*

135. *Hic* Rhodi. — *Meus amicus*, idem qui supra *miles*. — *Dono*, in donum mihi.

136. *Imprudens* per se, *ignarus* per alios, id est, qui nec suspicatus sit, neque ex aliquo audierit. — *Harum rerum*, quas dixi vobis, scil. unde abrepta foret, cuja esset.

137. *Is venit.* Is nunc ex Rhodo Athenas modo reversus est.

138. *Sedulo*, omni ope. — *Ne det* sub. puellam emptam.

139. *Si fidem habeat*, si habeat unde possit credere.

140. *Ac non id metuat.* Subaudi *si*. — *Id*, scilicet *se non iri præpositum tibi*. — *Acceperim.* Ien. et Ven. addunt *ab eo*, quod Perl. ait glossam sapere.

141. *Velle se.* Hæc jungenda cum *ait*, ad versum 139.

142. *Id vereri*, ne sese relinquam, ubi acceperim puellam.—*Ego quantum suspicor.* Simulat enim callida se suspicari, quod non suspicatur, ut Phædriam consoletur ab amore rivalis. *Perl.*

143. *Virginem*, ad virginis amorem. — *Adjecit.* E. P. *advortit.* — — *Etiamne amplius?* Nilne est præterea.

144. *Quæsivi* percontata sum.— De his notat optime Donat. « mundat Terentius, ut intacta Chærea virgine potiretur, ac nuptiis liberalibus uteretur. »

145. *Cupiam.* Ita ex Bemb. aliisque antiquis legit Fa. Alii cum Donato *cupio*. — *Abducere*: Ad me

Primum, quod soror est dicta; præterea ut suis
Restituam ac reddam. Sola sum : habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum; quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere. Nil respondes? PH. Pessuma,
Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Eu, noster! Laudo. Tandem perdoluit : vir es.

a possessione militis transducere. Etiam hoc verbo Thais gratificatur Phædriæ. Non enim *accipere*, ut ab amico, sed *abducere* ut ab stulto, et experte. *Donat.*

146. *Quod soror est dicta.* Alludit ad tempus quo puella et ipsa apud matrem Rhodi degebant. Vid. supra vs. 108. — *Suis*, propinquis.

147. *Restituam* raptam. — *Reddam* amissam. Collocat *Redd. ac rest.* Guelf. 3.

148. *Neque amicum habeo.* Recte dicit Thais se non *amicum habere*, id est, defensorem. Quamvis enim meretricum consuetudine uterentur juvenes, sicut Phædria Thaidis, non solebant tamen eas aperte protegere et illarum causam suscipere, ne, suscepto dedecore, a parentibus exhæredarentur. — Legendum monet Bentleius *neque notum, neque cognatum.*

149. *Parere.* Sic lib. Bemb. cf. Andr. 797. Donat. Valp. et omnes libri scripti *parare.* Lind. unus *præparare.* — *Aliquos amicos*, nempe affines puellæ et parentes, quibus eam restituere cupit. — *Beneficio meo* redditæ puellæ.

150. *Id adj. me.* Sis præsto mihi secundum *id*, in eo; scilicet quo id, hoc est, puellæ abductio, fiat facilius. — Posterius *id* rejicit Both. « quia, ut ait, superfluum est, neque comparet in B. et Hel. » Abest quoque in M.

151. *Illum* militem. Both. *illunc.* — *Hosce aliquot dies.* Perpaucos ex diebus qui ex illo die sequentur. — *Priores partes habere.* tibi a me anteferri. Honeste circumloquitur et oratorie, ne dicat, abi foras, atque excludi te patere.

152. *Nil respondes?* Par. MSS. *Mihi* probe, propter *tibi* quod sequitur. *Perl.* — Jam silentium accusat, quia scit nihil responsurum contrarium. Et blande *nihil respondes:* tanquam qui debeat amoris vicem. *D.*

153. *Cum istis factis.* Dum talia agis. — *Tibi.* M. non agnoscit τὸ *tibi;* quod apte infertur post *mihi.* — *Respondeam*, respondere possim.

154. *Eu, noster!* Vulgo editur *heu.* Guelf. 3. *heus.* — *Tandem perdoluit*; subaudi *hoc tibi.* Melius accipias verbum hoc impersonaliter dictum, quam referatur ad Phædriam, Parmenone secum demissa voce loquente. — *Vir es*, pro fortis es. Sunt autem formulæ, *si vir es, si viri estis*, Livio præsertim frequentes. *Perlet.*

PH. At ego nesciebam, quorsum tu ires: « parvola
Hinc est abrepta! Eduxit mater pro sua;
Soror dicta 'st; cupio abducere, ut reddam suis. »
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor; ille recipitur. Qua gratia?
Nisi si illum plus quam me amas; et istam nunc times,
Quæ advecta 'st, ne illum talem præripiat tibi.
TH. Ego id timeo? PH. Quid te ergo aliud sollicitat? Cedo.
Num solus ille dona dat? Nunc ubi meam
Benignitatem sensisti intercludier?

155. *At.* Sic legimus cum pluribus editoribus. Tum Quintilianus *at* legit IX, 2, 58. Lips. Leid. unus *haud*, quod Fa. tuetur. Br. Guelf. *aut ego.*—*Quorsum tu ires*, quorsum narrando pergeres. — *Parvola*, puellula quædam.

156, 157. *Hinc est abrepta* etc. Vide μίμησιν cum odio inductam, et depravatam pronuntiatione: ita ut ὁμοιοτέλευτα repeterentur de industria. *Donat.* — *Soror dicta'st.* Bemb. *Dicta est.* Valp. *est dicta.*

158. *Hæc nunc verba.* Adverbium jungitur substantivo græco more, et ponitur pro, *hæc verba quæ nunc dicis.* Vide supra Andr. vs. 175.

159. *Ego excludor.* Abest *ego* Guelf. 2. Both. legit *excludor ego.*

160. *Nisi si.* Sic MS. Bodl. Et Bentl. *nisi si* existimat familiare esse poetæ. Valp. Zeun. *nisi illum* etc.— Hæc intellige: Cur hoc facis, nisi quia, etc.

161. *Advecta est.* A milite ex Rhodo navi adducta est. Ed. Delph. *abducta est.* — *Illum talem*, quem tanti facis, ut eum omnibus anteponas. — Quin etiam obsceniorem sensum Joseph. Scaliger judicat sub pronomine *illum* posse latere; vide eumdem ad Catull. LXIV, 5. *Perl.*

162. *Ego.* Sic unus ex codd. Be. Vulgo *egone*, vel *egon'*. Syllaba *ne* superflua incommodat metro. Both. legendum monet, *Ego idne? Quid?* —*Id*, scilicet ne illum talem præripiat mihi. Hunc locum intuens Ovidius, magister amorum, præcipit, Art. Am. III, 604:

Ut sis liberior Thaide, finge metus.

—*Quid te ergo aliud sollicitat*, supple *nisi iste timor.*

163. *Nunc ubi.* Bemb. et aliqui ex antiquis, et omnes fere recentes, *num ubi.* Ita et Donatus. *Faern.*—Illud *nuncubi*, quod est in pluribus codd. nusquam, opinor, alibi invenitur; *num ibi* versus ipse repudiat. Lego igitur *num tibi. Bentl.* Ita Both. Br. et Perlet. *nunc ubi.* Valp.—*Nuncubi.* Adverbium compositum pro *num alicubi*, id est, *num unquam.*

164. *Intercludier*, occludi, deesse. Eadem est metaphora apud Ciceronem, de Offic. II, ubi dicitur *claudi*, *reserari* res familiaris. In omnibus Pall. MSS. teste Par. *claudier.* MSS. Lindembr. *intercludier.* Itidem C. G. m. At l. Bemb. *in te claudier.* Mu. ed. *calvier.* Bentl. ex antiq. C. *intercludier.* Andr. 574.

Nonne, ubi mi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? Porro eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi.
Heri minas pro ambobus viginti dedi;
Tamen, contemptus abs te, hæc habui in memoria;
Ob hæc facta abs te spernor. TH. Quid istic, Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id posse fieri maxume; verumtamen
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut jusseris.
PH. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres:

165. *Dixti.* Br. *dixisti.* — *Ex Æthiopia ancillulam.* « Meretrices quoque, matronarum potentium exemplo, ancillis et eunuchis fuscis uti solebant ministris. » Vid. Broukhus. ad Tibull. II, III, 77 seqq. *Perl.*

166. *Relictis rebus omnibus*, relicta meorum negotiorum cura.

167. *Porro*, deinde. Vulg. *Eunuch. porro.*

168. *His* ejusmodi mancipiis. Dixit *his* postquam posuisset *Eunuchum*, attendens ad genus omne Eunuchorum. — *Reginæ*, sunt matronæ nobiles et opulentæ. Ita *rex* pro homine potenti. Cf. Phorm. 79. — Both. ordinat: *solæ quia his reginæ utuntur.* — *Repperi.* Sic scripsimus cum Perleto ex Prisciano atque Bentleio, autepenultima per duplum *p* producta. Itid. Heaut. 339. Br. nullam distinctionem ponit post *repperi.*

169. *Ambobus*, Ancillula et eunucho. Aliter infra 983, ubi Parmeno tantumdem ait pro solo eunucho Phædriam dedisse. Est autem mina, gr. μνᾶ, ipsa argenti libra, continens drachmas centum. Vide tabulam monetarum, quæ est ad calcem tom. I Martialis nostri. disponunt, *heri minas viginti pro amb. dedi.*

170. *Tamen, contemptus abs te* etc. Both. disponit, *contemptus abs te, tamen hæc habui in memoria.* Indicat saltem hæc Bothiana lectio, ad quam sententiæ partem τὸ *tamen* sit referendum. — *Hæc* quæ cupiebas.

171. *Ob hæc facta*, etc. Instat acrius, querendo quod postquam, spretus licet et exclusus, amicæ gratificari studuerit, nunc rursus contemnatur ab illa. — *Ob hæc facta*, in præmium hujus facti. — *Quid* dicis, objicis. — *istic*, ibi temporis. Vid. supra Andr. 573. Vulg. *istuc.*

172. *Abducere*, vid. supra vs. 145. — *hac re*, ratione quam supra proposuit 151, 152.

173. *Id*, illius abductionem — *posse fieri*, sic colloc. Bent. suavius. Vulgo *fieri posse*, — *maxume* potissimum, præsertim.

175. *Istuc verbum*, singulariter dictum pro tota sententia: *Potius quam te inimicum habeam*, etc.

«Potius quam te inimicum habeam;» si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
PA. Labascit, victus uno verbo, quam cito!
TH. Ego non ex animo misera dico? Quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. PH. Siquidem biduum;
Verum ne fiant isti viginti dies.
TH. Profecto non plus biduum, aut. . . PH. Aut? Nil moror.
TH. Non fiet; sine modo hoc te exorem. PH. Scilicet
Faciundum est, quod vis. TH. Merito te amo; bene facis.
PH. Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum.
Ita facere certum 'st: mos gerundu 'st Thaidi.

177. *Quidvis*, quaslibet conditiones proposueris.

178. *Labascit*, cedit. Hæc secum Parmeno. — *victus uno verbo*. Propert. II, v, 13:

Quam facile irati verbo mutantur amantes.

— «Melius, opinor, *Labascit, victus, uno verbo, quam cito.*» *Bentl.* Sequitur Both.

179. *Misera*, ob talem dissimulationis exprobrationem. — *joco* vel etiam per jocum petendo. — *Ex joco* Guelf. 3. Faber notat a quibusdam *joco* mutari in *rogo*. — *Tandem*. Ut paucis absolvam.

180. *Perfeceris*, obtinueris.

181. *Hoc*, sc. *ut concedas*, etc. — *Biduum*, Guelf. 3 *Biduo*.

182. *Biduum ut concedas solum*. Ut velis mihi concedere duos dies, per quos abeis. Gall. interp. *Lemonnier* intelligit, *concedas, discedas, abeas*. — *Si quidem biduum*, sub. tantum petis, concedam.

183. *Verum ne*, etc. hæc præcedentibus junguntur, quasi dixisset *ea conditione, ut non*, etc. — *fiant isti viginti dies*. *Isti* per syllepsin et intellige quasi scriptum esset, ne *istud biduum fiat vig. dies*.

184. *Non plus biduum*. Usitata ellipsi subauditur *quam*, ut Plinius: «ne *plus tertia pars* eximatur mellis.» — Præterea supplendum est: rogo ut concedas. — *Aut?* hanc vocula excipit Phædria, qua metum exserit, ne porro sibi quid adversi illa enuntiet. *Perl.* — *nil moror*, amplius auscultando. Jam nihil amplius audire volo.

185. *Non fiet*. Respicit ad superiora, quasi dicat: Non fient viginti dies. — *Te exorem*, orando te flectam.

186. *Bene facis*, hæc verba Bentl. et Perlet. tribuunt Thaidi. Sic ita C. G. m. vulgo prænotatur *Phædriæ* nomen.

187. *Hoc biduum* subaudi *per* — *Ibi*. Both. legit *illi*.

188. *Certum 'st* mihi, i. e. decrevi. — *mos gerundu 'st*. M. ET. EM. *Morigerandum* West. Altera vox *est* abest ab editione Bothiana.

Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. PA. Maxume.
PH. In hoc biduum, Thais, vale. TH. Mi Phædria,
Et tu. Numquid vis aliud? PH. Egone? Quid velim?
Cum milite isto præsens, absens ut sies;
Dies noctesque me ames; me desideres;
Me somnies; me exspectes; de me cogites;
Me speres; me te oblectes; mecum tota sis;
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
TH. Me miseram! forsan hic parvam habeat mihi fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria.
Et quidquid hujus feci, causa virginis

189. *Huc* ad Thaidem. — *Illi*, ancilla et eunuchus. Both. *Tu deducantur huc fac illi*, et notat: « Guelf. 1, Guelf. 2, *deducantur* recte. *Parmeno* glossema esse versus arguit. » — *Maxume*, quam accuratissime *faciam*.

190. *Mi Phædria.* Both. *At, mi Phædria.*

191. *Et tu* sub. *vale.* Osculando valedicit. — *Numquid vis aliud*, formula discedendi ab aliquo; sic. Horat. Serm. II, IX, 6:

Quum assectaretur, *numquid vis*, occupo.....

— *Ego ne?* admisimus cum Bruns. signum interrogandi, quia inest aliqua emphasis.

192. *Præsens* corpore, *absens* animo.

193. *Dies noctesque.* Mutato ordine, numeros meliores fieri *Noctes diesque* censet Bentleius, et id præterea esse frequentius.

195. *Me speres.* I. et V. præmitt. *de* ut sit *de me speres; de me* etc. Variat ordoverborum. *Perl.* — *In me* Muret.

196. *Meus fac sis*, etc. Phædria captus amore, lento gradu sæpe respiciens cum Parmenone sequente mœstus abit. — Both. *Mea fac sis postremo omnis.*

197. *Habeat.* Ponitur in dubio subjunctivus. — *Parvam hab. Parum* Guy. quod et Gruterus defendit ad Plaut. Menæch. Prolog. 16. *West* Vett. edd. *forsitan hic parvam habeat mihi fidem.* Lege. *forsan parvam habeat mihi fidem. Bentl.* Both. *forsan parvam mi habeat hic fidem.*

198. *Ex aliarum* pellicum. Both. *aliarum ex ingeniis.*

199. *Mihi conscia.* Cic. Tusc. II, 4. « *Mihi conscius sum* me nunquam cupidum nimis fuisse vitæ. »

202. *Et quidquid . . . feci.* Hoc itidem ex stylo Terentii est, ut infra, 979. *Quidq. hujus* sc. rei, vel negotii; v. Perizon. ad Sanct. Min. II, IV, 4. Similit. Plaut. Merc. IV,

Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam repperisse, adolescentem adeo nobilem;
Et is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque exspectabo, dum venit.

III, 37: « Nihil hercle *istius quidquam* est. » —*fratrem*. Chremetem, fratrem virginis.

203. *Spero*, nove pro *credo* vel *confido*. *Don.* — *Propemodum*, ideo quia hominem quidem novit, sed fratrem virginis esse nondum omnino probavit.

204. *Adeo*, profecto.

205. Be. *se* ex trib. codd. id quod Terentii esse sibi id. persuadet. Sequitur Both. — *Venturum*, invitatum a Thaide; cf. infra 510. *Perl.* — *Constituit*, mecum statuit.

206. *Concedam*, abibo. — *Hinc intro* ex platea in domum meam. — *Venit*. I. et V. *Veniat*, non probatur. Vid. Andr. 716.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA. PARMENO.

PH. Fac, ita ut jussi, deducantur isti. PA. Faciam. PH. At diligenter.
PA. Fiet. PH. At mature. PA. Fiet. PH. Satine hoc mandatum 'st tibi? PA. Ah,
Rogitare? Quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria;
Quam hoc peribit! PH. Ego quoque una pereo, quod mihi est carius:

207. *Fac, ita ut jussi, deducantur isti.* Alii distinguunt: *Fac ita ut jussi; deducantur isti.*—*ut jussi.* Vid. sup. 189. — *deducantur* e mea domo ad Thaidem. — *isti*, eunuchus et et æthiopissa.

208. *Fiet.* M. et I. *Fiat.* — *Mandatum 'st tibi.* Both. legit simpliciter mandatum. Præterea hæc et seqq. sic legit:

. . . . . Ah, rogitare!
Utinam tam aliquid invenire facile possis, quam hoc peribit!
PHÆD. Ego quoque una pereo, quod mi est carius, ne istuc tam iniquo
Patiare animo. PA. Minume. Quin effectum dabo. Sed numquid me aliud?
PHÆD. Munus nostrum ornato verbis, quam pote, et istum pellito ab ea.
PARM. Memini . . . . .

209. *Rogitare.* Deest *vis*, vel *pergis.* — *difficile sit*, quod mandas.

210. *Tam* jungendum cum *facile.* — *aliquid invenire* sub. *boni*; i. e. lucri aliquid facere.

211. *Quam hoc peribit.* Quam facile et certo hoc perdes, et hic sumptus in emendis Thaidi mancipiis in vanum abibit. — *Quod mihi est carius.* Hæc refer ad *ego*, quasi construeretur, *ego*, *negotium*, *quod mihi* etc. Alii intelligunt: quod damnum mihi gravius est.

Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. Minime : quin effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris; et istum æmulum,
Quod poteris, ab ea pellito. PA. Ah,
Memini, tametsi nullus moneas. PH. Ego rus ibo, atque ibi manebo.
PA. Censeo. PH. Sed heus tu! PA. Quid vis? PH. Censen' posse me obfirmare,
Et perpeti, ne redeam interea? PA. Tene? Non hercle arbitror :
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adiget horsum insomnia.
PH. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.

212. *Istuc* damnum mancipiorum et pecuniæ. — *Ne istuc tam iniquo* etc. Hic versus sermonem ostendit non eum, qui solet esse heri ac servi, sed ut humanissimorum amicorum. Ergo non audiendus est Guyetus, qui versum hunc eliminet. *Perlet.* — *Effectum dabo;* cf. Andr. 704. — *Minime.* Neutiquam istud fero iniquo animo; Pereas sane, tu et tua munera, siquidem ita vis : Efficiam quod jubes. *Juv.*

214. *Munus ornato.* Muneris pretium verbis extolle. — *Quod*, secundum *quod*, quantum. — *Istum æmulum* militem.

215. *Quod.* Pall. *Quoad. Perl.*

216. *Memini* pro *meminissem.* — *Nullus moneas* pro *non moneres.*

217. *Censeo.* Sic faciendum arbitror. —*Heus tu!* hæc Phædria, dum redit in scenam, jam pæne egressus. —*Posse me obfirmare.* Deest alterum *me* propter quod viciniores fuissent duæ illæ voces. Sed ordo est: *Me posse obfirmare* me ipsum.

218. *Et*, rejiciunt in vs. 217 Bent. Bip. Both. — *Interea* per hoc biduum. — *Tene* sub. *posse censeo?*

219. *Jam*, statim. Vulg. *adigent.* De hac lectione Mu. ita : « *adiget* rectius legitur quam *adigent*, quod memini ex Adriano Turnebo, cui multa debeo, Lutetiæ in publica lectione audivisse. » Et Do. monet: Legitur et *adiget*, ut sit *insomnia* numeri singularis; gr. ἀϋπνία, vigilia. — Hic non de somniis, sed de vigilia agitur. *Insomniam* autem pro vigilia sæpe dixisse Pacuvium et Ennium, locuples testis est Servius. Domina *Dacier* « ou que ne pouvant dormir cette nuit, vous n'attendrez pas le jour pour en partir. » — *Horsum.* Huc versum.

220. *Opus faciam*, sub. rusticum

PA. Vigilabis lassus: hoc plus facies. PH. Ah, nihil dicis, Parmeno.
Ejiciunda hercle est mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? PA. Hui!
Universum tridum! Vide quid agas. PH. Stat sententia.

SCENA SECUNDA.

PARMENO.

PA. Di boni! Quid hoc morbi est! Adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eumdem esse? Hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.

— *usque*, indesinenter, ut ab amore distrahar. — *defatiger*, Don. West. *defetiger*. Sequitur Valpy. — *ingratiis*. Ita solent Terent. et Plaut. In lib. Bemb. *ingratis*. Codd. Be. *ingratus*. — *Ingratiis*. Ablativus adverbialiter positus. Aliquando adjungitur *tuis*, et dicitur *ingratiis tuis*.

221. *Hoc* sc. vigilare. — *plus* insuper præter laborem et defatigationem. — *nihil dicis*, i. e. quod dicis, nullius est momenti.

222. *Ejiciunda*. Duo Mss. Par. *eicienda*. Valp. *herele hæc est*. — *nimis me*. Pall. *mihi*; sic quoque Br. Guelf. 2. — *Me* sic Veteres, quod nos *mihi* dicimus. Alibi *te indulgebant*, *tibi dabant*. Don.

223. *Tandem non ego*. Both. *Tandem ne*. Guelf. 2. *Ne ut ego*. — *hui*, etc. Exclamatio servi irridentis. — *illa* sc. Thaide. Male interpretatur Perlet. qui pronomen hoc putat de *mollitie* dici.

224. *Universum* (Br. *Universum*) *triduum* etc. pergit amanti illudere. — *vide quid agas*. Sic dicitur magna aggredientibus. — *stat sententia*. Post hæc, Phædria discedit.

225. *Quid hoc morbi est?* pro, *Quis hic morbus est*. Amorem vocat morbum.

226. *Ex amore*, præ amore, propter amorem. — *Eumdem esse*. Nota *eumdem* ad *homines* referri. Nam more suo Terentius a plurali numero ad singularem se convertit. *Don.* — *hoc* sexto casu, sc. Phædria.

227. *Quisquam*. Glossa Br. est: « Vel *quidquam*. Certe, ait idem *quidquam* non convenit præcedenti

Sed quis est, qui huc pergit? At at, hic quidem est parasitus Gnatho
Militis: ducit secum una virginem dono huic: papæ,
Facie honesta! mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc Eunucho: hæc superat ipsam Thaidem.

SCENA TERTIA.

GNATHO. PARMENO.

G. Di immortales! homini homo quid præstat! Stulto intelligens
Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.

nemo. » *Nemo quisquam.* Nemo quicumque sit.—*Magis* abest a Guelf. 3. *mage* dat Both.

228. *At at.* Br. Bent. Z. Both. *attat.* — Sic Græcorum ἀττατᾶι, unde latinum defluxit. Bent. Est autem interjectio hominis de malo inopinato perturbati atque dolentis. — *Parasitus Gnatho*, hæ apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est, parasiti personæ et militis; sed de Colace translatæ sunt.

229. *Una.* Mss. Pall. *unam.* — *Dono huic.* Alii *huic dono.* — *huic* sc. Thaidi. — *virginem* de qua sermo fuit in scena ultima primi actus. — *Papæ.* Gr. παπαῖ. Est admirantis cum risu et indignatione in joco. *Perl.*

230. *Honesta*, i. e. pulchra. — *Me turpiter dabo. Turpiter se dare* ille dicitur, qui ludibrio et dedecori se exponit — *Hic.* Guy. dicit legendum *huic.* — *Dabo.* C. G. ch. invertit *dabo hic.* Perl.

231. *Decrepito.* h. e. sene, vetulo, quod eunuchi vultu similes sunt senibus. P. — *Hoc.* Simul indicat gestu locum ubi sunt duo mancipia quæ ad Thaidem Pamphilus deduci jussit. Both. *hoc* emittit.

232. *Di immortales.* Exsultantis exclamatio, quasi temporum perversorum. — *Homini homo quid præst.* Ph. 771. Itid. Liv. XXXI, 7: « dico, quantum vel *vir viro*, vel *gens genti præstat.* » — *Stulto* sc. etiam parasito. *Perl.* Punctum post *præstat* abjicit Both. et delet versum 232 tanquam a mala manu exortum.

233. *Quid interest!* Hoc *interest* We. absolute positum putat. Falso. Nam melius accipiamus cum *stulto* jungendum, sicuti A. Gell. III, 14. « *quid* dimidium dimidiato *interest.* » Signific. *interest* i. q. differt ab

Conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona :
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? « Quoniam miser, quod habui, perdidi. Hem,
Quo redactus sum! Omnes noti me atque amici deserunt. »
Hic ego illum contempsi præ me; quid homo, inquam, ignavissime?

stulto. v. Sanct. Min. — *Quid*, quantum. — *Adeo*, porro, autem. — *Ex ea re*, hac nimirum quæ sequitur narrata.

234. *Conveni hod. adv.* Explic. Nonius: obviam fio. Andr. 369. — *Loci atque ordinis.* Quid sit unum et alterum, parum constare putat Donatus, sed proprie definit Eugraph.: *mei loci* pauperem vult denotari; *ordinis*, parasitum. — *Hinc*, ex hac urbe. Sic Andr. 836.

235. *Haud impurum.* Refertur non ad vestitum, sed ad ingenium. Heaut. 629. Adelph. 184, 282. Intellige non sordidum, non avarum. Liberaliter educati, sæpe balnea, præsertim calida adibant, nitoris et elegantiæ causa; avari autem minime. Aristophanes, in Pluto comœdia. — *Itidem*, eodem quo ego ipse modo. *Far.* — *Abligurierat.* In E. P. *obligurierat.* Be. Par. per duo *r*, *abligurrierat.* Mss. et edd. vett. *obliguerat.* — Intellige : per luxum et popinationem devoraverat. *Ligurire* est lautiores cibos carpere, λιχνεύω, græce, a λείχω, lambo, *lingo*.

236. *Sentum*, horridum et incultum; qualia sunt loca vepribus et spinis obsita. Virg. Æn. VI. 462. — *Pannis annisque obsitum.* Heaut. 294. Et Plaut. Men. V, II, 4. « *Consitus* sum senectute. » *Panni* proprie sunt centones. Petron. XIV, 7. — *Pannis annisque.* Paronomasia, quæ parasitumet ideo cavillatorem decet.

237. *Ornati*, antique pro *ornatus*. Andr. 366. Hac voce utitur ironice. — *Quod habui, perdidi.* « Non dixit, id quod erat, comedi aut consumpsi. » Do. — *Hem, Quo redactus sum.* « Vel habitum suum, vel corpus ostendens hoc dicit. » Do. Nota hæc illum respondere qui obviam factus est Gnathoni.

238. *Noti*, active, qui me norunt. Phæd. I, XI, 2. — *Omnes noti atque amici deserunt.* Sententiose ac mordaciter in mores. *Don.* — *Quod habui*, bona mea. Verba sunt illius quem Gnatho convenerat. — *Hem*, Codex unus *es*, Both. *En* ex Bent. — *Quo* supple, miseriæ.

239. *Hic ego illum* etc. Hoc est, præ me illum considerans miserum dixi. *Eugraphius.*

Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te esset tibi?
Simul consilium cum re amisti? Viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo. Nihil quum est, nihil deficit tamen.
« At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati Possum. » Quid? Tu his rebus credis fieri? Tota erras via.

240. *Itan'...esset.* Sic. Z. sed Bent. *Sit* cum Bothio, qui *ut* ponit post *spes nulla*. — *Itan' parasti te* etc. itane, vitæ tuæ instituto, animum composuisti ut in te ipso, in propria ope, remedium afflictis rebus invenire non potueris.

241. *Consilium*, mentem. — *Cum re*, cum fortunis. Huic simile est Ovid. Pont. IV, XII, 47:

Crede mihi: miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumque fugit. *Perl.*

— *Loco*, conditione, fortuna.

242. *Qui color* etc. Guyeti audaciam, legentis *nitor vestitus, habitudoque corporis*, reprehendit West. Legendum jubet Bentl. *Qui color, qui nitor vestitus, quæ habitudo est corporis.* Scire vellem, respondit Perletus, unde vestitui, quo nigro ac pullo incedere parasitos vir doctus ipse fatetur, nitor veniret. Cave, ait Bip. cum Bentl. conjungas *nitor vestitus*. Notat Bothius: « Male interpungitur post *color* et *nitor*. Ad vestitum spectare color et nitor pulchre vidit Bent. sed minus advertit ὑφ' ἓν intelligenda esse hæc ut *color*, *nitor* idem valeat ac color nitidus. Quare non probo Angli elegantissimi conjecturam; *qui color, qui nitor*, licet sic plane legatur in C. » Interrogat Zeun. post *vestitus*, ut post *corporis*. Sic et alii. — Hoc contra illud: *video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. Color* ergo ad *sentum*, *nitor* ad *squalidum*, *vestitus* ad *pannis obsitum*, *habitusque corporis* ad *annis obsitum* et *ægrum*.

243. *Omnia habeo, neque quidquam habeo.* Nihil mihi deest, etsi nihil habeam. Nihil mihi fortuna dedit, omnia industria. Libanius Lect. XI, in Parasito: ἁπλούστευον οὐδὲν κεκτημένος, ἱτρύφων οὐδὲν ἀναλίσκων. — *Nihil.* I. *mihi.* — *Deficit.* Guelf. 2. *defit.* alii *desit.*

244. *At ego*, etc. Voces alterius. — *Ridiculus* is est, qui se propinandum et deridendum aliis præbeat. — *Neque plagas pati*, ut solent parasiti, quos Plautus vocat *plagipatidas.* Capt. I, I, 20.

245. *Quid?* Sic Be. cum We. interrogat bene. Par. *quid tu* cum sqq. continuat. — *His rebus.* Per convicia et plagas. Ita dicit, ne repetat odiose, *ridiculum esse et plagas pati.* — *Fieri*, ut sim adeo felix. — *Tota erras via.* Locutio græca, Aristoph. Plut. 162, proprie, ἡ τῆς ὁδοῦ τοπαράπαν ἡμαρτήκαμεν. Huic confine proverb. est: « toto cœlo

Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius;
Hoc novum est aucupium : ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt; hos consector; hisce ego non paro me, ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.
Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis? Nego; ait? Aio. Postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multo uberrimus.

errare. » Erasm. Adag. p. 57. *Perl.*

246. *Olim . . . quondam.* Synonyma sunt, et est pleonasmus, ut *nunc jam* And. 415. Hæc comice dicta; quo diligentius, opinor, generi parasitorum velut antiquato novum suum opponeret. — *Fuit quæstus.* Ex his rebus fuit modus victum quærendi. — *Seclum.* Ita in C. G. m. contracte; sed sup. script. *seculum.* — *Prius*, proxime elapsum.

247. *Hoc* quod dicturus est. — *Novum* opponitur priori quæstus generi, qui seculo tantum priori vigebat. — *Aucupium.* Metaphora ducta ab insidiis quæ avibus struuntur: ut enim aves esca, ita laudibus stulti capiuntur. — *Adeo.* Imo.

248. *Rerum* pro *hominum.* Sic *rem* ad hominem refert Senec. ep. 95: «Homo sacra *res.* »Eodem modo dicunt poetæ nonnunquam : pulcherrima *rerum*, pro, pulcherrimus *hominum.* Vid. Gronov. observatt. *Perlet.*

249. *Paro me ut rideant.* Præbeo me deridendum.

250. *Eis.* Hoc Be. quod est dissyllab. ut *dies* Vulg. *His.* — *Ultro.* Ego prior, antequam de me rideant. — *Arrideo.* Risu assentior. Add. Petron. Sat. 135. — *Simul.* Ridendo.

251. *Quidquid dicunt*, etc. Hunc versum delet Both. Dat Br. *Laudo. Id quoque negat*, etc. — *Id rursum*, sc. quod contenderant.—*Id quoque*, sc. quod afferunt contrarium priori affirmationi; et ideo hæc duo *id* inter se differunt, ut negatum differt ab affirmato.

252. *Negat quis, nego; ait, aio.* Hanc verborum antiphrasin per interrogat. We. Be. Bo. exprim. incommode. Non ita Fa. Erasm. Par. Mu. Citat Cicero in Læl. 25, unde est magis mirum, hunc versum Guyeto spurium videri. *Perl.* — *Quis* pro *aliquis.*

253. *In quæstus.* Br. *His quæst.* — *Multo uberrimus.* Sæpe etiam ante superlativos ponuntur adverbia quæ vulgo comparativis junguntur. Cic. *multo mihi jucundissimus.* Pompon. JC. *Oratio satis pulcherrima.* —

PA. Scitum hercle hominem! Hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
GN. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus;
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes,
Quibus et re salva et perdita profueram, et prosum sæpe.
Salutant, ad cœnam vocant, adventum gratulantur.

Quæstus. Menand. Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων. Hoc modo Petron. Sat. III, §. 3.

254. *Scitum.* Argutum et ingeniosum; εἰρωνεία. — *Ex stultis insanos.* Ex homine cui deerit judicium, et mens bene sana, faciet adulando hominem quem mens ipsa omnino deseret. — *Facit.* Faber legit fidenter *faxit*, i. e. *fecerit*, seu, *facere possit.* — *Prorsum* referri debet ad *insanos.* Hæc dicit seorsum Parmeno, nec interrupto Gnathonis soliloquio.

255. *Interea loci.* Ea vox *loci* abundat; idemque est ac *interea temporis.* Juv. — *Macellum* a *mactandis* pecoribus dictum. *Juv.* Hic est locus ubi carnes et omne obsoniorum genus veneunt. Vid. Sueton. Cæsar. 26, ibique Casaubon. *Perl.* — *Advenimus.* Pro hoc verbo legitur in quibusdam exemplaribus *adventamus*, quod glossema est. *Fab.*

256. *Cupedinarii.* Qui esculenta et poculenta vendunt. Sic dicti a τῷ *cupedia*, quo nomine Veteres lautiores cibos nominabant: inde et macellum, fórum *cupedinis* appellabant. *Cupedia* autem a *cupiditate* sunt dicta. Vel (ut Varro vult), quod ibi fuerit *Cupedinis* equitis domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus. — Br. *Cuppedinarii*, et *cupedenarii* in nota marginali. Bent. ut analogia consulatur, legit *cuppediarii*, quum a *cuppediis* originem habeat. Z. — *Omnes.* Vocem hanc delent aliquot libri scripti.

257. *Cetarii.* Qui *cete*, i. e. magnos pisces venditant, et bolonas exercent. *Don.* — *Lanii*, qui *laniant* pecora. — *Fartores.* H. e. qui aves farciunt et saginant; vid. Columella de R. R. VIII, 7. — *Piscatores.* Inter hos et *cetarios* id interest, quod illi vivos, hi muriaticos pisces et salsamenta fere venderent. *West.* — *Aucupes*, avium captatores. Vocem hanc nec Donatus habet, nec libri Bemb. nec Cicero denique hunc versum citans, de Officiis, I, 41. Habent autem, teste Par., Pal. MSS. omnes. *Perl.* Præterea omittunt *aucupes* Br. Z. Bip. Both. — Huc alludere videtur Hor. Sat. II, III, 126 sqq.

258. *Re salva et perdita profueram, et prosum sæpe.* Ita restitue hæc: *Quib. et re salva profueram sæpe*, i. e. quum de meo impenderem, antequam bona patria dilapidassem: *et perdita prosum* quum de alieno nanciscor et expendo. D.

259. *Ad cœnam vocant*, priusquam *adventum gratulentur.* Non

Ille ubi miser famelicus videt me esse tanto honore, et
Tam facile victum quærere; ibi homo cœpit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me: sectari jussi;
Si potis est, tanquam philosophorum habent discipuli ex ipsis
Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.
Pa. Viden', otium et cibus quid facit alienus? G. Sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnam ut veniat?
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,

mirum, quippe quum cœna prima omnium cura sit parasito edaci. *Perl.* — *Gratulantur adventum.* MS. Mark. apud We. adjicit *meum.*

260. *Videt me esse tanto honore; et.* Sic Bent. Perl. Invenit Fa. *Me tanto honore.* Sic dant Z. Both. Alii, Junt. St. Fabrini, *esse in tantum honorem.* Vulg. *Me esse in tanto honore.* — *Et.* Particulam hanc in hoc versu reposuimus, cum Perl. Bent. Bip. Both. Sed incipit versum 261, apud Zeun. et Valpy.

261. *Victum quærere.* Obtinere. — *Ibi* pro *tunc.*

262. *Id*, sc. Facile victum quærere.—*De me.* Omittit Bruns. et notat: «Edit. add. *de me.* Quod additur, glossa est in MS. nostro.» Dat idem cod. *consectari* pro *sectari*..... —*Sectari.* Subaudi *me*, et intellige: «Discipulum et sectatorem fieri.»

263. *Si potis est.* Fa. notat quosdam legere *si pote.* Guyetus τὸ *potis* insititium vocat, et legit, *si est.* Hoc *potis* omnis generis est, et hic neutraliter accipitur. Intellige: «Experturus utrum fieri possit, ut parasiti, etc.» — *Philosophorum.* Par. *Philosophum* per syncopen. — *Discipuli.* Sic Be. ex uno Reg. Legebat Do. *Disciplinæ.* In l. Bemb. *disciplinam.* — *Ex ipsis* philosophis.

264. *Vocabula*, nomina. Ut *Socratici* a *Socrate*, *Platonici* a *Platone.* — *Item*, quoque, pariter. Br. *Itidem.* Ald. *Ita.* — *Ut* refer ad *potis est*, supra. — His fere similia expressit Molière, *L'Étourdi*, act. II, sc. XI: *Et qu'au bas du portrait on mette en lettres d'or:* Vivat Mascarillus, *fourbum imperator.*

265. *Viden'*. Both. *Vide.*—*Otium.* Be. Sic legit pro *ossum* vulg. Gifan. in Ind. Lucretii legit *os suum.* — *Cibus quid.* Both. *Quid cibus.* — *Facit.* Donat. etiam leg. affirmat *facit.* Sic Br. Bent. Perl. Both. Sed Valp. Z. *Faciat.* — *Cibus alienus.* Mensæ alienæ consuetudo.—*Sed ego cesso.* Hæc sunt commonentis se ipsum. Adelph. 588, Phorm. 267.

266. *Hanc.* «Æthiopissam.» Referendum est ad locum sup. vs. 229. — *Rogitare.* Omnes nostri *rogare.* *Bent.* Sequitur Both. — *Ad cœnam*, a Thrasone oblatam.

267. *Thaidis.* Alii, ex quibus Both.

Rivalis servum. Salva res est : nimirum hice homines frigent :
Nebulonem hunc certum 'st ludere. PA. Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem esse. G. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho. Quid agitur? PA. Statur. G. Video.

meretricis. Sunt qui legant *Thaeidis;* alii *mulieris.* Post *Thaidis* in nonnullis legitur *ego.* Bentl. vult tolli *Thaidis,* et legi *opperiri.*—Bip. malit *contractum tristem.* Guelf. 2. *Tristem stare video.* — *Parmenonem tristem video.* Est autem Parmeno callidus, et osor meretricum, qui nomen inde habet, quod sedulo adsit domino suo. Vide Tabulam personarum.

268. *Rivalis.* Nostri, sc. Thrasonis, et intellige *Phædriæ.*—*Salva res.* Conjectura a signis; servus rivalis non est intro, sed ante ostium. Igitur est exclusus, res nostra extra periculum est. Bent. contendit perperam addi *est.* Delet Both. — *Hice.* Sic Both. Perl. Omittunt Br. Z. — *Hice homines.* Phædria et servus. — *Frigent,* « parum gratia valent apud Thaidem, non proficiunt. « Metaphora est sumpta ab his qui manibus ex frigore stupidis, nihil operari possunt. Ed. D.

269. *Nebulonem hunc.* Facete et derisorie loquitur de servo. *Nebulo* autem proprie est fur, quoniam fures *nebula* sæpe utuntur; vel ut alii volunt, est homo mollis, vel inanis et vanus, ut *nebula* est. — *Certum 'st* mihi. — *Ludere,* Br. *eludere.* — *Hice.* Thraso, et Gnatho Thrasonis parasitus. In edd. vett. et Br. *Isce.* Donat. *Hisce.* — *Hoc munere* virginis, quam ad Thaidem a Thrasone Gnatho donum adducit. — *Arbitrantur.* Non immerito dicit *arbitrantur,* et Gnathonem irridet Parmeno, qui penitus noverit meretricis consilium.

270. *Suam esse,* sibi acquisitam esse. — *Plurima salute.* Plurimam dicit ei salutem, quem una et ea quidem exigua vix dignatur.

271. *Summum suum.* Sc. *Amicum.* Modo enim adponitur, modo tollitur. Cf. præsertim, Adelph. vs. 353, ubi, planius etiam quam hic, liquet subaudi *amicus.*

« Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume. »

— *Impertit,* donat. Invenitur eadem constructio, Adelph. 321 :

... sed casso heram malo impertiri.

Dicitur quoque : *impertire alicui de aliqua re,* Cic. Off. II, 54; et *imp. aliquid alicui,* Cic. Verr. IV, 51 et 84. — Antiqui libri *impartit.* — Hæc tota locutio parasiticæ elegantiæ et simul εἰρωνείας plena est. *Don.* — *Quid agitur.* Pro, *quid agis.* — *Statur,* sto. Illudit Parmeno; et in eo scomma est, quod quum verba Thrasonis ambiguum sensum præbeant, seu, *quomodo vales,* seu *quid facis,* postremum hunc accipiat servus, quam vis Gnatho in animo priorem habuerit. Respondet ergo: Nihil aliud ago, nisi quod sto. — *Video.* Confirmat hoc præcedentem

Num quidnam hic quod nolis vides? PA. Te. G. Credo; at num quid aliud?
PA. Quidum? G. Quia tristi's. PA. Nil quidem. G. Ne sis. Sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? PA. Non malum hercle. G. Uro hominem. PA. Ut falsus animi est!
GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? PA. Hoc nunc dicis 275

interpretationem. Facetissime, et eumdem fere ad modum MOLIÈRE, *le Bourgeois gentilhomme*, act. III, sc. V: DORANTE. *Comment se porte mademoiselle votre fille.* Mad. JOURDAIN: *Elle se porte sur ses deux jambes.*

272. *Num.* Ien. c. *Nunc.* Contrahunt *Numquidnam* Both. Zeun. Valp. — *Hic.* Sic lib. antiq. Non est in Bemb. Both. Valp. Zeun. — *Quod nolis* sub. videre. Hoc dicit Gnatho, ad virginem alludens, quam secum ducit. — *Te*, amara propter ipsam brevitatem responsio. — *Credo.* Hoc convicium præterit leviter, et quasi transitorie, ut ad ea adveniat, quæ bilem Parmenoni movere credit. — *Num quid aliud* vides, quod nolis.

273. *Quidum.* Quare igitur, et subaudi, *hoc quæris.* Legit Bip. *Quid dum* et Guelf. 2. *Quiddam.* — *Nil* pro *non.* — Zeun. et Valp. *Nihil equidem.* — *Ne sis.* Sub. *tristis.* Dum Gnatho, quasi miserans, hortatur ironice Parmenonem, ne tristis sit, reipsa gestit extorquere ab eo nutum quemdam, et indicium animi ægre ferentis Thrasonem Phædriæ anteponi. — *Quid*, quale, qua forma.

274. *Mancipium.* Sic vocat virginem, quam secum ducit. *Mancipia* sunt et servi et servæ in bello quasi *manu capti.* — *Non malum*, non mala forma. — *Uro hominem*, « ango, crucio, maligne interrogando. » Quæ nobis molestiam parant, *urere* dicuntur. — Hæc seorsum quidem dicit Gnatho, et fere submissa voce, sed cum gestu derisorio, quo Parmenoni illudat. — *Ut falsus animi est.* Similiter et Parmeno secum gestu servili: « Quanto in errore versatur, quum putat Thaidem hoc munere capiendam esse. » — *Falsus est*, de hac locutione, conf. And. 648. — *Animi*, more Græcorum, pro *animo*, quod habet MS. Lips. Conf. Liv. VI, 10, ibique interpretes. Sic Virgil. Georg. III, 498; Æneid. IV, 529. *Perl.* — *Est.* Both. Perlet. Legunt *es*, quod rejecimus, quia magis comicum est hæc seorsum dici.

275, 276. *Hoc munus.* C. G. m. *munus hoc arbitraris* sup. scriptum. *Perl.* — *Arbitrare esse.* Maligne interrogare pergit parasitus. — *Hoc*, subauditur *munere.* « Propter hoc munus. » — *Dicis*, innuis, significas. Bentl. notat suos omnes codd. habere *dices.* — *Omnium rerum*, etc. Quasi diceret, ut antea nos placuimus, sic nunc Gnathoni favet Thais. Vicissitudo, est per *vices* mutatio, alternatio. Fertur in eam sententiam versiculus: τὰ ὄντα πάντα

Ejectos hinc nos : omnium rerum, heus, vicissitudo est.
Gn. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam;
Ne sursum deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? Pa. Men'? Papæ! G. Sic soleo amicos. Pa. Laudo.
Gn. Detineo te : fortasse tu profectus alio fueras.
Pa. Nusquam. G. Tum tu igitur paululum da mi operæ: fac ut admittar

μεταβολὰς πολλὰς ἔχει. Mortalia omnia multas habent mutationes. Celebratur et hoc dictum : Κύκλος τὰ ἀνθρώπινα.

277. *Sex totos hos menses.* Familiare Terentio *sex menses* dicere notat Eugraphius pro *sex mensibus*. — *Hos*, qui ex hoc tempore effluent. — *Quietum reddam.* Facete simulat se Parmenoni tanquam amico consulere, dum ei illudere studet.

278. *Ne sursum deorsum cursites* videtur illudere ad situm Athenarum quæ in declivi colle exstructæ erant, et quas sæpius percurrisset Parmeno, dum frequenter ad Thaidem jussu Phædriæ venisset. — *Sursum deorsum.* Cf. Adelph. 575; similiter geminatur *rursum vorsum* Plaut. Amph. V, I, 60. Menander, citante Plutarcho, in libro περὶ εὐθυμίας, scripsit : οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω. — *Usque ad lucem vigiles.* Est quasi diceret Gnatho : faciam ut non jam totam noctem ante Thaidis ostium frigeas, herili jussu.

279. *Ecquid.* Br. legit *et quid* et idem *papa. Ecquid* sum itur pro *nonne*, ut jam indicavimus supra Andr. v. 872. — *Beo te.* (Guelf. 3, *beare*). Nempe *beare*, se putat Parmenonem si Gnathonicum sibi reddat eum discipulum. *Perl.* — *Sic soleo amicos* sub. *beare.* — *Laudo*, bene dicis, benigne dicis. Est imitatio comica parasiti item *laudo* dicentis supra, v. 251. Bothius non admittit malignam hanc imitationem, et credit recidere hanc vocem inter has formulas, quibus colloquium aut frigidum aut molestum nunc tepide approbamus, nunc finimus cum gratia; Græcorum more, qui similiter, καλῶς, κάλλιστα, ἐπαινῶ, aliaque ejusmodi usurpare solent.

280. *Detineo te : fortasse*, etc. Hanc vocem *fortasse* prioribus an posterioribus jungendum sit, incertum. West. rectius illud, hoc Par. existimet. Ego sequor Pareum *Perl.* Sic nos. Hæc indicant Parmenonem abire voluisse. — *Tu profectus.* Impressi veteres *profecturus*. Sic leg. interpres gallicus *Lemonnier*. Vult exprimere confessionem quod ad Thaidem venerit, sed intrare non possit. *Donat.* — *Fueras* pro *eras*. Itidem Cic. de Or. 1, 7. Post hæc C. G. m. addit in textu *si te non detinuissem.* Itid. MS. 1. Par. Sed glossema olet. *Perl.*

281. *Tum.* Quum ita sit, ut nusquam ire cogaris. — *Paululum* Alii dant *paulum.* — *Da mihi operæ.*

Ad illam. PA. Age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
G. Num quem evocari hinc vis foras? PA. Sine biduum hoc præterent:
Qui mihi nunc uno digitulo forem aperis fortunatus,
Næ tu istanc, faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.
G. Etiamne tu hic stas, Parmeno? Eho! Numnam hic relictu's custos?
Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam curset.

Hoc quasi supplicantis vultu ad irrisionem dicitur. *Donat.* — Proprie dicitur *operam dare* pro *adjuvare*. Sic Adelph. 532: *His ceopera ut data sit.* — *Fac ut admittar.* Bothius delet *ad illam*, quæ, ut ait, versum sequentem onerant.

282. *Nunc tibi hæ patent fores.* Bentleius, ut metro consulatur, legit *patet foris hæc.* — *Hæ*, δειχτικῶς, domo Thaidis monstrata. — *Istam.* Bothius *illam*. Sub. *servam.* — *Istam ducis:* hoc quasi ad Gnathonem, sed lente, ac sub lingua murmurat. *Donat.*

283. *Num* (Guelf. 3, *nunc*) *quem*, etc. Hæc dicit Gnatho, limen Thaidis jamjam transiturus. — *Hinc*, ex domo Thaidis. — *Foras.* Ab te in plateam. His dictis, virginem intro abducit Gnatho; sed statim redit, et irridet Parmenonem, qui in ædes intrare non poterat. — *Sine biduum*, etc. Stomachose loquitur Parmeno et secum ea quibus se ipsum firmet adversus parasiti protervitatem. Sed hæc, et quæ sequuntur submisse pronuntiat, ne prodantur secreta.

284. *Digitulo.* C. G. m. *Digito.* — *forem.* Vulgo *fores.* Plauto, Ciceroni et Livio in usu est dicere *foris*, *forem*, *fore*. — *Mihi* abundat ornatus causa, ut jam vidimus. — *Uno digitulo*, id est, facillime. Sic Plaut. Rud. III, IV, 15. — *Fortunatus*, ut ipse videris tibi.

285. *Isthanc.* Sic Perletus ex Bent. ob *forem*, recte. Vulgo *istas*, sc. fores. Alii, *istam*. — *Faxo* pro *fecero*, ad id operam dabo. — *Calcibus.* Pedum validis ictibus. Et est antithesis: nam neque *uno digitulo* minus aliquid dici potest, nec *calcibus insultabis* aut amplius aut ingentius. Similiter Horat. epod. XV, 17: «At tu quicumque es felicior, atque meo nunc Superbus incedis malo; Eheu translatos alio mœrebis amores; Ast ego vicissim risero.» *Bœclerus.*

286. *Etiam ne tu.* Hæc Gnatho a Thaide rediens. Rivius, *etiam nunc tu.* Faber tollit *tu.* Both. legit, *eho, etiam tu hic stas, Parmeno? numnam*, etc. — *Etiam*, adhuc — *Relictus* et appositus ab hero. — *Custos* explorator. Vide Sueton. Cæs. 43.

287. *Internuntius.* Internuntii esse solent amantium. Ovid. Am. III, XVI, 13: «Cur toties video mitti recipique tabellas» et Tibull., II, VI, 45, 46. Vult Donatus ex his verbis intelligi, parasitum a domo meretricis egredi. — *Curset.* Sic Perletus

PA. Facete dictum! Mira vero militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, quid ex Piræo abierit: nam ibi custos publice est nunc.
Non temere est; et properans venit. Nescio quid circumspectat.

SCENA QUARTA.

CHÆREA. PARMENO.

CH. Occidi!
Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.
Ubi quæram? Ubi investigem? Quem perconter? Qua insistam via?

et Both. post Bentleium; vulgo, *cursitet*. Hæc ironice dicta: quasi nemo a milite ad Thaidem, nisi clam, ire audeat.

288. *Facete dictum*. Εἰρωνικῶς, quia inficete. *Don.* Hoc Parmeno abeunti dicit. Nimis arguta est crisis Guyeti legentis: PA. *Facete*. GN. *Dictum*. We. — *Militi. Tuo Thrasoni*, quippe qui pariter ac tu inficetus est atque insulsus. — *Mira vero*, etc. Mira sunt quæ dicis, et ejusmodi ut placeant militi Thrasoni.

289. *Video*. Donat. *Videon'?* — *Heril. fil. min.* et ideo Phædriæ fratrem. — *Advenire*. I. et V. *adventare*.

290. *Quid*, cur. — *Piræo*. Variat scriptura inter hanc lectionem et *Piræeo*. Itid. Gr. Πειραιυὺς et Πειραιεῦς. Sed J. F. Heusinger ad Cic. de officiis, III, 11, priscos ait nomen illud tribus syllabis plerumque extulisse. Cæterum Piræus erat portus Athenarum quadringentarum capax navium, muro duorum millium passuum urbi conjunctus. Hodie vulgo *Porto-Lione*. Locum hunc aptum fuisse ad voluptatem indicant versus 539 sqq. infra. — *Custos publ. est nunc*. Excubabat scilicet in portu Piræo juventus Attica quæ ex ephebis excesserat, adversus prædonum incursus, postquam per biennium in ipsa urbe excubuisset. — *Publice*, id est, publica auctoritate.

291. *Non temere est*. Sub. *factum ut abierit*. — *Temere*. Sine causa graviori. — *Circumspectat*. MS. Par. *Circumspectet*. Perl. Præparatio est ad scenam sequentem.

292. *Occidi*. Hanc vocem a librariis esse Guyetus judicat. Hæc Chærea, non viso Parmenone. — *Ego*. Sub. *Sum usquam*, id est, *perii*, ubi sim nescio.

294. *Via*. Sic Bent. ex Donato;

Incertus sum. Una hæc spes est : ubi ubi est, diu celari non potest.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Tædet quotidianarum harum formarum. PA. Ecce autem alterum.
Nescio quid de amore loquitur. O infortunatum senem!
Hic vero est, qui si occeperit,
Ludum jocumque dicas fuisse illum alterum,

vulgo, *quam viam*. Scilicet verbum *insistere* invenitur etiam cum accusativo. Virg. Æn. VI, 563.

295. *Incertus*. Vult Govean. *certus;* et interrogat in versu 294 post *via*. — *Una hæc spes est*, quam statim explicat. — *Ubi ubi est*, ubicumque sit. — *Diu celari non potest*. Donatus suspicatur intelligendum, *ob nimiam formæ gratiam*.

296. *Faciem*. Modo non partem corporis dicit, sed totam corporis exteriorem formam. Phorm. 100.

297. *Quotidianarum harum*. Erasm. invertit *har. quotid.* ex lib. antiq. Script. We. *Cotid.* Par. *cottid.* — *Quotidianarum*, i. e. vulgarium. Estque fastidium in ipsa Chæreæ pronuntiatione, et in repetito earumdem syllabarum usu. Contrarium *nova figura oris* vs. 317. — *Harum*. De quibus hic loquatur, explicant vs. 313 sqq. — *Ecce autem*. Sic in rebus inopinatis solent. Adelph. 771, Phorm. 246. Virg. Æneid. II, 203. — *Alterum* fratrem; et alludit ad amores Phædriæ.

298. *Nescio quid de amore loquitur*. Gallici interpretes transponunt *De am. nesc. q. loquitur*. — *Nescio quid*. Formula vel contemnentis, vel ignorantis : et est ibi ignorantis, qua jamdudum incomposita juveni, propter desperationem, excidunt verba. — *Infortunatum*. C. G. m. habet *in fortunatum*. Perletus legit *fortunatum*, quod rejecimus. Nempe hac lectione recepta, alludi videretur ad catastrophen fabulæ, ubi senex feliciter nuptias componet, vide infra 990 sq. et 1038. Sed nimis grammaticalis est interpretatio hæc Donati, quam postulat lectio *fortunatum;* nec enim conveniret consuetudini comicæ, si Parmeno præsagiret jam ab initio fabulæ eventum. Hoc, ut ait Bæclerus, vult Parmeno dicere, *o infortunatum senem*, Lachetem, cujus alter filius Phædria pridem amore meretricis deperit, alter Chærea nunc videtur jam ipse ex amore insanire.

299, 300. *Si occeperit*. Guelf. 2. *Si amare occeperit*. Sed Priscian. lib. XIV, hunc locum citans, non ponit verbum *amare*, quod ne in Bemb. quidem est. — *Dicas*. Sic Be. Bo. vulgo *dices*. L. Bemb. et Zeun. *dicet* sc. *senex*. — Westerhov. Zeun. ex tribus 299, 300, 301, quos post Perletum retinuimus, duos tantum efficiunt : alterum : *Hic vero est... jocumque dices* vel (*dicet, dicas*); posteriorem *Fuisse illum..... dabit*,

Præut hujus rabies quæ dabit.

CH. Ut illum Dî Deæque omnes senium perdant, qui hodie me remoratus sit;

Meque adeo, qui restiterim, tum autem, qui illum flocci fecerim.

Sed eccum Parmenonem! Salve. PA. Quid tu es tristis? Quidve es alacris?

Unde is? CH. Egone? Nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam, 305

Duos quoque tantum versus Bothius admittit, inverso posterioris ordine quem sic legit : *Præut hujus rabies quæ dabit illum alterum fuisse. — Hic vero est, qui si occeperit;* talis est, ut, si occeperit amare, — *Ludum jocumque:* dicitur pro re abjecta ac parvi pretii, quæ merito contemni ac ludibrio haberi possit. Catull. Epigr. de Acme, « *Jocum* me putat *esse* mœcha turpis. » Tit. Liv. lib. XXVIII, cap. 42 : « *Ludus et jocus fuisse* Hispaniæ tuæ videbuntur. » — *Præut*, etc. Vocula comparationi inserviens. Intellige : « *Præ eo, ut* erunt illa, *quæ*, etc. i. e. præ illis quæ hujus furor admittet flagitiis. »

302. *Illum.* Both. *illunc. Dî Deæque omnes.* Pareus, Zeun. Valp. rejiciunt *omnes.* — *Senium*, a Donato est. *Senem* codd. Be. — *Hodie me.* Regius, Valp. Zeun. *me hodie.* — *Remoratus sit.* Bentl. sic pro vulg. *Remor. est.* Recte, nam sequuntur etiam subjunctivi, *restiterim, fecerim.* Perlet. — *Ut*, pro *Utinam.* — *Dii Deæque omnes.* Vocibus, *Deæque omnes*, adjectis gravius imprecari videntur, quam solo posito *Dii* : itid. Liv. III, XVII. — *Senium, qui.* Enallage generis, sæpe sæpius notatum. *Senium* autem pro *sene*, et ad convicium refertur. Sic Lucilius ait : « At quidem te, *senium*, atque insulse sophista. »

303. *Adeo*, etiam. — *Qui illum*, etc. Guyetus legit : *Haudque illum flocci.* Bip. putat legendum *quin illum* pro *qui illum.* Alii, ex quibus Br. *non flocci f.* — *Tum autem*, pro *et.* Duas vult enim causas esse, cur se ipsum Dî perdant : unam, quod restiterit; alteram, quod senem perveritus, diu remanserit a persequenda virgine. — *Flocci fecerim.* « Qui illum vel tantilli fecerim, ut cum illo manerem. » Est autem *floccus*, lanæ particula, quæ inutilis a vellere evellitur atque evolat.

304. *Sed eccum*, etc. Hæc Guyetus expungit, substituens : *Sed eccum Parmenonem : salve.* PA. *Salve tu : Quid tristis es?* — *Quidve es alacris.* MS. Lips. alter, *Quidve alacris.* Turnebus mallet, *Quidne es alacris*, sc. non credens *tristis*, et *alacris* simul stare posse. Est vero *alacris* hoc loco, qui totus in gestibus et motu est, propter desperationem ipsam. *West.* — Minus recte Juvencius explicat : « Cur modo lætitiam, modo tristitiam vultu præfers. »

305. *Is*, venis. — *Egone* abest a Guelf. 2, qui dat *quorsum vadam.* —

Ita prorsum oblitus sum mei!

PA. Quî, quæso? CH. Amo. PA. Hem! CH. Nunc, Parmeno, te ostendes, qui vir sies.

Scis te mihi sæpe pollicitum esse: «Chærea, aliquid inveni
Modo, quod ames: utilitatem in ea re faciam ut cognoscas meam.»

Quum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.

PA. Age, inepte! CH. Hoc hercle factum est: fac sis nunc promissa appareant.

Nescio. C. G. m. *ego nescio.*—*Quorsum*, h. e. quo versum.

306. *Ita*, dicitur per epiphonema. —*Prorsum*, omnino. Br. Bip. *Prorsus.* Both. *Ita oblitus prorsus mei sum.*

307. *Quî*, quare. — *Hem.* Exclamatio fere irridentis, potius quam mirantis. Bip. dat *Ehem.* — *Nunc, Parm. te ost.* Bemb. Bas. et alii: *Nunc te, Parmeno ost.* Both. *Parm. nunc te ost.* et *sis* pro *sies.* — *Ostendes.* Bent. proponit *ostenderis*, et *ostende sis.*

308. *Pollicitum esse*, adde hæc dicendo. — *Aliquid*, eleganter, pro *aliquam mulierculam.*—*Inveni.* Imperativus est.

309. *Modo, quod ames.* Both. *Quod ames, modo.* Refer *modo* ad *inveni.* Quasi dicat Parmeno, illud unicam esse moram promissis complendis. — *In ea re.* Hæc refer ad *faciam*, potius quam ad *cognoscas.* — *Faciam.* Vulgo præcedit *ego*, quod tollit Be. ut supervacuum. — *Meam*, passive, pro *mei.* Sensus: Quam de me capias *utilitatem.* Vide ad Hecyr. vs. 794. *Perl.*

310. *In cellulam.* Cellulæ erant servis angustissimæ, et unicuique sua. Janitori peculiaris assignabatur cella, ad ostium domus vel prædii. Vitruv. lib. VI, cap. 10; Varro, *de Re Rust.* I, 13; Pignorius, *De servis*, pag. 279, 548, 98; Plaut., Amphit. act. I, sc. 1, v. 4, Martial. III, 48, 1, et Noster, Adelph. 554. — *Penum omnem.* Alii *omne.* — *Penus* dicta sunt, non quæ ad edendum et bibendum in dies singulos prandii aut cœnæ causa parantur; sed ea potius quæ hujusce generis longæ usionis gratia contrahuntur et reconduntur, sicque dicta ex eo, quod non in promptu sunt, sed intus et *penitus* habeantur. Hæc Favorinus apud Gellium, lib. IV, cap. 1; apud quem vide, quam variis generibus dictum et declinatum sit hoc nomen. — *Congerebam.* Prisc. Inst. lib. XV, *congregabam.* — *Age.* Rem ipsam expone. — *Inepte!* Tu qui hæc puerilia revocas non in tempore. Quasi servum hujus commemorationis puderet. Gallice: *allons, vous voulez badiner.* — *Hoc*, quod mora erat, quin promissa perficeres. — *Fac sis.* Lib. Bemb. *faxis.* itid. gl. *faxis.* Both. *Hoc hercle nunc, sis, nunc, fac prom. ipsa appareant.* — *Sis*, pro *si vis.* Plaut. Amphit. I, 1, 130.

Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo est virginum nostrarum; quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut gracilæ sient.
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum.
Tamen, etsi bona natura est, reddunt curatura junceas:
Itaque ergo amantur! PA. Quid tua istæc? CH. Nova figura oris. PA. Papæ!

312. *Sive*. Est secunda pars conditionis, cujus prior est *si vis*. — *Adeo* etiam. — *Ubi*, in qua. — *Nervos*, operam et industriam. Bodl. verba hæc Parmenoni tribuit ita: PA. *Si adeo digna res, ubi tu n. int. tuos*. CH. *Haud sim. virg*. Both. PA. *Sine*. CH. *Si adeo res est digna, ubi tu nervos int*.

313. *Nostrarum*, sc. hujusce urbis. — *Student*, curant.

314. *Demissis humeris*, non exstantibus ita, ut collum sit magis facile et expeditum. — *Gracilæ*. Alii *graciles*. — *Vincto pectore*. Strophio, fascia, zona, filiarum mamillas cohibebant matres, ut graciles essent; fastidium Chæreæ movet illa consuetudo, non quod essent inamœnæ tales formæ, sed quod nimiam cultus diligentiam indicarent.

315. *Si qua est habitior*, etc. Bothius legit: *Si quæ habit. paulo, aiunt esse pugilem*, etc. — *Habitior*. Comparativum ab *habitus*. Id est, pinguior, robustior. Plaut. Epid. I, 1, 8: « Corpulentior hercle atque *habitior*. » Vid. Gell. lib. II, cap. 20. — *Deducunt cibum*, i. e. subtrahunt, et jejunio exsuccas reddunt, ut sint formosiores.

316. *Tamen, etsi*. Antesignanus, Zeunius et Gallici interpretes *Tametsi*. Referendum est *tamen* ad posteriorem sententiæ partem, et jungendum cum *reddunt*. — *Bona*, plena, magna et pinguis. D. — *Natura*; subaudi *nostrarum virginum*; et intellige: corporis constitutio. — *Natura est*. Vulg. coll. *b. est nat*. P. — *Curatura*, studio et cultura. Vox aliis scriptoribus minus nota. « *Cura* mentis est, inquit Donatus, *curatio* medicinæ, *curatura* diligentiæ. » We. animadvertit esse in Mark. *tali curatura*. — *Junceas*. Graciles et exiles, instar juncorum. Both. legit *junceam*, et notat: « Vulgo *junceas*: sed de una illa virgine sermo est quam *habitiorem* finxit. *Ergo* versu sequenti indignantis est. »

317. *Itaque ergo amantur*. Ironia est. Itaque, inquit, nemo illas amat. — *Quid?* Subaudi *agit*; i. e. *qualis est*. Similiter græci τί πράττει. — *Tua istæc*, hæc virgo quam deperis. — *Nova*, miranda, non vulgaris. Dixerat enim supra: « Tædet quotidianarum . . . . » Hæc et tres sequentes versus Chæreæ adscribit Guyetus, sed præter necessitatem. — *Papæ*, interjectio est mira subito accipientis. Græce Παπαί.

CH. Color verus, corpus solidum, et succi plenum. PA. Anni? CH. Anni? Sedecim.
PA. Flos ipse. CH. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas: mea nil refert, dum potiar modo.
PA. Quid? virgo cuja 'st? CH. Nescio hercle. PA. Unde 'st? CH. Tantumdem. PA. Ubi habitat?
CH. Ne id quidem. PA. Ubi vidisti? CH. In via. PA. Qua ratione illam amisisti?
CH. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo,
Neque quemquam ego hominem esse arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes aversæ sient.
PA. Quid hoc est sceleris? CH. Perii! PA. Quid factum est? CH. Rogas?

318. *Color verus.* Donatus explicat: « Naturalis, non factus. »—*Corpus solidum.* Plenum et forte, i. e, non flaccidum. — *Succi plenum.* Contra apud Petronium, c. 32 : « Arida puella, quæ *succo caret.* » *Succus* proprie quasi *sugus* a verbo *sugo*, quem sibi ex alimentis comparant membra, ut se repleant. Virg. Eclog. III, 6. — *Anni?* Subaudi *quot*, quod exhibet etiam E. P.—*Sedecim.* Alii *Sexdecim.*

319. *Flos ipse* ætatis est. Both. *ipsius.* — *Vel vi, vel clam, vel precario.* Both. omnia interturbat : *hanc vel vi mihi, vel clam tu, vel precario. Precario* dicitur de eo qui *precibus* ab homine aliquid obtinuit utendum, ea conditione, ut liberum sit illi qui concessit id repetere. Sic Horat. Ep. II, II, 173 :

« Nunc prece, nunc pretio, nunc vi.... »

320. *Mea nil refert.* Minime curo qua via hanc mihi tradas. — *Potiar.* MS. alter Lipsiensis exhibet *Patior.*

321. *Quid* sub. narrabis. — *Cuja,* cujus conditionis, servane an libera. — *Unde est* oriunda. — *Tantumdem*, item ignoro.

322. *Ne id quidem* scio. — *Qua ratione,* quomodo. — *Illam* Alii omittunt. — *Amisisti,* e conspectu. Sic Be. Itid. MSS. Pall. Don. et Zeun. *Amisti.*

323. *Id*, ob id, so. quia e visu effugerat virgo. — *Modo.* Vid. supra 292 sqq.

324, 325. *Quemquam ego hominem esse.* Alii *quemq. homin. ess. ego.* Guelf. 3, omittit *ego.* Both. dat *mage.* — *Felicitates bonæ.* Comice adjectum *bonæ*, æque numero plurali, pro maxima felicitate; in eo autem felicitates erant sitæ, quod Chærea videbat puellam; et *aversæ*, in eo quod visam amittebat. C. G. m. et Both. *adversæ.* Perlet.

326. *Quid hoc est sceleris?* Hæc

Patris cognatum atque æqualem Archidemidem
Nostine? Pa. Quidni? Ch. Is, dum hanc sequor, fit mi obviam.
Pa. Incommode hercle. Ch. Immo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum liquet mi dejerare, his mensibus
Sex, septem prorsus non vidisse proxumis;
Nisi nunc, quum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho! nonne hoc monstri simile 'st? Quid ais? Pa. Maxume.
Ch. Continuo adcurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens:

Chæreæ tribui volunt ex Donato Bentleius, Juvencius, et Gallica interpres *Dacier*. — *Sceleris*, infelicitatis. Plaut. Capt. III, v, 104; Martial. Epigr. lib. VII, 14. — *Quid factum est.* Jac. Perizonius conjiciebat legendum esse *Qui id factum est.* — *Rogas?* Vox illa non hic indignantis est, ut jam vidimus, Andr. vs. 163, sed respondentis amice ad quæ rogantur. Non male vertit Dacieria: *Le veux-tu savoir?*

327. *Archidemidem.* MS. Markianus cum quibusdam aliis *Archimenidem* corrupte. *West.* Hoc *Archidemidis* nomen Terentius videtur e Plauto sumpsisse, Bacch. II, III, 50.

328. *Nostine.* Zeun. Valp. *Novistin'.* — *Quidni.* Cur non noverim, quasi diceret *nosco.* — *Dum hanc sequor.* Zeun. Valp. Antesign. *Dum sequor hanc.*

329. *Enim vero.* Asseverantis particula. — *Incommodum* videlicet, ex Eugraphii sententia, a nostra culpa venit; quod *infeliciter* gestum est, ab eventu aut fortuna. *Perlet.*

330. *Incommoda alia sunt dicenda.* Vult dicere: « hæcce sunt majoris momenti, quam quæ vulgo *incommoda* habentur. »

331. *Liquet mi dejerare.* Liquido dejerare possum. — *Dejerare.* C. G. m. *delirare* mire. Sic Br.

332. *Sex, septem.* Post *sex* MSS. Pall. I, 3, *vel.* C. G. m. *aut.* — *Prorsus.* Alii *prorsum.* — *Non vidisse*, subaudi *me.* — *Proxumis*, proxime elapsis.

333. *Minimeque.* Both. delet *que*, quod credit languidius. — *Opus fecit.* Bothius delet *fecit.*

334. *Eho!* Quasi diceret, « Ergo, nonne id vere infeliciter accidit? » Et confirmat quæ supra dixerat, vs. 325. — *Nonne hoc monstri simile.* Both. *Monstrine hoc est simile?* — *Monstrum* est res mirabilis et inusitata. — *Maxume*, subaudi, simile est; i. e. Omnino est, ut ais.

335. *Adcurrit.* Guelf. 2, *Occurrit.* — *Quam longe quidem*, etiam ex longinquo. Adnotavimus ad Andr. 136, τὸ *quam* hic significare, *valde admodum.* — Pro *quam*, Guelf. 3, *qui.*

336. *Incurvus* ætate. — *Tremens* imbecillitate. — *Labiis demissis*, pro-

«Heus, heus! tibi dico, Chærea!» inquit. Restiti.
«Scin' quid ego te volebam? — Dic. — cras est mihi
Judicium. — Quid tum? — Ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.»
Dum hæc loquitur, abiit hora. Rogo, num quid velit.
«Recte,» inquit. Abeo. Quum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam. Pa. Mirum ni hanc dicit, modo
Huic quæ data dono est. Ch. Huc quum advenio, nulla erat.

pendentibus deorsum. — *Gemens* præ tussi. Sic Lucilius «Tussi graudævu' *gemebat*..» Hypotyposis est odiosi senis, et hyperbole ex fastidio orta.

337. *Tibi dico.* Id est, te appello, volo te paucis. Hæc non adderet senex, nisi videret Chæream accessum declinare tentantem.

338. *Scin'-quid ego.* Hic ostenditur odiosa tarditas senis apud festinantem Chæream. Nam non dicit, sed promittit se dicturum. *D.* — *Volebam*, quum te appellabam.-Et est in *te volebam* ellipsis usitata.

339. *Judicium.* Causa forensis dicenda. *Farnab.* — *Quid tum*, Quid vis in tali re. — *Ut diligenter*, etc. Subaudi *volo.*

340. Quid sit *advocatus* explicant hæc Asconii: «Qui defendit alterum in judicio, aut *patronus* dicitur, si orator est, aut *advocatus*, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico.»

341. *Dum hæc loquitur.* Sic Bent. Br. Both. Perl. Sed habent *dicit* editiones veteres, Faernus, Westerhovius. — *Hora.* Longissimum temporis spatium vult significare. — *Numquid velit.* Horat. lib. I, sat. IX, v. 6: *Num quidvis, occupo.* Abituri, ne id dure facerent, *Num quid vis* dicebant his quibuscum constitissent. Gallice, *N'avez-vous rien à me dire.*

342. *Recte.* Supplendum est *omnia mihi se habent.* Hoc est, nihil amplius cupio. — *Abeo.* Loquitur Chærea, nec jam Archidemides. Profert *habeo* glossa in Bruns. qui notat sic forte olim lectum fuisse, huicque lectioni convenire notam (sc. in glossa), *aliquid tibi dicere.* — *Huc.* In hanc partem scilicet, qua Thais habitabat.

343. *Illa se se.* Both. *Illæc se.* — *Interea*, dum mecum fuerat locutus senex. — *Commodum*, est adverbium, *hoc ipso tempore*, significans. *Perl.*

344. *In hanc nostram plateam.* Recte; quia vicina est illis Thais, ad quam puella deducitur. Both. *Hanc nost. in plat.* Bip. *In nost. h. p.* — *Mirum* sub. *est.* — *Dicit*, designat.

345. *Huic.* Thaidi. — *Quæ data dono est.* West. *Data est dono.* Both. *Data huic quæ dono est.* — *Nulla erat*, h. e. nusquam erat. Etenim ingressa jam fuerat. *Donat.*

PA. Comites secuti scilicet sunt virginem?
CH. Verum : parasitus cum ancilla. PA. Ipsa 'st. Ilicet!
Desine : jam conclamatum est. CH, Alias res agis.
PA. Istuc ago quidem. CH. Nostin' quæ sit, dic mihi, aut
Vidistin'? PA. Vidi, novi; scio, quo abducta sit.
CH. Eho, Parmeno mi, nostin'? PA. Novi. CH. Et scis, ubi siet?
PA. Huc deducta est ad meretricem Thaidem : ei dono data est.

346. Vult Bentleius tolli interrogationis notam. — *Comites.* Quidam qui comitarentur. — *Scilicet,* sane. Interrogative quidem : sed sic, ut scire videatur id quod quærit.

347. *Cum ancilla* C. G. m. *cum ea. Ipsa est : illicet.* Libri quidam junctim *ipsa est scilicet.* West. — *Verum* affirmantis est, sicut in Andria, 770, 930. — *Ilicet,* exploratum est, manifestum est. Hæc particula clausulam rei notat et finem: ea judices e judicio aut consilio dimittebantur, quasi *ire licet,* quum res plane cognita fuerat.

348. *Desine.* Elegantem usum habet in re jam explorata. Phorm. 51. *West.* — *Conclamatum est.* h. e. nulla spes relinquitur. Locutio translata a re funebri, extremam fere desperationem indicat. Scilicet homine morti proximo, omnis familia *exclamabat,* seu ut anima forte delitescens in angulo quodam corporis excitaretur; seu ut vicini concurrerent. *West.* — *Alias res agis.* Qui animum et cogitationem non occupant in re præsenti *alias res agere* dicuntur. Cui contrarium est *rem ipsam agere.* Confer ad Adelph. vers. 800. *Perl.*

349. *Istuc ago quidem.* Bentl. Both. *ist. ago equidem.* Br. Guelf. 2. *i. equid. ago.* — *Nostin' quæ sit? dic mihi.* Bothius ex Bentl. *Nostin' (quæso dic mihi)* — *Aut.* Hac voce claudunt versum Bip. Bentl. Both. Perl. Rejiciunt in sequenti Zeun. Valp. — *Istuc.* Id quod tu dicis — *Ago,* attendo.

350. *Novi, scio,* Ien. cod. *novi et scio.* Guelf. 2, *et novi et sc.*

351. *Eho.* Alii *O.* — PA. *Novi.* Bentl. hancce responsionem Parmenoni extrudit, sed contra codices, et contra morem Terentii; cf. Heaut. 180, et Phorm. 64. *Perl.* — *Et scis, ubi siet.* Alias omittitur *et.* Both. delet *scis.* Faernus videtur attribuere soli Chæreæ versus 351, 352. — *Eho,* vox admirantis et gestientis præ lætitia. — *Nostin'.... et scis, ubi siet?* Amatorie satis repetuntur quæ semel dicta sufficerant. *Don.*

352. *Deducta est.* Guelf. 2. *Adducta.* — *Ad meretricem Thaidem.* Antesig. *ad Thaid. meret.* Alii tollunt *meretricem.* — *Ei.* Guelf. 2, *et ei.* Unus cod. antiq. *et.* — *Huc,* ad has ædes, et ostendit domum Thaidis.

CH. Quis is est tam potens, cum tanto munere hoc? PA. Miles Thraso,
Phædriæ rivalis. CH. Duras fratris partes prædicas.
PA. Immo enim si scias, quod donum huic dono contra comparet,
Tum magis id dicas. CH. Quodnam, quæso hercle? PA. Eunuchum. CH. Illumne, obsecro,
Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem, mulierem?
PA. Istunc ipsum. CH. Homo quatietur certe cum dono foras.
Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. PA. Haud diu est.

353. *Quis is est.* Perletus delet *is*, nec rationem affert — *Tam* Guelf. 2, *ita*. — *Potens*, dives. Plaut. Epid. I, II, 50 : auro *potens*. — *Is cum tanto munere hoc.* Is qui tantum munus dedit. Sic Sallust. ad Cæsarem de repub. ordin. *Adolescentes cum bona spe*, i. e. qui dant bonam spem.

354. *Duras fratr. part.* Editio prima *partes fratris*. West. — *Duras*. h. e. contra æmulum et divitem et largissimum. Itid. Cic. ad Attic. 10, 8 : « *duriores partes* mihi impositas. » — *Prædicas*. Narras.

355. *Immo enim.* Quædam edit. delent *enim*. — *Dono*. Vox illa abest a Guelf. 2. Pareus *domo* vitiose. — *Immo enim*, refer ad *Tum magis id dicas*, et intellige *enim*, quasi alluderet ad *duras* Phædriæ *partes* — *Contra*, ex adverso, contra æmulum. — *Comparet*. Verba a gladiatoribus desumpta, qui bini *comparabantur*. Adelph. 213.

356. *Tum magis id dicas.* Varie *Id* collocatur. Antiqui enim libri et Donatus verbo præponunt ; omnes alii postponunt. Subdititium arbitratur Fa., et supprimit. Antesignanus. — *Quodnam*, subaudi *donum comparat*. — *Quæso hercle*. Oro per Herculem.

357. *Heri.* Antesig. Both. *here*. — *Senem*, *mulierem*. Conjungunt *senem mulierem* Br. et Antesignanus, qui notat legi in quibusdam *mulierem senem*. Conjungit etiam Bent. Sed putat senem μονοσυλλάβως pronuntiandum esse ut *snem*, *abdomini* ut *abdomni*, *nemini* ut *nemni*. Bothius *senium*, ut supra est, vs. 302. — *Inhonestum*, fœdum. Contra Andr. 123. — *Hominem*, proprie dixit non *virum*, tanquam incerti sexus. *Don.* — *Mulierem*. Convicium in hominem ignarum. Itid. Plaut. Bacch. IV, VIII, 4 : « Non militem, sed *mulierem*. »

358. *Quatietur*, sc. verberibus pelletur foras, excludetur.

359. *Non scivi.* Atque hæc est causa, cur non noverit adolescens *vicinam*, quod plurimum in Piræo

CH. Perii! Nunquamne etiam me illam vidisse? Ehodum!
Dic mihi :
Estne, ut fertur, forma? PA. Sane. CH. At nihil ad nostram hanc. PA. Alia res.
CH. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. PA. Faciam sedulo, ac
Dabo operam, adjutabo. Numquid me aliud? CH. Quo nunc is? PA. Domum,
Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, ducam ad Thaidem.
CH. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!

commoratus est. — *Vicinam.* Solent meretrices Terentianæ in vicinitate habitare, ut Chrysis, Andr. 70, 105; item Bacchis, Hec. 725. — *Diu*, dudum.

360. *Perii! nunquamne* etc. Adnotat hic *Lemonnier:* « Chérée, avec une exclamation qui exige qu'il élève la voix, se plaint de n'avoir jamais vu Thaïs. Cette circonstance est très importante; sans elle l'intrigue de Chérée n'aurait pas lieu. Il fallait que le spectateur en fût instruit. Mais afin qu'il ne se doute pas que c'est pour lui que Chérée dit ne l'avoir jamais vue, Térence fait ajouter tout de suite, *estne ut fertur* etc. Il y a là beaucoup d'art et de naturel. » — Dolet Chærea quod non noverit Thaidem, quia potuisset, eam adeundo, videre puellam quam deperit. Deinde, sui doloris quasi oblitus, interrogat Parmenonem de Thaidis pulchritudine, et brevi redit ad rem quæ cordi est : *at nihil* etc.

361. *Estne, ut fertur, forma?* Substantivum *forma* ponitur in ablativo; et intellige : *Thais ne est forma, ea ut* (sicut) *fertur.* — *Ad nostram hanc.* Pro *ad meam.* Præpositio *ad* in usu est comparationis eleganti, ut πρὸς Græcorum. Cic. de Orat. II, 6, « Decimum volo, quem cognovimus. Sed *nihil ad* Persica. » Et infra 681. *Perl.* — *Alia res.* Bem. non habet *est*, quodAntes. Valp. admittunt; et id Fa. vult. abesse. Delent Bent. Bip. Both. Perl.

362. *Ut potiar*, sub. puella quam ducebat miles. — *Ac* delent Bip. Bentl. Both.

363. *Adjutabo*, sic Both. Perl. pro vulg. *adjuvabo.* — *Numquid me aliud*, subaudi *vis facere.* MSS. quidam, Junt. Stephanus, Valpy, *Numquid me aliud vis?* Sed τὸ *vis* delent Zeun. Both. Perl. ut aptior sit festinanti ellipsis. Guelf. 1, *Numquid vis;* Guelf. 3, *Numquid me vis.*

364. *Ita ut.* Est in cod. Bentl. *ita uti*, quod recipiunt Br. Bip. Both. — *Ducam.* Sic lib. Bemb. Z. Bent. Both. Perl. Sed dant *Deducam*, Antesign. Valp., et Br. qui imo sic legit: *Deducam.* CH. *Quo?* PAR. *ad Th.*

365. *Istum.* Locutio plena con-

PA. Quid ita? CH. Rogitas? Summa forma semper conservam domi
Videbit, conloquetur; aderit una in unis ædibus;
Cibum nonnunquam capiet cum ea; interdum propter dormiet.
PA. Quid si nunc tute fortunatus fias? CH. Qua re, Parmeno?
Responde. PA. Capias tu illius vestem. CH. Vestem? Quid tum postea?
PA. Pro illo te deducam. CH. Audio. PA. Te esse illum dicam. CH. Intelligo.
PA. Tu illis fruare commodis, quibus illum dicebas modo: Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias;

temptus aut odii, ut jam adnotatum est. — *Detur* a fratre meo. — *In hanc domum*, ut sit e familia ejus domus.

366. *Rogitas.* Ante hoc verbum Both. *quid?* — *Sum. forma semp.* Bruns. distinguit.... *forma. Semper* etc.—*Quid ita?* dicis, sc. fortunatum eunuchum. — *Summa forma.* Pulcherrimæ speciei.

367. *Videbit, conloquetur; aderit una* etc. His similia affert Achill. Tatius, Am. I: Σὺ δὲ βλέπεις ἀεὶ, καὶ ἀκούεις ἀεὶ, καὶ συνδειπνεῖς, καὶ συμπίνεις. In Antholog. Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε. Τρὶς ὄλβιος ὅστις ἀκούει· Ἡμίθεος ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δ' ὁ συνών. Itidem Sapho in Od. Catullus, amicæ Lesbiæ ita adblanditur: «Ille mi par esse Deo videtur, Qui sedens adversus identidem te Spectat, et audit Dulce ridentem.»

368. *Propter.* Juxta, prope. Cic. pro Rosc. Am. 23. « Duo filii *propter* cubantes. » *Perl.*

369. *Tute Fortunatus f.* Both. *tute is.* Faber, et post eum Dacieria item legit. Westerh. putat debere legi, *nunc tu iste* etc. — *Quid si* etc. Latet, artificio poetæ, sub comica festivitate, consilium, quod sine flagitio proponi serio sermone non potuit; quæ servilis calliditatis pars est. *Bœcl.* — *Fortunatus*, sub. iste. — *Qua re*, qua ratione.

370. *Quid tum postea.* MS. Lips. et Br. delent *tum.* — *Illius*, eunuchi. — *Quid tum postea.* Subaudi, *fiet*, continget.

371. *Deducam.* Sic. Both. Bip. Br. Perl. Sed habent *ducam* Guelf. 2, 3; Antesign. Zeun. Valpy. — *Te esse illum.* Omnes codd. Bent. et editt. vett. *te illum esse.* — *Deducam* ad Thaidem.—*Audio*, intelligo, potius quam, *assentior*, ut vult Perletus.

372. *Quibus illum.* Delent Both. Perl. ex Bentleio alterum *tu.* Pro *tu illum* legit Guelferb. 2 *frui.* — *Quibus illum dicebas modo*, subaudi *frui.*

373. *Capias.* Guelferb. 2 *capies.* — *Propter.* Pall. *prope.* — *Tangas.* Verbum impudicum, infra 638;

Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies.

Præterea forma et ætas ipsa 'st, facile ut pro eunucho probes.

CH. Dixti pulchre : nunquam vidi melius consilium dari. Age, eamus intro. Nunc jam orna me, abduc, duc, quantum potest.

PA. Quid agis? Jocabar equidem. CH. Garris. PA. Perii, quid ego egi miser?

Quo trudis? Perculeris jam tu me. Tibi equidem dico, mane.

Heautont. 819; Adelph. 690, et Horat. Sat. I, II, 54. « Matronam nullam ego *tango*. » Perl.

374. *Illarum.* C. G. m. *Thaidis et puellarum*, quod glossam esse censet Perletus. — *Neque te quisquam.* In aliis et præsertim Bip. *neq. quis. te.* — *Scit.* Vet. cod. *sciet.* — *Illarum quisquam.* Antiqui *quisquam* utroque genere dixerunt, Græcos imitati, quibus itidem τὶς utroque genere valet. — *Neque scit qui sies.* Hoc est, quod supra callide poeta præstruxit. *Don.*

375. *Præterea forma* etc. Guyet. versum hunc insititium vocat et abesse jubet. — *Forma et ætas.* Sic Donatus ex libris antiquis. Quidam, et Bip. *forma, ætas.* Bentleius corrigit *forma et ætate ipse es.* Frigide et inepte, ut ait Bip.—*Ipsa* pro *hæc.* — *Pro eunucho probes.* Subaudi *te.* Sic in consuetudine dicitur, « Homo sacrilegus pro innocente se probavit. » *Don.* Adnotat Bœclerus simile genus commenti esse in Aristophanis Θεσμοφόροις, ubi muliebri habitu vir domum introducitur.

376. *Dixti.* Antesign. et Bip. *dixisti.* Par. ex uno cod. *disti.*—*Vidi,* audivi. Sæpe enim verba sensuum permutantur inter se, Adelph. 926; Plaut. Trinum. III, II, 72. *Perl.*

377. *Nunc jam orna me.* Mark. *jam, oro, orna.* Bentleius distinguit ita : *Age, eam. int. nunc jam : orna me* etc. — *Duc.* Guelf. 2 addit *me.* — *Abduc.* Dacieria *adduc.*—*Potest.* Sic Perletus et Both. post Bentleium. Antesignan. Zeunius, Valpy *Potes.* — *Intro*, in domum paternam. — *Orna me.* Appone mihi eunuchi vestes et ornamenta. — *Abduc* hinc. — *Duc*, quo voles. — *Quantum potest*, sub. *fieri ;* alii *potes.*

378. *Quid agis.* MS. We. *Q. ais ?* — *Equidem* MS. Lips. delet. — *Jocabar equidem.* Callide servus non vult se auctorem videri tanti facinoris. *Donat.* — *Garris.* Vana loqueris, nugaris. — *Quid ego egi miser?* Sibi ipse irascitur, quod tale suaserit.

379. *Quo trudis ?* Guelf. 2, *trudis me.* — Post *tu me* interrogat Bipontina editio. Both. *jam perculeris tu me!* — *Quo trudis?* Quo me adigis? — *Perculeris.* Prope me everteris, si trudendo pergis. Ductum ab iis, qui onusta plaustra per-

CH. Eamus. PA. Pergin'? CH. Certum 'st. PA. Vide, ne nimium calidum hoc sit modo.

CH. Non est profecto : sine. PA. At enim istæc in me cudetur faba. CH. Ah!

PA. Flagitium facimus. CH. An id flagitium 'st, si in domum meretriciam

Deducar, et illis crucibus quæ nos nostramque adolescentiam

Habent despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis,

cellebant, h. e. evertebant. — *Mane.* Quiesce, noli me trudere.

380. *Calidum.* Donatus et *calidum et callidum* legi affirmat. I. et V. addunt *consilium.* — *Pergin'* ? Hoc dicit Parmeno, iterum trusus, aut perculsus vehementer a Chærea. — *Calidum*, θερμὸν, i. e. periculosum. Ita Cicero periculosa et *calida* consilia vocat. Cf. Plaut. Mil. act. II, sc. 2; Epidic. act. II, sc. II. Aristoph. θερμὸν ἔργον, κἀνόσιον, καὶ παρὰ νόμον. Farn. — *Modo* adverbium est, et junge *ne modo sit.*

381. West. putat legi posse, *ludetur faba.*—*Ah! flag. fac.* Hæc Chæreæ adscribunt Br. Bip. — *Non est profecto.* Subaudi *nimium calidum.* — *Sine*, me pergere, nec me retrahe. — *Istæc in me cudetur faba.* I. e. in me hoc malum recidet. Ut laborat solum, in quo *cuditur*, i. e. batuitur faba, quum siliquis exuitur, tunsa fustibus, quemadmodum in areis more rusticorum fit. Vel quod quidam male coctam fabam, et quæ non maduerit, sed dura permanserit, supra caput coqui, velut ipsi fabæ irati, saxo comminuunt. Tum universum malum et omnis dolor ad coquum pervenit. Simile et Phorm. vs. 300, a pulmento proverbium est: « Tute hoc *intristi*, tibi hoc est exedendum. Accingere. » *Donat.* Ex duabus his Donati explicationibus, Bœclero prior videtur erudita; posterior minime accipienda. — Dacieria adnotat posse alludi per hæc verba ad quoddam genus flagellorum, quæ in unoquoque lororum nodo siccatas fabas gerebant, quo validior esset ictus.

382. *Facimus.* G. Fabric. *facinus.* Ms. Lips. præfert ita, *facin'*, unde apparet initium τοῦ *m* fuisse erasum. Bothius pro *facimus* legit *facis.* — *Flagitium facimus.* Nota Parmenonem dicere *flagitium*, quod est res *flagitatione*, h. e. *increpatione* digna, ut juvenem tentet. Nam ipse aliter judicat de meretricibus. *Perl.*

383. *Crucibus. Crux* dicitur quidquid nos cruciat, torquet et affligit; et proprie dicitur de damnoso genere meretricum.

384. *Despicatam.* Sic Donatus. Alii inter quos Both. *despectam*; alii *despicata*, quam Bentleius putat esse poetæ manum.—*Habent despicatam.* h. e. contemnunt. Est conjugatio periphrastica, cujusmodi est Ovid. Heroid. XVII: « Nec tibi... Opposi-

Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius par atque æquum est, pater ut a me ludatur dolis?
Quod qui rescierint, culpent; illud merito factum omnes putent.
PA. Quid istic? Si certum 'st facere, facias; verum ne post conferas
Culpam in me. CH. Non faciam. PA. Jubesne? CH. Jubeo, cogo, atque impero;
Nunquam defugiam auctoritatem. Sequere. PA. Di vortant bene!

tas habuit regia nostra fores.» *Perl.*

385. *Gratiam.* Both. *gratias.* — *Eas itidem.* Both. *itidem eas.* — *Referam gratiam.* Per antiphrasin, pro *ulciscar*; infra 718.

386. *An potius*, etc. Totus hic versus mire variat apud editores. Antesign. et Valpy, *an pot. hæc pati? æq. est fieri, ut a me lud. dol.* idem legit Zeunius, nisi quod *patri* pro *pati*. Itidem Bip. Eug. Et quidem est in Ms. Lips. *pat i*, unde licet suspicari τὸ r erasum esse. Both. *an pot. æquom est, patri hæc fieri, ut a me*, etc. — *An potius par atque æquum* est. An potius æquum est hæc a me fieri adversum patrem, quem dolis eludam, pecunias ab eo per fallacias auferendo, quas in meretrices insumam, quum liceat ipsas meretrices ulcisci sine omni dispendio et culpa, imo cum omnium approbatione. *Farnabius.* Si admittas lectionem Valpyianam, intellige: «An potius flagitium est hæc ab illis meretricibus pati? Æquum est fieri, ut Thais a me ludatur.»

387. *Rescierint.* Br. *rescíverint.* — *Quod.* Scilicet, patrem eludi. — *Illud* quod prius dictum erat, falli videlicet meretrices. *Perl.*

388. *Istic.* Sic Br. Z. Bent. Both. Perl. Sed *istuc*, Valp. Antesig. — *Facias.* Notat Antes. a quibusdam scribi *faciam*, sed corrupte. — *Quid istic* est quod tam pertinaciter aggrederis. Vid. Heaut. 380.

389. *Non faciam.* Both. perquam ingeniose, *Non. Fac jam.* — *Jubesne?* Alii *juben?* — *Jubeo.* Quidam *immo jubeo*; alii, *jubeo? immo cogo.* Non admittunt *immo* Zeun. Both. Perl. Valp. — *Jubesne.* Parmeno servus eodem modo sibi cavet in futurum, quo Davus in Andria, 509, 510. *Perl.*

390. *Auctoritatem.* Guelf. 2 addit *tuam.* — *Sequere.* Verbum hoc Parmenoni tribuit Bent. et post eum Both. Sic etiam videtur legisse Donatus. — *Nunquam defugiam* etc. Nunquam negabo id me auctore et impulsore factum esse. — *Di vortant bene.* Formulam hanc pleniorem, et intellectu promptiorem reddit Plautus: «Deos bene volo vertere istam rem vobis.» *Perl.*

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

THR. Magnas vero agere gratias Thais mihi?
G. Ingentes. THR. Ain' tu? Læta 'st? G. Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse : id vero serio
Triumphat. PA. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,

391. *Magnas vero* etc. Hic sermo sic prodit, ut inchoatus esse videatur, antequam Thraso et Gnatho in scenam prodeant. Explicat Cicero in Læl. cap. 98 (Edit. Genev. 1633.) : « Nec Parasitorum in comœdiis assentatio nobis facета videretur, nisi essent milites gloriosi. *Magnas vero agere gratias Thais mihi?* Satis erat respondere *magnas : ingentes*, inquit, semper auget assentatio id quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. » Assentatio scilicet parasitica et stultitia gloriosi militis ἀντιστρόφουσι. *Bœcl.*

392. *Ingentes.* Variat scriptura *ingenteis, ingentis.* — *Ain' tu.* Verane dicis. — *Non tam ipso quidem* etc. Construe : « *Læta est non tam quid. ipso dono, quam læta est hoc datum esse abs te.* « Non tam ipsi placet donum, quam dantis amicitia. » *Juv.* — Cf. Ovid. Heroid. XVII, 71. « acceptissima semper Munera sunt, *auctor quæ pretiosa facit.* » Itid. Euripid. Alcest. 378. *Perl.* — *Id*, ob id, quod abs te datum est. » — *Vero serio*, plane serio.

393. *Quam abs te datum esse.* MS. Pal. 2 *quam quod abs te datum est.*

394. *Siet.* Br. *fiet.* — *Triumphat.* Gestit, et exsultat. Hoc verbum parasitus scite a re militari petit, ut magis placeat militi glorioso. Infra, 770 sqq. Heaut. 672.—*Huc proviso.* Hæc dicit servus, dum exit a Phædria : « Venio huc, ut provideam quo tempore deducendi mihi sint Eunuchus et Æthiopissa. » *Juv.* — Occurrit *provisere* eodem sensu supra, Andr. vs. 958, pag. 122.

Deducam. Sed eccum militem. THR. Est istuc datum
Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.
G. Advorti hercle animum. THR. Vel rex semper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram; aliis non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam

395. *Istuc.* I. et V. addunt *mihi.* Perl. — *Eccum militem.* Ecce eum militem, rivalem nostrum. — *Est istuc,* etc. Pergit Thraso loqui cum Gnathone, nec viso nec audito Parmenone. — *Datum.* Fato concessum; Virg. Æn. VII, 313. *Donat.*

396. *Profecto, ut,* etc. Alia verborum collocatio in quibusdam: ed. Delph. *prof. mihi, ut sint grata quæ,* etc. — *Grata.* Gratiam hominum mihi conciliantia, ut recte Zeunius. Cicero apud Amm. Marcell. lib. XXVII: « Quum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur, quæ faciebat. » Cf. Hea. 262, et ibid. 935. — *Grata mihi.* Alia est, ut vidimus, verborum collocatio in Delph. Sed *grata mihi* non exponendum est *jucunda mihi,* sed, talia ut pro iis mihi gratia habeatur. *Faernus.*

397. *Vel rex semper.* Both. *Rex vel semper,* et contendit *vel* pertinere ad *maximas.* Br. *semper mihi maximos Agebat.* — *Advorti hercle animum.* i. e. animadverti sæpius ita advenire, omnia quæ facis grata esse. — *Rex.* Regem Persarum intelligi We. opinatur Darium tertium, ætate Alexandri regnantem. Sic Heaut. 117. Nisi malumus accipere Seleucum regem Asiæ; si quidem Pyrrhi fit mentio infra 782. *Perl.* — Cæterum de his Bothius jubet videre omnino eruditissimi Boettigeri duos excursus, alterum præsertim de persona militis gloriosi, laudato specimini additos quod dedit Lipsiæ, 1795, pollicitus insuper editionem Terentianam. — *Maxumas,* subaudi *gratias.* Orationem militis sic interpretare: « Magnas vero gratias agere Thaïs mihi . . . quanquam quid hoc mirer? rex vel maximas mihi agebat semper. » Stultus enim aut non meminit, aut, qua est superbia, non curat, Thaïdis gratias a parasito dictas esse *ingentes,* quod idem τῷ *maximas,* sed suum tantum ipsius verbum *magnas* in animo habet. *Both.*

398. *Mihi.* Voçem hanc delet Guyetus. Addit C. G. ch. *gratias.* C. G. m. *grates.* — *Quidquid feceram.* Construe, *ob id, quodcumque feceram.* Similis est locutio apud Horat. I, epist. 11: *Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.* — *Aliis non item.* Sc. agebat gratias. Hunc locum Horatius propositum sibi habuisse videtur sat. I, XIX, 43. *Perl.*

399. *Lab. alien. magn.* Both. *lab. magn. alien.* — *Magnam.* Antesign. notat alios legere *magno.* — *Labore alieno* etc? Jocum ex ambiguo serit parasitus. Dum enim videri vult dicere nihil mirum esse, quod rex *ipsi maximas semper gratias egerit, aliis non item;* eo quod viri sapientes, qualis Thraso esset, non tantum suorum factorum gloriam referrent, sed aliena etiam merita, peritia, fraude et dexteritate orationis auli-

Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem,
Quod in te est. THR. Habes. G. Rex te ergo in oculis.
THR. Scilicet.
G. Gestare. THR. Verum : credere omnem exercitum,
Consilia. G. Mirum. THR. Tum sicubi eum satietas
Hominum, aut negotî si quando odium ceperat,
Requiescere ubi volebat, quasi . . . nostin'? G. Scio :

ca suum ad decus traherent; revera hoc ait : Gloriosos homines et ineptos alieni laboris gloriam magnificis verbis impudenter sibi vindicare. Satis autem poterat persentiscere sannam Gnathonis, ni fuisset lapis. *Bæclerus.*

400. *In se transmovet.* I. et V. *transferet.* — *Habet salem.* Both. legit *sal habet.* ex Bentleio. — *Transmovet*, transfert.

401. *Quod.* Sic omnes nostri, præter Antesignanum. Goveanus et Br. volunt legi *qui.* — *Salem, quod.* Ponendum erat *qui* pro *quod*, propter *salem.* Sed ante *quod* subaudi nomen neutrius generis sicut, *commodum, bonum.* — *Habes*, intelligis. — *Scilicet*, sane. Sic interpellat Gnathonem additurum, *ferebat*, aut quod modo dicit, *gestabat.* Perl.

402. *Gestare.* Sic in Bembino codice esse Bembus ipse narrat. Admittunt Muretus, Both. Perl. Bip. sed Par. Zeun. Valp. *gestire.* — *Verum*, Bemb. *Vero*, et post eum Zeun. Valp. — *Omnem exercitum.* Guelf. 2 *exercitum suum.* — *In oculis Gest.* Translative a matribus quæ ab infantibus dilectis non dimoveant oculos. Inde, *in oculis gestare* pro *amare insigniter.* Perl. — Qui lectionem Donati admittunt *gestire*, exponunt, *lætum esse et gaudere* ex convictu tuo. Quod vero supra dictum est: *rex te ergo* etc. hic subaudiunt vel *habere* vel *ferre.* Faern.

403. *Consilia.* Br. *et cons.* — *Satietas.* Sic cum Donato legunt Br. Antes. Zeun. Bent. Bip. Both. Perl. At legit Valpy *satias*, quod West. dicit esse in MSS. et editis probatiss. etiam anni 1469, et ita flagitare metrum, — *Mirum.* Melius per εἰρωνείαν pronuntiandum, quasi dicat, quis non crederet tali viro? Sed potest etiam simpliciter pro admirantis gestu accipi. — *Sicubi*, si quando. — *Satietas* hominum; cf. infra 972.

404. *Si quando odium.* Ed. pr. *Si quod otium.* Both. *Si odium quando.* — *Negoti*, rei publicæ, administrationis. — *Odium*, tædium. cf. infra 971, Hec. 224.

405 sq. Hos binos versus facessere jubet Guyetus, utpote Terentio indignos. Sed et apte cohærent, et latine dicti sunt, et firmantur auctoritate MSS. et Donati. *We.* — *Ubi.* Quando. — *Quasi . . . nostin'?* Gnathonem intelligere ridiculus vult, quod ipse nec intellexit, nec dixit. Grata igitur spectatoribus stulti militis infantia ab callido explicatur parasito. Scilicet hianti stolido militi vel hæsitanti propter ingenii tarditatem, Gnatho suggerit materiem loquendi. *Perl.*

Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. THR. Tenes.
Tum me convivam solum abducebat sibi. G. Hui!
Regem elegantem narras. THR. Immo sic homo 'st
Perpaucorum hominum. G. Immo nullorum, arbitror,
Si tecum vivit. THR. Invidere omnes mihi,
Mordere clanculum; ego non flocci pendere;
Illi invidere misere. Verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis præfecerat.

406. *Quasi*, velut.—*ubi*, ut ibi, i. e. ut apud me.—*Exspueret*. Irrisorie stulto ridiculum hoc verbum parasitus suppeditat, quod tamen probat miles, utpote se dignum. *Both*. Et auget sensum qui inchoatus erat. Plus enim est in *miseria* quam in *satietate et odio*; tum *in exspuendo talia*, quam in *requiescendo a talibus*.—Interrogat Br. post *tenes*.

407. *Abducebat*. MS. Grævii, Editt. Tarv. et Mediolan. *adhibebat*. — *Solum abducebat*. Tit. Liv. I, 39: « Tum *abducto* in secretum viro Tanaquil, etc. » *Perl*.

408. sq. *Immo sic homo 'st*. Bip. *Sic homo*, et incipit alterum versum per *Est*. — *Nullorum*. West. vellet hæc Parmenoni tribui ut planiora fiant. Gudius ad Phæd. III, 6, vult legi *mulorum* ut adeo τὸ *mulorum* apponatur τῷ *hominum*. — *Regem elegantem narras*. *Elegans* dicitur quicumque est in aliquo genere inprimis intelligens, præcipue tamen in illis quæ ad magnificentiam cultus pertinent. *Ernesti*, ad clavim Ciceronianam. Explicat Donatus: « Qui ipse sciat eligere, aut ipse sit eligendus. » Gallice vertere possis *qui a bon goût*. Videtur Gnatho pergere in adhibendo tali verborum genere, ut callide ironia misceatur adulationi. Exemplum est, v. 399, *Salem*, etc.—*Immo sic homo 'st*. Confirmat Thraso quæ dixit, se solum abduci a rege, et ad quæ exclamat Parasitus; et exolicat, ita res est, sic se res habet.

409. *Perpaucorum hominum*. Qui paucis amicis uti vult. Cf. Hor. sat. I, IX, 44. — Mire in his nugantur interpretes qui voluit intelligi seu qui de paucis est, seu qui paucis placet, h. e. bonis et sapientibus, qui fere pauci sunt. — *Immo nullorum*, nullos habere potest pro familiaribus qui te delectari possit. In ipsa verborum ambiguitate locus est ironiæ simul et adulationi.

411. *Illi invidere misere*. Hæc expuncta vult Guyetus. — *Non flocci pendere*. *Non* omittunt Br. Eugr. editio anni 1469. — *Mordere*, conviciis. — *Clanculum*. Non aperte; quia a me sibi timebant. — *Ego non flocci pendere*. Vid. supra, vs. 303.

412. *Illi invidere misere*. MS. Lips. delet *illi*. — *Verum unus tamen*. Br. *verum tamen unus*. — *Illi invidere misere*. Mire est facta nullius ponderis repetitio ad jactantiam et garrulitatem loquentis exprimendam. Nam postquam dixit *invidere omnes mihi*, repetit *illi invidere misere*.

413. *Impense, eleph. quem*, etc. Leidensium unus, *El. quem Ind. pr.*

Is ubi molestus magis est, « quæso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? »
G. Pulchre mehercle dictum et sapienter. Papæ!
Jugularas hominem. Quid ille? THR. Mutus ilico.
G. Quidni esset? PA. Di vostram fidem! hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum. TH. Quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi? G. Nunquam; sed narra, obsecro.
Plus millies audivi. THR. Una in convivio

Rex. Guelf. 2, *Rex præfecerat.* — *Impense*, σφόδρα, valde, admodum. Plaut. Epid. II : « est impense improbus. » — Post *impense* subaudi *invidere misere.* — *Elephantis Indicis.* Non abs re est addi *Indicis*, quia gloriosus miles suam laudem augere multum existimat, dum virum ostendit qui istis animalibus præesset. Nempe Indici elephantes maximi omnium habebantur. Unde Lucianus de Catulis Hecates mentionem faciens, dicit eos esse ἐλεφάντων ὑψηλοτέρους τῶν Ἰνδικῶν. — *Præfecerat.* Subaudi *rex.*

414. *Molestus magis.* Guelf. 2 *magis molestus.* — *Molestus magis.* Molestior, et mordacior solito. — *Est.* Præsenti tempore utitur pro præterito, ut sæpe qui narrant. *Perl.*

415. *Imperium.* MS. Lips. *potestatem.* — *Habes imperium.* Both. *imperium habes.* — *Eone.* Ideone.

417. *Jugularas hominem.* Ridicule usurpat militare verbum, ut supra, *triumphat.* Both. — *Quid ille* respondit. — *Mutus ilico* sub. *restitit.*

418. Sq. *Quidni esset.* Quî fieri posset, ut non obmutesceret. — *Hominem perditum*, etc. Opportune judicium de milite et de parasito poeta interposuit voce Parmenonis; quem ideo maturius in scenam reduxerat. *Perditus* et *miser* est qui cæco sui amore non vera a falsis discernit, et hæc præ illis amat. *Sacrilegus* impense improbum notat qui adulando scilicet *ex stultis insanos* facit homines. *Bœclerus.*

419. *Quid illud.* Both. *quid? illud.* — *Quid.* Donatus alicubi animadvertit *quid* secundum morem quotidianum tum dici, quum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram.

420. *Quo pacto Rhodium.* Both. *Quo Rhodium pacto.* — *Tetigerim. Tangere* est aculeato dicto lædere, sicut apud Græcos ἅπτεσθαι. *Muretus.* — Totum hoc construe : *Nunquam tibi dixi illud*, sc. *quomodo tetigerim* etc.

421. *Nunquam tibi dixi.* Valp. *numquid.* Sed Bip. notat *nunquam* postulare responsum; et admittunt post eum Zeun. Both. Perl.

422. *Millies.* Par. ed. *miliens.* Adjiciunt *jam* post *millies* Guelf. 2, et Br. — *Plus millies audivi.* Ad spectatores, et demissa voce loquitur parasitus. — *Una*, mecum.

Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Forte habui scortum : cœpit ad id adludere,
Et me irridere. «Quid agis, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, et pulpamentum quæris? » G. Ha ha he.
THR. Quid est? G. Facete, lepide, laute, nil supra.
Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? Vetus credidi.
THR. Audieras? G. Sæpe ; et fertur in primis. THR. Meum 'st.
G. Dolet, dictum imprudenti adolescenti et liberò.

423. *Rhodius.* Eligit Thraso *Rhodium*, quia, ut notat Dacieria, hice homines fortes, animosi et contumeliæ nequaquam patientes habebantur. Homerus ipse, quæ est illorum antiquitas, Rhodios ἀγερώχους vocat.

424. *Adludere.* Ms. Lips. *ad id ludere.* Sic MS. Græv. Edd. prim. Tarv. Med. *Ludere* non *alludere* Gu. 2.

425. *Quid agis.* Br. Zeun. etc. *quid ais?* — *Inquam, homo* etc. Omnes Bentl. *Homo inquam.* — *Habui* prope me. — *Scortum.* Meretricem. — *Ad id alludere.* Westerh. notat, « *alludere* idem quod annuere, arridere, sed et lasciva manu pertentare. » Justin. I, 4.

426. *Lepus tute es, et...* Both. delet *es et* ex Bentleio. — *Ha ha he.* Alii *ha, ha, hæ.* — *Lepus tute es, et pulpamentum quæris.* Hoc Livio Andronico usurpatum. Origo hujus proverbii varie explicatur. Vel *Lepus* est *juvenis*, quem *amatores* persectantur sicut *canes leporem.* Vel quod lepus a physicis dicitur incerti sexus, ac esse modo mas, modo fœmina. — *Pulpamentum* significat carnes delicatiores, et lautiora obsonia. Pulpa est pars carnosa in corpore animalis, et hic leporis. Intellige : *Lepus carnes desiderat* : Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ. Dicitur in eos, ut ait Perletus, qui ea desiderant ab aliis quæ ipsis affatim sunt domi.

427. *Facete, lepide, laute. Facetus* qui *facit* verbis quod vult ; *lepidus* est, qui politus est, ut λεπίς, id est, lamina. — *Lautus*, qui mundus et splendidus est. Eamdem hyperbolen perstringunt Theophr. charact. et Horat. art. poetic. 428. — *Quid est?* Hæc interrogatio gestum vultumque continet cujusdam alacris, et certi quod laudandus sit. *Do.*

428. *Tuumne, obsecro*, etc. Both. *tuum, obsecro, ne hoc.* Alii, *tuum obsecro te ;* alii, *tuumne obsecro.* — *Credidi.* Guelf. 2. addit *esse.*

429. *Et fertur.* Vet. cod. *effertur.* Lind. — *Fertur*, laudatur. — *In primis*, inter lepidissime dicta.

430. Vult Guyetus hunc versum expungi. Illum Thrasoni tribuunt Ms. Lips. et Græv. qui legit *adolescentulo* pro *adolescenti.* — *Imprudenti*, ed. Mediol. *impudenti.* — *Dolet.* mihi. — *Dictum* illud fuisse. — *Imprudenti*, qui minime crederet cum tali viro sibi rem futuram. *Donat.* — *Libero*, liberaliter educato, et ingenuis parentibus nato. Hæc addidit Parasitus, quo gravius esset Thrasonis dictum. Scit enim homines stultos, malos videri velle.

PA. At te Di perdant! G. Quid ille? Quæso. THR. Perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique
Metuebant omnes jam me. G. Non injuria.
THR. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicata 'st. G. Nil minus.
Immo auge magis suspicionem. THR. Cur? G. Rogas....?
Scin'? Si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat... THR. Sentio.
G. Id ut ne fiat, hæc res sola 'st remedio:
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo; si quando illa dicet; « Phædriam
« Intromittamus commissatum », tu, « Pamphilam

431. *Te* Gnathonem. Hæc Parmeno, indigne ferens tantam adulationem; ut supra, 418. — *Quid ille*, vide supra 417. — *Perditus*, ita conturbatus erat, ut nil responderit.

432. *Emoriri*. Græv. *emori*. We. — *Denique*, uno verbo.

433. *Non injuria*, non sine causa te metuebant.

434. *Purgon' ego me*. Ms. Mark. et Bip. *purgemne*. Br. *purgen*. — *Heus tu*. Ehodum, dic mihi. — *Purgone*. Purgabo ne, Debeo ne me excusare. — *De istac*, quod attinet ad virginem de qua multum locuta est Thais. Præstruuntur autem ad rixam, de qua infra 615 sqq.

435. *Suspicata 'st*. Ed. Med. et Guelf. 3. *suspicatur*. — *Eam me amare*, eam scil. virginem a me amari. — *Nil minus* facere debes, quam te purgare.

436. *Auge magis*. Antesign. *Magis auge*. — *Suspicionem* Thaidis.

437. *Scin'*. Absolute dictum, quasi diceret, *attende mihi*. Monentis est.

438. *Urat*. Proprie dictum de invidia. — *Male*. Misere. — *Sentio*. Intelligo quid dicere velis. Et hac voce interrumpit Gnathonem, ut indicet se dicenti attendere.

439. *Id ut ne fiat*. Scil. ne fiat ut te urere velit Phædriam laudando. — *Hæc*, quam dicam. — *Hæc res*. Incipit hic altera pars totius sententiæ, cujus prior est, *Si quando* etc. omissa voce *sentio*.

440. *Nominabit*. Mark. *nominaverit*. — *Tu Pamphilam*, sub. *nominabis*.

441. *Intromittamus*, admittamus.

442. *Commissatum*. Vult Goveanus Terentium scripsisse *commessatum*. Singulariter pro hoc verbo legit Both. *comis est*. — *Commissatum* epulatum, ut epulatur. Constat *commissationem* fuisse compotationem et amatoriam lasciviam et saltationem, quæ post scenam fieret in multam noctem. Est enim Κῶμος saltus, et Deus nocturnorum tripudiorum præses. Cic. in Catilinam, II, 5. *Perl*. — *Tu Pamph*. Edd. vett. non agnoscunt *tu*, et alii, si

Cantatum provocemus. » Si laudabit hæc
Illius formam, tu hujus contra. Denique
Par pari referto, quod eam mordeat.
THR. Si quidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.
G. Quando illud, quod tu das, exspectat atque amat,
Jam dudum te amat; jam dudum illi facile fit
Quod doleat: metuit semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
THR. Bene dixti: ac mihi istuc non in mentem venerat.

agnoscunt, legunt *cantum*, ut in versum 443 hoc *tu* reponant. — *Tu*, sub. dices.

444. *Illius*, Phædriæ. — *Hujus*, Pamphilæ. — *Contra*, pro tua parte.

445. *Par pari*. Alii, *par pro pari*, sic Br. Zeun. Alii, *par sic pari*; alii, *par mox pari*, deleto *tu*. Both. et Delph. *tu par pari*. — *Mordeat*. Guelf. 1, Delph. Juv. et interpretes gallici *remordeat*. Potest tunc *eam* legi facto monosyllabo. — *Quod eam mordeat*. Ut illud eam mordeat. Cicero, Epist. Fam. I, 9, hoc consilium repungendi lacessentes ad forensia cum gratia transtulit, et citat hos septem versus. *Bæcl.* — Et hic est locus Ciceronis: « Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in judicio quum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet, militi: *ubi nominabit Phædriam*, etc. »

446. *Illud*. Delph. *istud*. — *Si quidem me amaret*. Hæc sunt bene sani hominis, nec abhorrent tamen a gloriosi militis persona. In stultos enim cadit nonnunquam aliquid recti judicii. Gnatho ad priorem vanitatem jam jam eum revocabit quum dicet, *jam dudum te amat*. Præterea, ut ait Donatus, verisimile fit fore ut miles facile ferat anteponi sibi Phædriam, qui se semper intellexerit non amari. Nam si hoc tollas, aut excludendus est Phædria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus.

447. *Quando illud, quod tu das*. Longe aliter Both. *quam dudum, quod tu des*, et in versu sequenti bis *tam dudum* pro *jam dudum*. Alii *quo tu dus*. — *Quando*, siquidem.

448. *Jam dudum te amat*. Antesign. Juv. et Interpp. gallici, *jam dud. amat te*. — *Jam dudum*. Quia jam dudum a te dona accipit. — *Te amat*. Quasi diceret, si non propter te, saltem propter tua te amat. Ordina: Jam dudum facile fit, quod illi doleat. Et intellige *facile*, in promptu. — *Fit*, est, ut sæpe usurpatur.

449. *Metuit*. Duo Leidd. Lips. et Tr. Guelf. 3, omnes Bentl. Br. Both. *metuet*; quod probat Bip. West. notat Mss. et editt. quosdam vetustissimos legere *metuat*. — *Quod doleat*. Quod dolorem afferre possit. — *capit*, ex te.

450. *Iratus tu alio*. Both. *Tu alio iratus*. — *Alio*. Et hic locum pro persona posuit, ne diceret *ad aliam*.

451. Alii *at*. — *Istuc* quod dicis.

G. Ridiculum; non enim cogitaras : cæterum
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

SCENA SECUNDA.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO. PYTHIAS.

Tha. Audire vocem visa sum modo militis.
Atque eccum. Salve, mi Thraso. Thr. O Thais mea!
Meum suavium! Quid agitur? Ecquid nos amas
De fidicina istac? Pa. Quam venuste! Quod dedit
Principium adveniens! Tha. Plurimum merito tuo.

452. *Non enim cogitaras.* In Antesign. et alias, *nec.*— *Ridiculum* est, te dicere. — *Non in mentem venerat;* quia verius esset dicere, *te non cogitasse.* Illud autem interest quod prius dicitur proprie de eo qui rem plane nescit; posterius de eo qui ad rem non animum attendit, quamvis invenire posset.

453. *Idem hoc tute melius.* Bent. reponit *idem hoc aut melius tute.* Both. *id tute melius.* — Post *Thraso* interrogat Bip. et sic Br. — *Idem hoc.* Hoc ipsum. — *Melius*, quam ego.

454. *Audire vocem visa sum modo militis.* Both. *Visa vocem modo sum.* — Post, *militis* C. G. m. addit *Pythias* quod exaratum videtur manu posteriore. Supra scriptum, *o mea ancilla.* Perl. — *Visa sum* sub. *mihi.* Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum judicium. Ergo *visa sum*, sensi, ut Virgil. Æneid. VI, 257. *Donat.* — *Militis.* Vide not. sqq.

455. *Salve, mi Thraso.* Versu præcedenti, ut indicat Donatus, de Thrasone secum locuta, dixerat *militis*, quod nomen non nihil contumeliæ sonat : et nunc præsentem compellans, *Mi Thraso*, dicit, consulto obsequiosa.

456. *Ecquid.* Br. *et quid.* — *Suavium* non hic accipitur pro *osculo*, sed pro ipsa puella, et amatorie dictum est, ut apud Plaut. Stich. act. V, sc. 5 : « Age mulsa mea, suavitudo. » *Farn.*— *Quid agitur* apud te de meis partibus? et alludit ad amorem suum. — *Ecquid*, in quem modum.

457. *De fidicina istac*, propter dono datam istanc fidicinam. — *Quam venuste!* Ironia, pro *quam inepte.* — *Quod dedit principium.* Quale confabulandi initium fecit. Allusio est ad munus tam inficete commemoratum; et hæc Parmeno spectatoribus adversus cum risu.

458. *Plurimum merito tuo.* Callida meretrix amorem suum non ad avaritiam retulit, sed ad officiosam urbanitatem. Supple autem : amo

G. Eamus ergo ad cœnam. Quid stas? PA. Hem, alterum; Abdomini hunc natum dicas. THR. Ubi vis, non moror. 460
PA. Adibo, atque adsimulabo, quasi nunc exeam.

te; non de fidic. ista, sed de tuo ipsius merito.

459. *Eamus ergo ad cœnam.* Decuit Parasitum de cœna, etiam importune, admonere. *Don.* Hæc Bothius Thrasoni tribuit, nec adeo inepte contendit, ostendere hoc Thaidis responsionem. « Nam tanti non erat Gnatho, ut, ubi is vellet, eundum esset. Et plus semel ille inculcat imperatorium suum *eamus*, abeundique impatientiam significat. » — *Ergo*, Quæ quum ita sint; quasi concludere vellet, et colloquium dirimere, ut res major agatur. — *Quid stas.* Quid cessas: hæc ad Thrasonem. — *Hem alterum.* Hæc secum Parmeno, de Gnathone; et dicit *alterum*, quia jam Thrasonem carpserat.

460. *Abdomini hunc natum dicas.* Admodum ingeniosam Bentleii conjecturam post Perletum admisimus. Favet etiam Rhunhk. et Bip. Vulgo, et in nostris omnibus legitur *ex homine*, quod defendit Bothius: « Quamvis dicuntur *abdomini nati*, qui sunt helluones et obesi, quum constet Thrasoni hoc dici, non Gnathoni, cur ille ventri deditus fingatur, nulla causa est. Et sane majus opprobrium est aliquem non hominem haberi, sed bestiam vel lapidem sicut hic, et And. 620, sive ob stuporem, ut Hecyr. 219, 528, Adelph. 581. Quibuscum locis conf. Adelph. 738, 740. Hecyr. 529 sq. Accedit quod nec versui satis convenit *abdomini*. Quare nihil muto. » — *Nunc* pro *hunc* exhibet Guelf. 3. — *Ubi vis, non moror.* Both. Br. legunt *ubi vis, num moror?* — *Abdomini hunc natum dicas* Huic Terentii loco, ita Bentleio restituente, respondet illud Ciceronis, Orat. in Pis. 14: « Num ille gurges atque helluo, *natus abdomini suo* etc. » Huic addo iambicos Plutarchi, Περὶ κόλακ. XV, 93. Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῆ βλέπων Ὀφθαλμὸς, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον. *Perl.* — Mirum est quam varie locum hunc et legerint, et interpretati sint commentatores, quorum jam textum exposuimus. Inter eos præcipue notandus est Bothius, et eum admittit sensum, qui huc afferri mereatur: Quum scilicet hæc *Eamus ergo ad cœnam* etc. Thrasoni tribuerit, *hem alterum*, contendit a Parmenone dici pro: *ecce alterum dictum militis.* — Et pergit explicare: *Ex homine hunc natum dicas*, i.e. *hominem hunc dicas?* cum interrogatione, ut jam supra indicavimus. — Ad postrema hæc verba *Ex homine* etc. ridiculum est quam graviter disputaverit vir cæterum ingeniosissimus *Voiture*. Scilicet vide in notis Dacieriæ, quomodo contenderit non posse Gnathonem ex Thrasone dici natum, quia sit eo junior. — *Ubi vis, non moror.* Hæc Thrasoni melius tribuuntur quam Thaidi, ut fit in pluribus. — *Ubi.* Adverbium loci pro temporis adverbio, sc. *quando*. — *Vis*, pro *voles*, vide infra hanc vocem eodem sensu vs. 464.

461. *Quasi nunc exeam* a domino; et scilicet, jamdudum procul stetit.

Ituran', Thais, quopiam es? Tha. Ehem, Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura. Pa. Quo? Tha. Quid? Hunc non vides?
Pa. Video, et me tædet. Ubi vis, dona adsunt tibi
A Phædria. Thr. Quid stamus? Cur non imus hinc?
Pa. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ volumus, convenire et conloqui.
Thr. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.

462. *Quopiam es.* Dat. Br. *est*, et *hem* pro *ehem*.

463. *Bene fecisti.* Græv. edd. Trev. Mediol. *bene pol fecisti.* Sic et ed. Delph. — Pa. *Quo?* Th. *Quid? hunc non vides?* Both. *Itura.* Pa. *Quo?* Th. *Quo? hunc non vides?*

464. *Dona adsunt tibi.* Ms. Lips. non agnoscit τὸ *tibi.* West.

466. *Ut liceat.* Br. addit *nobis.*

467, 468. *Haud nostris similia. Aut* Perizonio placebat, et Faerno; qui ironice accipiunt. Notandum est antiquitatem littera *h* carere. *Perl.* — *Dona.* Invenitur etiam *munera* in scriptis exemplaribus. — Optime totum hunc dialogum expedit Bœclerus, et nihil satius est quam ea referre quæ dixit: « Thais ad Parmenonem accedentem quodam modo conversa propius, interroganti respondet blande, id est more meretricio, gratulata adventum conspectumque, *Ehem Parmeno, bene fecisti*, sc. quod advenisti; si enim paululum cessasses, non reperisses me domi. — *Hodie itura.* Nam quod me interrogas, iturane quopiam sim, hoc quidem die egrediar domo. Quæ quum dicit Thais, et comitate aperta erga servum rivalis, animum militis cupidiorem voluit reddere; et clanculum vocabulo *hodie* Parmenoni demonstrat, non diu se cum milite futuram, neque præter promissum aliquid facturam. Parmeno, in dissimulationem compositus, iterum interrogat, *quo?* itura sc. es. Thais, non exaudiente milite, (qui se tædio servi rivalis aliquantulum averterat) *quid*, inquit, interrogas, an *hunc non vides?* quem nutu oculorum demonstrat. Ecquid oblitus es, quid inter nos de hoc actum sit? Parmeno itidem conscientia rei, familiarius, submisse tamen respondet: *video et me tædet*, ut ex affectu heri sui Phædriæ loquatur. Mox clarius, ut qui audiri a milite hoc vellet: *Ubi vis, dona adsunt tibi a Phædria.* Itaque miles cupiens abducere Thaidem a servo rivalis, donaque ne traderentur efficere, urget Thaidem ut eat, *quid stamus? cur non imus hinc?* Et moræ, et loci tædium, ubi servus rivalis adesset, cui Thais auscultaret, verba præferunt. Hic occasio Parmenoni oblata, non sine occulta εἰρωνείᾳ deprecandi militem, ne paululam moram ægre ferret, dum dona Phædriæ traderentur Thaidi. Qua in re non tam voluntas militis quam præsentia quæsita est, ut donorum excellentia, (poterat enim subdito Eunucho

PA. Res indicabit. Heus jubete istos foras
Exire, quos jussi, ocius. Procede tu huc.
Ex Æthiopia est usque hæc. THR. Hic sunt tres minæ.
G. Vix. PA. Ubi tu es, Dore? Accede huc. Hem Eunuchum tibi,
Quam liberali facie! Quam ætate integra!
TH. Ita me Di ament, honestus est. PA. Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? Quid tu autem, Thraso?
Tacent; satis laudant. Fac periculum in literis;

suo satis confidere Parmeno,) hominem ureret.» *Bœclerus.* — *Haud nostris similia.* Qui scribunt *aut*, admittunt ironiam Thrasonis in dicendo: Sed satius est admitti *haud*, ut rudem in modum proferat rem miles.

469. *Heus jubete* etc. Conservis acclamat domi suæ.

470. *Quos jussi, ocius. Procede*, etc. Bip. τὸ *ocius* cum *procede*, non cum *jussi* jungit: *jussi. Ocius pr.* — *Quos jussi*, subaudi *parari.* Vide supra vs. 394, ubi dixerat Parmeno, se omnia instruxisse, ut ex tempore servi adducerentur. — *Ocius*, refer ad *exire.* — *Procede*, Accede propius. — *Tu.* Versus sq. indicat Æthiopissam compellari.

471. *Usque.* Penitus; i. e. ex ultima Æthiopia. Vertit Dacieria accurate magis quam eleganter, «*du fin fonds de l'Éthiopie.*» — *Hic sunt tres minæ.* In hac serva est pretium trium minarum. i. e, ejus est pretii quod non superet tres minas. Hoc ad Thaidem Thraso dicit, ut pretii vilitate, doni gratiam minuat.

472. *Vix* in ea tale est pretium. Est vere hoc dictum parasiticæ assentationi bene consentaneum. — *Ubi tu es.* Tanquam quærat eum, ut nomen indicet. *Don.* — *Dore.* Hoc nomine appellat Chæream, qui *Dori* nomine Eunuchi partes agit. — Alloquitur Thaidem et hac voce et gestu, quo Thaidis oculos in Eunuchum convertat. — *Eunuchum tibi*, sub. *offero.*

473. *Liberali facie.* Quæ indicat liberaliter institutum. — *Ætate integra.* Vide Andr. 72.

474. *Ita me Di ament.* Vid. Andr. 948, ubi formula hæc explicatur. — *Honestus*, elegans et formosus.

475. *Numquid habes.* Invenis in eo. — *Contemnas*, reprehendere possis. — *Quid tu autem*, subaudi *ais.* Non sine calliditate rogat sententiam Gnathonis, antequam Thrasonis, ratus si militem primum interrogaret, Parasitum idem omnino responsurum fore, quod ille.

476. *Satis laudant.* MS. Lips. delet *satis.* — *Tacent, satis laudant.* Κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ, Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει. *Menander.* Ita Cicero, in Catil. I, 8:

Fac in palæstra, in musicis : quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.
THR. Ego illum eunuchum, si opus siet, vel sobrius.....
PA. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi cæteros;
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat, neque tibi obstat, quod quidam facit.
Verum ubi molestum non erit, ubi tu voles,

« Dum tacent, clamant. » *Perl.* — Hæc ad spectatores dicit Parmeno. — *Fac per.*, ad Thaidem se convertit. — *Periculum*, experimentum, quid possit.

477. *Palæstra.* Luctatio a πάλιν *iterum*, et παίω *ferio;* vel a τῆς πάλης, id est, a luctatione; vel a τῷ πάλλειν, id est, a motu urnæ : nam ducta sorte antiqui luctabantur. Palæstra præterea decentiam illam significat, qua status, motus, flexusque corporis ac omnino habitus venustatem quamdam leporemque præ se ferant : quam qui non didicerunt, *apalæstri* dicti sunt : Cicer. orat. ; Quintil. IX, 4. — *Musicis* sub. negotiis, i. e. in rebus quæ ad artem musicam pertinent. Apud Veteres autem, musicam ignorare probro ducebatur. Scilicet servi nonnunquam artes liberales docebantur, quo carius venirent. Hic Parmeno exsequitur jussa Phædriæ, qui dixerat supra vs. 214 : « Munus nostrum ornato verbis, quod poteris. » — *Quæ liberum*, etc. Secundum ea quæ, etc. et refer ad *solertem dabo.* Rebus ipsis ostendam eum peritissimum harum artium. *Ru.*

479. *Si opus siet.* Bent. *Si opus sit.* Br. *sciet*, de qua lectione vult contendere. — *Ego illum eunuchum*, subaudi non dubitarem *fodere*, vel quid tale. (Juven. Sat.) Et est honesta ἔλλειψις propter mulieris præsentiam. — *Si opus siet*, si natura desideraret. — *Vel sobrius.* Adeo scilicet, ut ad libidinem accendendam non opus esset vino. — Adnotant *Alex.* et *Am.* DUVAL : « Quoique ce trait doive paraître extrêmement grossier, même lorsqu'on se rappelle les mœurs des Romains, il est pourtant lancé avec tant d'adresse, qu'il ne peut être bien compris que des hommes corrompus. Térence, en le mettant dans la bouche de Thrason, a sans doute voulu prouver qu'il n'y avait que les hommes de cette espèce qui pussent avouer un tel vice. »

480. *Hæc qui misit.* I. et V. *hic* pro *hæc.* Both. sic omnia mutat, *neque, hæc quæ misit, postulat, soli sibi.* — *Hæc*, sub. munera. — *Qui misit*, i. e. Phædria.

482. *Cicat. suas.* A Guelf. 3. abest *suas.* — *Neque pugnas* etc. Ex obliquo invidiam facit militi, et servat mandata Phædriæ, 214 sq. : « Et istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito. »

483. *Neque tibi obstat* Nec ulla in re tibi est impedimento. — *Quidam*, quem non designat nomine, sed quem satis aperte innuit.

484. *Ubi molest. non erit.* Modeste

Ubi tempus tibi erit, sat habet, tum si recipitur.
THR. Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique. G. Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet, quî parareť alium, hunc perpeti.
PA. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto
Homines: nam qui huic adsentari animum induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.
THR. Jamne imus? TH. Hos prius introducam, et quæ volo,
Simul imperabo, postea continuo exeo.

enim principium dat, non ferociter, non invenuste, ut Thraso, supra, vs. 456, sq.

485. *Tum si recipitur.* Sic Perlet. ex Bentleio. Alii, Both. Valp. invertunt: *si tum.*

486. *Apparet servum hunc* etc. Quum ea omnia quæ dixit Parmeno indicent herum maxime humilem et obsequiosum, non ea militi videntur quæ sint amatoris opulenti quique dona facit; divitiæ enim feroces reddunt et superbos.

487. *Nam hercle nemo posset* etc. Eadem sunt quæ dixerat Thraso, sed ita ut cum Parmenonis contumelia dicantur. Miles dominum solum carpserat; Parasitus, et dominum et servum.

488. *Qui haberet, quî pararet.* Qui hab. unde pararet. — *Hunc pati*, istius modi servum retinere.

489. Both. ex Donato *infra esse.* — *Quem ego esse infra*, etc. Plaut. III, II, 37: *Infimatum infimus;* et Ovidius Trist. V, Eleg. 8, Edition. nostræ vol. VII, pag. 229: « Non adeo cecidi, quamvis dejectus, ut infra Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest. » *Farn.*

490. *Adsentari animum.* Sic Both. et Perl. ex Bentleio — Cæteri omnes *animum adsentari.* — *Huic*, tam stolido militi.

491. *E flamma petere te.* Antesignanus et alii *te petere.* — *E flamma petere te*, etc. In proverbium cessit pro, quidvis, cibi causa, pati ac facere. Catull. 57: *Ipso rapere de rogo cœnam.* Item Lucilius, ut indicet virum omnino nequam, dicit: *mordicus petere* aurum e flamma expediat, e cæno cibum. Notandus est mos Veterum epulas pro infernis in rogum conjicere; unde cibum petere, extremæ mendicitatis et impudentiæ habebatur. Qui parasitus hoc facit, græce dicitur βωμολοχός. *Perl.*

492. *Jamne imus.* Ad cœnam quæ parata est, vide vs. 459. Hæc dicit Thraso Thaidi. — Odium Parmenonis, et stomachum militis ista indicat festinatio, et *Jam*, increpatio moræ est. *Donat.* — *Hos.* Intelligit Æthiopissam, et falsum Eunuchum, quo introducto, magna pars agitur fabulæ. — *Introducam* in domum meam.

493. *Simul* non agnoscit MS. Lips. — *Postea.* Sic libri antiqui: Bemb. Valp. Zeun. *post.* Donatus dicit legi *postea* et *post.* Both. *post huc.* — *Exeo*, exitura sum, ut ad te redeam.

THR. Ego hinc abeo. Tu istanc opperire. PA. Haud convenit,
Una ire cum amica imperatorem in via.
THR. Quid tibi ego multa dicam? Domini similis es.
G. Ha ha he. THR. Quid rides? G. Istud quod dixti modo;
Et illud de Rhodio dictum in mentem quum venit.
Sed Thais exit. THR. Abi præ; cura ut sint domi
Parata. G. Fiat. TH. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si forte huc Chremes advenerit,
Ut ores, primum ut redeat; si id non commodum 'st,

494. *Istanc.* Sic Bent. Zeun. Perl. et Both. qui delet *Ego.* Valp. *istam.* — *Ego hinc abeo.* Parasitum alloquitur. — *Tu*, Gnatho.

495. *Una ire cum amica.* Alii *amica cum.* — Quidam, *in viam.* — *Una ire* etc. Notum est, Græcum hominem ne uxorem quidem ducere in convivium decere, ne dicas meretricem; vid. Nep. præf. §. 6. *Perl.* — *Cum amica imperatorem.* Scoptice *amicam* dixit, non meretricem, *imperatorem*, non militem.

496. *Quid tibi ego multa dicam.* Alii *plura*, alii delent *ego.* — *Domini similis es.* Bentleius suspicatur Terentium scripsisse: *dom. culcita es;* et mox *simia*: quam vocem recepit Bothius, etiam si Perletus judicet, eam minime Terentio urbaniori convenire. — *Quid tibi ego* etc. Non habuit aliud miles stultus, quod responderet cavillanti servo; redit ergo ad illa quæ supra dixit, et sic inepte jocando, servum, injuriæ vice, domino comparat.

497. *Ha, ha, he.* Bent. *Hæ* pro *he.* — *Istud.* Plerique omnes *istuc.* — *Ha ha he.* Arridendo placet Thrasoni, secundum illud, *sed eis ultro arrideo*, cf. 250. *Perl.* — *Istud*, sub. *rideo.* — *Quod dixti modo*, vid. versum præcedentem.

498. *Et illud.* Sic lib. Bemb. Zeunius, Perl. Alii ex quibus Antesignanus, et Valpy non admittunt *quum.* Both. *modo et De Rhodio dictum mi illud in ment. venit.* — *De Rhodio dictum.* Vid. supra vs. 426.

499. *Abi præ;* in aliis, Both. Antesign. *Abi, præcurre.* Exiguo discrimine, quod ad sensum attinet. — *Cura.* Sic Bent. pro *curre* vulgato. Est autem *cura*, Palmerii conjectio egregia.

500. *Fiat.* Donatus, nimis forsan argute, discernit hoc loco *fiat* ab *fiet*, ita dicens: « *faciam*, vel *fiet*, diceret servus; liber vero, *fiat*, tanquam et ipse jubeat sibi. » Simplicius est sumere hic, ut sæpe alibi subjunctivum pro futuro, absque ullo sensu comico. Gallice *soit.*

501. *Forte huc Chremes.* Valp. et Zeun. *Chremes huc forte.* Pro *huc* Bem. *hoc.* Guelf. 1, *fac ut cures.* — *Chremes*, frater Pamphilæ.

502, 503. *Ut ores, primum ut redeat.... Ut maneat* etc. Sic invertit Bent. vulgatam rationem quam dant Zeun. et Valp. Ii scilicet intervertunt inter se et *redeat* et *ma-*

Ut maneat; si id non poterit, ad me adducito.
Py. Ita faciam. Th. Quid? Quid aliud volui dicere?
Ehem, curate istam diligenter virginem :
Domi ut sitis, facite. Thr. Eamus. Th. Vos me sequimini.

SCENA TERTIA.

CHREMES.

Ch. Profecto quanto magis magisque cogito,
Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier.
Jam tum, quum primum jussit me ad se arcessier,

neat. Ordo autem quem sequimur patet e vs. 533, 534 sq. ubi Pythias eodem ordine quæ a Thaide jussa fuerant est exsecuta. — *Ad me*, illuc ubi ero.

504. *Quid? quid aliud* etc. *Quid?* abest a G. et E. M. — *quidquid* pro *quid? quid* Br. — *Quid? quid aliud*, etc. Quasi si esset hoc oblita, tantisper cogitat.

505. *Ehem.* Ed. Delph. *Hem.* — *Ehem.* Voce hac indicat Thaidem meminisse quæ dicenda habeat. Gallice, *ah! j'y suis.* — *Curate.* Ancillas alloquitur.

506. *Domi ut sitis.* Zeun. Valp. Both. *adsitis*, omisso *ut.* — *Eamus.* Hæc ad Thaidem. — *Vos me sequimini.* Ancillas quasdam appellat, quæ ipsam bonoris causa sectarentur: Pythias manet in theatro, ne vacuum sit; quasi pro foribus Thaidis Chremetem exspectans. *Juv.* — Summo cum artificio Poeta hos Thaidi jussus tribuit, quos omnino, et ex ordine, negligent, vide infra, vs. 595, 599.

507. Chremes. *Profecto* etc. Chremes, frater Pamphilæ, sed inscius, sibi a Thaide metuit ne se ad eam amandam allicere conetur; deinde ne villam quam Sunii habet, subducere tentet; aut ne velit contendere se ejus esse sororem, quam olim parvulam amiserat. Et cuncta, ut suspicax est, maligne interpretatur. *Ed. Delph.*

508. *Nimir. dabit* etc. Inconsequens est oratio juvenis, et ut rectus stet ordo, sic supple: «tanto magis video hanc Thaidem nimirum mihi daturam etc.» — *Nimirum*, sine dubio, profecto.

509. *Labefactarier.* Guy. substituit *tractarier.* Quod attinet ad ordinem verborum, Zeun. Valp. Perl. ordinem nostrum sequuntur. Both. *ita me astute ab ea vid. lab.* Bent. et Br. *Ita me ab ea ast. vid. lab.* — *Ita*, dictum per epiphonema. — *Labefactarier.* Tentari, et concuti; agitari in omnem partem. *Juv.*

510. *Jussit me ad se arcessier.* Both. insigniter legit *jusserat me ad se domum*, et addit: «non glossematis speciem habet *domum.* Eleganter abest

(Roget quis, quid tibi cum ea? Ne noram quidem.)
Ubi veni, causam, ut ibi manerem, repperit:
Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. Jam erat tum suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia. Ipsa accumbere
Mecum; mihi sese dare; sermonem quærere.
Ubi friget, huc evasit: quam pridem pater
Mi et mater mortui essent. Dico, jam diu.
Rus Sunii ecquod habeam, et quam longe a mari?
Credo ei placere hoc, sperat se a me avellere.

arcessi sicut *salvere* And. 534. » — *Jam tum.* Ut jam nunc incipiam. Initium est plura enumeraturi.

511. *Cum ea.* Sic Perl. et Br. Sed Guelf. 2. Zeun. Valp. Both. *cum illa.*

512. *Causam,* prætextum, quem versu sequenti explicat.—*Ibi,* apud se. — *Manerem,* cœnarem, vid. infra 622. *Perl.*

513. *Rem divinam fecisse.* Quidam Mss. et impressi, *fecisse se.* Alii *fec. sese.* — *Rem divinam fecisse.* H. e. sacrificasse. Hec. 189. — *Rem seriam,* vel magnam. Solebant autem antiqui *res serias* et magnas a sacrificiis fere auspicari.

514. *Jam erat tum.* Sic Perl. ex Bent. qui collocat per accentus, *Jám erat túm* pro, *Jam tum erat* quod dant Zeun. Valp. Both. — *Suspicio;* mihi.

515. *Accumbere.* Ms. Lips. *accumbebat.* — *Dolo malo.* Significat: «Quum esset aliud simulatum, aliud actum.» Vid. Cic. de Off. III, XIV. *Dolus,* græce δόλος, Iasio. — *Accumbere,* ad mensam.

516. *Mihi.* Br. *mihique.* — *Mihi sese dare.* Familiariter mecum agere. Et non potest magis significari profusa petulantia. *Don.* — *Sermonem quærere.* Loquendi materiam captare.

517. *Ubi friget.* Subauditur *oratio;* non *Thais,* ut quidam putant. — *Huc evasit.* Huc loquendo progressa est, ut quæreret, etc.

518. *Dico,* Guelf. 3, *diu.*

519. *Sunii.* Both. ex Bent. *Sunio.* — *Ecquod* Zeun. *Ecquid.* — *Habeam.* Sic Both. Perl. ex libris antiquis. Valp. *haberem.* — *Ecquod.* An quodpiam. — *Sunii,* hodie *Capo delle colonne.* Vid. supra 115. — Et *quam longe,* subaudi *distaret.* Sic interrogat Thais, ut ex ipso Chremete audiat, an vere rapta fuerit virgo a prædonibus. Supra, 115 seqq. — Hæc omnia ex argumento quærit Thais. Cujus consilium dum ignorat Chremes, meræ garrulitatis omnia esse existimat. Hic autem error diligentissima suspicione tractatus, leporis habet non parum. *Bæclerus.*

520. *Credo ei placere hoc, sperat* etc. Br. et alii post *placere,* non post *hoc* pungunt: *Credo ei placere: hoc sperat* etc. — *Se a me avellere.* MS. Mark. *se posse a me.* West. *Se postea a me* Vet. cod. Lind. *Se posse* Guelf. 1, 3. — *Hoc,* sub. *rus.* — *Avellere,* pro *avulsuram.* Itidem infra 919. — *Avellere,* per dolosas blanditias.

Postremo, ecqua inde parva periisset soror;
Ecquis cum ea una; ecquid habuisset quum periit;
Ecquis eam posset noscere. Hæc cur quæritet?

521. *Ecqua inde.* M. et E. T. *hæc qua in die*, corrupte, ut videtur. *West.* Antesign. *ecqua in die.* — *Periisset.* Antesign. et Valp. *Perisset.* — *Ecqua*, an aliqua. — *Inde periisset*, intellige: « Sunio abrepta fuisset. » Vide supra vs. 115, pag. 145 Juven. edit. Delph. et Dacieria, sumunt *inde* pro *postea;* sed est hic loci, non temporis adverbium, et intelligitur de *Sunio*, vs. 519.

522. *Ecquid habuisset.* Valp. Zeun. *Quid hab.* Sed legimus, ut cæteri, *ecquid h.* ex Bent. Bip. Both. Perl. — *Quum periit.* Ien. cod. *quod habuiss. comperit.* — *Ecquis cum ea una.* Num quis sorori adstaret, quum abrepta fuit a prædonibus. — *Ecquid habuisset.* Inde liquido ad annulos respicitur aliave insignia, a quibus posset cognosci puella. De his autem interrogat Thais, quia domi habet istiusmodi monumenta, unde sperat agnoscendam esse Pamphilam. Vid. infra 752. — *Quum periit*, vide vs. 521.

523. *Hæc cur quæritet?* Non interrogat Br. ad finem: et ad vocem *quæritet*, glossa in eo cod. habet *nescio.* Vi hujus glossæ, ait Bruns., signum interrog. in MS. deest. — *Ecquis*, Num quis. — *Hæc cur quæritet.* Miro cum artificio inducitur huc Chremes, quasi nesciat omnino quorsum pertineant Thaidis percontationes. Sed est revera causa quæ sequitur: Jamdudum Thais sciebat, vs. 111, quodnam nomen habesent mater et pater Pamphilæ. Postquam Athenis sedem constituit, facile discere potuit ad quam familiam pertineret hæc puella. Ergo apprime sciebat Chremetem esse Pamphilæ fratrem, et eum ex omnibus propinquis unum superstitem. Ecce autem ex insperato venit in Thrasonis potestatem Pamphila ipsa, quam a Thaidis patruo venditam, vs. 134, emerat. Quamvis miles nondum eam Thaidi dono dedisset, Thais tamen potuit ex indiciis certis quæ dederat Thraso super venditore, super loco, super ætate virginis, agnoscere eam esse Pamphilam, quacum diu vixerat et quasi cum sorore, vs. 146. Ex hoc Thaidem cupido bona incessit eam *suis restituendi ac reddendi.* Et vidimus eam submovere aliquantisper Phædriam, ut Thrasoni uni morem gerens, puellam, promissum donum, obtineat. Nec tamen abstinuit ea persequi indicia quæ penes ipsam erant. Chremetem ergo arcessitum sedula meretrix interrogat, *num Sunii rus habeat*, quia a Sunio puella abrepta fuerat; *ecqua inde* etc. ut comperiat num vere sit frater; *ecquid habuisset*, ut fiat certior, num concordent cum insignibus quæ pretiose in cistella inclusit, vs. 752, ea quæ narrari poterit gestasse parvulam; *ecquis cum ea una; ecquis eam posset noscere*, ut si non agnosceret Chremes qui tunc temporis fortasse junior erat, agnosceret saltem quidam, nutrix, verbi gratia, semper adstans puellæ, ut erat Sophrona quæ infra, vs. 922, omnia suo confirmabit testimonio. — Postquam hæc bene (et faxit Deus, nobis in plano om-

Nisi si illa forte, quæ olim periit parvola,
Eam sese intendit esse, ut est audacia.
Verum ea si vivit, annos nata 'st sedecim,
Non major. Thais, quam ego sum, majuscula 'st.
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat quid volt, aut molesta ne siet,
Non hercle veniam tertio. Heus, heus!

SCENA QUARTA.

PYTHIAS. CHREMES.

Py. Ecquis hic?
Ch. Ego sum Chremes. Py. O capitulum lepidissimum!

nium interpretum silentio adjuvantibus!) intellexeris, mirare quantum artis habeat comicus ille terror Chremetis cui, dum metuit mœcham, paratur restituenda soror.

524. *Nisi si illa.* Sic Fa. Bent. et post eos Both. Perl. Valp. — Dant *Nisi illa* Antes. Bemb. G. et E. M. — *Nisi sit* Zeun. quod esse in edit. notat Bruns. — *Nisi illa si* ed. Delph. — *Illa.* Thais.

525. Versum hunc incipit *Soror* apud Antes. Zeun. Valp. Delent ex Bentl. Both. Perl. — *Eam sese.* Sic Be. ex Prisciano. Vulg. *hanc se.* Perl.

526. *Ut est ea audacia*, pro illius audacia.

527. *Quam ego sum.* Fa. et Bent. *Ego quam sum* ex codd. *Bip.* — *Majuscula.* Deminutivum est a nomine *major.* Itidemque in comparatione, a Plinio usurpatur, H. N. XXVI, 6. « Folia sunt *majuscula* quam hederæ. »

528. *Ut venirem, serio.* Non distinguit Br. ante *serio.* Prætextu rei seriæ et gravissimæ.

529. *Quid volt.* Sic Be. pro *quod* vulg. Placet ob *dicat* Perl. qui *id* dat cum Br. Both. et R. D. *Quid velit.* E. P. — *Molesta ne.* Invertunt M. E. T. *West.* — *Aut molesta ne siet,* in posterum, me arcessendo.

530. *Heus, heus! Ecquis hic? Ego sum Chremes.* Donatum hæc omnia uni Chremeti tribuere, observat Faernus. — *Ecquis hic.* Sic Fa. Be. Zeun. Both. Perl. Valp. Tr. *Et quis hic est?* Quatuor Leidd. et Br. *Ecquis hic est?* Alii *quis hic est; Ecquis est.* Antes. et Ed Delph. *hic quis est.* In l. antiq. *hic quid est.* Ad hæc, scena continuat in omnibus editis. Nos vero abrupimus, sicut exhibet Gallicus interpres *Lemonnier.* — *Heus, heus!* Hæc separatim pronuntiantur; nam apparet inter hæc verba eum Thaidis januam pulsare. — *Ecquis hic.* Ab interiore domo.

531. *O capitulum lepidissimum.*

CH. Dico ego mi insidias fieri. PY. Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. CH. Rus eo.
PY. Fac, amabo. CH. Non possum, inquam. PY. At tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. CH. Nil minus. PY. Cur, mi Chremes? 535
CH. Malam in rem hinc ibis? PY. Si istuc ita certum 'st tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa 'st. CH. Eo.
PY. Abi, Dorias! Cito hunc deduc ad militem.

Vox sincera blandientis Pythiæ, viro exspectato.

532. *Mi insidias fieri.* Interrogant post *fieri* Bent. Bip. Both. et hic legit *mihi fieri insidias?* — *Dico ego mi insidias fieri.* Blandimenta rusticus insidias sibi structas suspicatur. Menander: τότε τὰς γυναῖκας δεδιέναι μάλιστα δεῖ, ὅταν περιπλάττωσι τοῖς χρηστοῖς λόγοις. Farnab.

533. *Maxumo opere.* Maxime, sicut dicitur *magnopere*, ut est hic superlativus. — *Te orabat*, subaudi, quum misit nuper ad te, vs. 510. — *Rus eo.* His indicat se non invisurum esse cras Thaidem; et notat Bœclerus hæc omnia rusticæ ferociæ apta poni.

534. *At tu ap. n. hic mane.* Pronomen *tu* delet Antesignanus. — *Fac*, i. e. cras redeas. — *Amabo*, vid. supra, vs. 130. — *At*, at saltem.

535. *Cur, mi Chremes? Cur* abest a Guelf. 2. *Chreme* Both. — *Dum redeat ipsa*, sub. Thais. Hæc Pythias, blandius ad eum accedens. — *Nil minus.* Deest *faciam*, ex Donato. Nihil est, ad quod faciendum sim minus consentiens.

536. *Malam in rem hinc ibis.* Sic Perlet. ex MS. Lips. et Leidd. quatuor. Vulgo *abis*. West. *Malam rem! abis hinc.* — Bip. *Malam in rem hinc abi.*—Bent. Zeun. Both. *Malam rem hinc ibis.* — *Malam in rem ibis?* Vid. Andria, vs. 518. Hyperbolice pro: Num tandem me conspectu tuo liberabis. Confirmatur his Chremetem manu tactum esse, qui sic irascitur. — *Istuc*, quod dicis, te manere nolle.

537. *Ubi illa est.* Mallet Westerhovius hæc magis distinguere a superioribus, et legere: *ibi illa est.* — *Amabo, ut* etc. *Amare* hic pro, amanter precari, et a caro homine rogare et optare. Plaut. «*Amare* ait Te multum Erotium, ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas.» *Rob. Steph.*

538. *Deduc.* Alii *abduc.* Antes. Valp. Zeun. *Deduce.* — *Dorias.* Muta hic adstiterat persona.

SCENA QUINTA.

ANTIPHO.

Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piræo,
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum 'st.
Præteriit tempus; quo in loco dictum 'st, parati nihil est.
Homo ipse nusquam est; neque scio quid dicam, aut quid conjectem.
Nunc mi hoc negoti cæteri dedere, ut illum quæram.
Idque adeo visam, si domi 'st. Sed quisnam a Thaide exit?
Is est? an non est? Ipsus est. Quid hoc hominis? Quid hoc ornati 'st?

539. *In Piræo.* De scriptura hujus nominis vid. supra, vs. 290, pag. 167. Quod ad casum attinet, omnes libri *Piræo*, non, ut nunc legitur apud Cic. ad Attic. VII, 3, *Piræum*. Is enim, qui provocaverat ad hunc versum, ut errorem grammaticum a se admissum excusaret, in defensione memoria lapsus videtur. *Bip.* — *Coiimus*, consensimus ac pepigimus.

540. *Ut de symb.* Perlet. delet *ut*. — *De symbolis essemus.* Ita Græci, ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν. — *Essemus.* Sc. ederemus. — *Chæream ei rei præfec.* Qui communi cœnæ præficiebatur a reliquis, græce dicitur συμποσίαρχος, latine *symbolarum collator*; Plaut. Curc. IV, 1, 13.

541. *Dati annuli.* In sponsionibus olim, *annuli dati*. Vid. Plin. H. N. XXXIII, 1. Add. Kirchmann. de Annulis, cap. XVIII. *Perl.*

542. *Dictum 'st.* Br. *dictum*. — *Præteriit tempus* constitutum. — *Quo in loco dict. par. nihil est.* Nihil præparatum reperio in loco, in quo decretum fuerat nos epulaturos.

543. *Nusquam est.* Both. delet *est*. — *Homo ipse.* Chærea scilicet, quem præfecerant cœnæ apparandæ. — *Quid dicam*, subaudi, sociis qui mihi mandaverunt, ut illum quæram. — *Conjectem* intra me.

544. *Ut illum.* Sic omnes codd. Bentl. et Edd. vett. Alii *illum ut*.

545. *Idque adeo visam, si domi 'st.* Bip. Guelf. 3.—Br. *ibo ad eum, visam*, etc.— *Sed quisnam a Thaide.* Sic Both. Perl. — Antes. et Zeun. *Quisn. hinc a Th.*—Valp. *Quisn. hic a Th.* omnes, deleto *sed*. — *Id*, ob id, propterea.—*Visam*, visum ibo.

546. *Is est.* C. I. *ipse est.*— *Quid hoc ornati 'st?* Vulg. *Qui hic ornatu' est.* — *Is est? An non est?* etc. Hæc

Quid illud mali 'st? Nequeo satis mirari, neque conjicere.
Nisi, quidquid est, procul hinc lubet prius quid sit sciscitari.

SCENA SEXTA.

CHÆREA. ANTIPHO.

CH. Numquis hic est? Nemo est. Numquis hinc me sequitur? Nemo homo 'st.
Jamne rumpere hoc licet mihi gaudium? Pro Jupiter!
Nunc est profecto, interfici quum perpeti me possum,

sunt verba et habitum et formam Eunuchi mirantis in Chærea. — *Quid hoc hominis.* Quenam est hæc species hominis.

547. *Quid illud mali 'st.* Quid est illud malum, quod potest ei accidisse. Sic loquitur Antipho, quia juvenis timidus egreditur.

548. *Nisi quidquid*, etc. Sed qualecumque sit illud, longe hinc a publica via, et semotis arbitris illud clam volo visere, priusquam ad illum accedam. *Nisi* pro *sed* invenitur apud Cic. lib. XI, ad Atticum epist. 23; lib. XIII, Fam. epist. 15; et eodem libro epist. 74.

549. *Numquis hic est*, etc. Legit Bothius: *numquis hic? nemo. Num me quis hinc? nemo homo est.* Nos omnino Perletum ex ceteris omnibus secuti sumus. — *Numquis hic est?* Hæc verba sunt Chæreæ ex ædibus Thaidis, vestitu Eunuchi paulo progressi et respicientis cum trepidatione, num quis sit obvius in platea. — *Nemo est.* Non viso Antiphone animum confirmat. — *Hinc sequitur*, egressus e Thaidis domo. — *Nemo* pro *nullus*: nullus homo est. Duo metuit, ne quis obvius comprehensor occurrat, et ne quis sui persecutor exsistat.

550. *Rumpere.* Legunt *erumpere* Antesig. Zeun. Valp. Nos post Perletum ex Nonio, *rump.* — *Gaudium.* Bentleius omittit *gaudium* quod idem ait esse ex versu 552 repetitum. Sed nescio cur tantopere ille habeat repetitiones suspectas. *Perl.* — *Pro Jupiter!* Levi mutatione Both. *proh Jup.* — *Jam me*, num tandem. — *Rumpere.* Nonius Marcellus docet *rumpere esse*, retentum proferre, et diu tacita dicere. — *Hoc gaudium*, quod sentio propter felicem furti mei exitum, vide supra vs. 452.

551. *Nunc est profecto.* Editi quidam et interpretes gallici *nunc tempus profecto.* Alii *nunc tempus profecto est*; inter eos, Ed. Delph. qui intervertit, *me possum interfici.* Editio Veneta in Donati notis legit *possim*, quod haud scio, an sit elegantius. *West.* — *Nunc.* Scilicet quum ego fastigium voluptatis contigerim; uti Don. exponit: *Nunc*

Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur, quoquo eam; rogitando obtundat, enicet:
Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim anne insaniam?
ANT. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

est profecto tempus, *quum perpeti me possum interf.* Huc refer Valer. Max. II, 6: «Nota, inquit, insaniam Veterum. Ut *gaudia* sua continuarent, morte illa terminarunt.» *Perl.*

552. *Vita.* Mark. *vitam:* quomodo et impressi quidam veteres. *We.* — *Ne hoc gaudium*, etc. Sensus: nunc eo usque perveni, ut interfici me perpeti mallem, quam gaudium hoc ægritudine vitæ aliqua contaminari. Est vero similis exultatio Pamphili adolescentis, in Andr. 961 sq. Add. Tit. Liv. VII, 34: «Hoc gaudium magna prope clade fædatum est». Ibid. I, 58. — *Gaudium*, sc. venereum. Haud aliter hoc loco. *Perl.* — *Contaminet vita ægr. aliq.* Mire vitæ crimen ostendit, velut ipsa sit campus, possessioque fortunæ instabilis variorum. *Donat.*

553. *Neminemne.* Alii tollunt interrogationem *ne.* Br. *neminem hic cur.* — *Intervenire nunc mihi.* C. G. m. *video.* Nisi glossa confunditur et textus. *Perl.* — *Sed neminem*, etc. Excusso omni metu, et in priori lætitiæ impetu, cupit obvium sibi dari aliquem, cui rem felicem enarret.

554. *Qui me sequatur, quoquo eam;* Valp. et Zeun. ita interpungunt ut hæc, *quoque eam*, non referantur ad *qui me sequatur.* — Guyetus ex MS. Lips. *qui me sequatur, quique jam rogitando*, etc. In hac lectione mallet West. *quique me rogitando.* — *Enicet.* Sic nos ex Both. et Perl. Alii, *enecet.* — *Rogitando obtundat, enicet.* Quamvis prima fronte hæc videantur parum convenire cupienti testem, et repugnare interpretationi quam admisimus, non est tam contra naturam si quis, inter bonas fortunas, non reformidet interrogationes vel molestissimi percunctatoris, ut modo liceat felicitatis suæ consciam facere, et pectus quasi dilatare.

555. *Unde emergam.* Guelf. 2. *aut unde em.* — *Quid gestiam*, etc. Refer hanc interrogationem et cæteras ad *rogitando.* — *Gestiam. Gestire* est gestibus et motu corporis magnum animi affectum declarare. *Westerh.* — *Unde emergam.* Unde aufugerim.

556. *Anne insaniam.* Notat Antesign. in quibusdam, post hæc, reponi interrogationis signum. — *Quid mihi quæram.* Quid velim, quid moliar. *Mihi* abundat phrasi attica, et tamen ad elegantiam facit.

557. *Ab eo.* Alii *adeo.* — *Adibo*

Chærea, quid est? Quod sic gestis? Quid sibi hic vestitus quærit?
Quid est, quod lætus sis? Quid tibi vis? Satin' sanus? Quid me adspectas?
Quid taces? CH. O festus dies hominis! Amice, salve.
Nemo 'st hominum, quem ego nunc magis videre cuperem, quam te.

etc. Hæc secum Antipho, qui stat seorsum. — *Ab eo gratiam hanc inibo*, pro *ejus gratiam merebor*. Nam *ab eo* amat Terentius pro *ejus* ponere.

558. *Quid est? quod sic gestis?* Post *quid est* leviter tantum et sine interrogationis signo pungunt Both. et Valp. — *Quod sic gestis.* Both. delet *sic.* — *Quid sibi hic.* Vett. aliquot libri disjunctionem præbent *quid ve*, etc. alii, *aut quid.* — *Quod*, propter *quod*.

559. *Lætus sis.* Bentl. et Bip. volunt legi *lætus es.* Priora versus verba delet Both. et legit *Quid lætus est?* —*Satin' sanus.* Guelf. 2, 3, *Sanus es.* — *Adspectas.* Verbum hoc Bip. cum ed. Delph. trudit in versum 560. — *Quid me adspectas?* Observes quantus artifex sit poeta noster in describendo et ob oculos ponendo immodico illo affectu, quo elatus adolescens, inanique lætitia exsultans et temere gestiens, suo animo morem gerit. Antea desideravit cui narraret fortunas suas. Nunc, voti compos, non statim sermonem expedit præ magnitudine exundantis lætitiæ. Dum erumpere quærit affectus, se moratur ipse. Antiphonis personam adducit poeta, cui hæc narrarentur: Juvenem et familiariter notum ad juvenilem et familiarem auscultationem. Finge aliam personam cui narraret ista, non posset narratio talis esse qualem poeta hic argumenti ergo esse voluit. *Bæclerus.*

560. *Quid taces.* Bent. *Quid dices?* Both. *Taces quid.* — *O festus dies hominis* Guyetus Eugraph. secutus expungit τὸ hominis. Conjicit West. fortasse legendum *o festus dies? homo me! amice salve* vel, *o festus dies! O mi amice salve.* Subtiliores quidam editorum, *o festus dies homini*, et *o festus dies ominis.* Bentleius, Gessner et Cl. Oudend. putabant, in Thes. Lat., voc. *Festus. O festus dies! o meus amicus*, scilicet *dies.* — *O festus dies hominis!* O faustum et similem diei festo diem, quo te offendo. — *Dies festus* hominis pro, homo festi diei, secundum Donat. vel, o Diem faustum et festum, si quis homini potest unquam illucescere. Notat Perletus Græcos dicere καλημέρους viros hujus modi.

561. *Nemo 'st hominum*, Codd. Bent. *omnium* pro *hominum*, et sic Bothius. Cæterum vide infra vers. 757. — *Videre cuperem.* Valp. *cuperem videre.* Both. longe aliter, *magis videre quam te cupiam.* Notandum est in Bemb. et compluribus aliis hunc versum et duo præcedentes, et varie ordinari. — *Nemo est hominum.* Cf. Andr. 964. — *Quem cuperem*, quem cupere poteram.

A. Narra istuc, quæso, quid sit. Ch. Immo ego te obsecro hercle, ut audias.
Nostin' hanc, quam amat frater? A. Novi: nempe, opinor, Thaidem.
Ch. Istam ipsam. A. Sic commemineram. Ch. Hodie quædam est ei dono data
Virgo. Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem aut laudem, Antipho,
Quum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. A. Ain' tu? Ch. Primam dices, scio, si videris.
Quid multa verba? Amare cœpi. Forte fortuna domi
Erat quidam eunuchus, quem mercatus frater fuerat Thaidi;

562. *Ut audias.* Mark. adjicit *istuc.* — *Istuc.* Quod tibi evenit tam feliciter. — *Immo ego te*, etc. Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandam, ut solet, narrationem futuram.

563. *Opinor* Mark. Guelf. 2, 3, *ut opinor.*

564. *Hodie quædam.* Alii bene multi, *quædam hodie.* — *Sic commemineram*, i. e. noveram.

565. *Quid ego ejus.* Beat. *ejus quid ego.* Both. *quod ego tibi ejus.* Br. *quid ejus nunc tibi*, omisso *ego.* — *Prædicem aut laudem. Prædicamus* ut res sunt; *laudamus* extollendo. Vel, *prædicamus* voce, *laudamus* argumentis. *Donat.*

566. *Quum me ipsum noris.* Valp. *Quum ipsus me noris.* — *Elegans spectator*, Boni judicii æstimator. — *Formarum*, fœminarum egregia forma.

567. *In hac.* Vulgo *in hanc.* Sed rejicit hanc lect. Westerh. dicens, verba amorem significantia solere ablativo fere jungi cum præpositione. Probat ex Ovidii exemplis. Lectionem Perleti dant Antesign. Zeun. Both. Valp. et interpretes Gallici. — *Scio.* Vocem hanc non habet Guelf. 2. — *In hac com. s.* Itid. Græcorum. ἐν ταύτῃ συνεπινόησιν. — *Ain' tu*, dicis ne verum, itane est. — *Primam*, primariam, pulcherrimam.

568. *Amare cœpi.* Vetus quidam Puteani codex, *amare hoc cœpi*, et supra legitur *illam.* Hic præterea ita interpungit, ut videatur *forte fortuna* non ad *domi* referre, sed ad *amare cœpi.*—*Domi*, in domo nostra.

569. *Erat quidam Eunuchus.* Bip. *quidam erat eunuchus.* Both. *quidem* per errorem typogr. ut putat Valp. — *Merc. frater fuerat.* Antesign. Zeun. Valp. *merc. fuerat frater.* Sed lectionem quam recepimus exhi-

Neque is deductus etiam tum ad eam. Submonuit me Parmeno
Ibi servus, quod ego arripui. A. Quid id est? CH. Tacitus citius audies:
Ut vestem cum illo mutem, et pro illo jubeam me illoc ducier.
A. Pro eunuchon'? CH. Sic est. A. Quid ut ex ea re tandem caperes commodi?
CH. Rogas? Viderem, audirem, essem una, quacum cupiebam, Antipho.
Num parva causa, aut prava ratio 'st? Traditus sum mulieri.
Illa illico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum,

bent Br. Both. Perl. — *Thaidi.* Ut offerret in donum Thaidi.

570. *Etiam tum.* Sic Antesign. et Mark. Ex Bemb. et post Fa. Sed legit Valp. *etiamdum.* Idem Zeun. et disjuncte. Both. *tum etiam.* — *Adeam.* Guelf. 1, addit *erat.* — *Neque etiam tum*, necdum.

571. *Tacitus.* Varie legitur *tace tu; tacitus sit; tacitus sis, Tace sis; tace dum.* — *Ibi.* In tali re; et est adverbium temporis, non loci. — *Submonuit*, clam dedit mihi consilium. — *Quod ego arripui*, avide amplexus sum. — *Quid id est?* subaudi, quod submonuit. — *Tacitus*, si silentium præbueris.

572. *Et pro illo*, Sic Zeun. Valp. et Perl. Exhibent Antesign. et Both. *ut pro illo.* — *Illoc.* Alii *illuc.* G. Fabric. ex Pal. *illo.* — *Ducier.* Alii *deducier.* — *Ut vestem*, etc. Præcipuum subauditur verbum, *submonuit.* — *Cum illo*, i. e. cum eunucho. — *Illoc*, ad Thaidem.

573. *Quid ut ex ea re.* Sic Both. Abest *ut* a novem Be. codd. Apud Valp. Zeun. Antesign. sedem habet hæc particula post *tandem.* — Pro *quid*, Antesign. *quidnam.* — *Quid ut ex ea re*, etc. Ad quid inde commodi capiendum te submonuit.

574. *Quacum.* Bent. vult legi *quicum*, quod dat Both. — *Essem.* Guelf. 1, *essemque.*

575. *Aut prava ratio est.* Sic Perl. et Both. post Bentleium ex Palmerio. Quæ lectio placeret editori Bipontino, si referre liceat ad *quid ut* etc. in versu 573. Cæterum alii omnes edd. *Parva ratio* quod secuti sunt vertendo interpretes gallici. — *Prava ratio.* Non ingeniosus quem suggessit dolus. Si lectionem *parva* acceperis, intellige, parvi momenti incitamentum. — *Traditus sum mulieri*, ut servum decet. Nimis delicate vertit *Lemonnier* : *On me présente à Thais.*

576. *Læta vero.* Both. *accepit, vero, læta.* Et addit: «transpositum est *vero* de qua figura dixi ad versum 402, verbaque sic construenda: *illa vero illico, ubi me accepit, læta*

Commendat virginem. A. Cui? Tibine? CH. Mihi. A. Satis tuto tamen.
CH. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat, et mi ne abscedam, imperat.
In interiore parte ut maneam solus cum sola. Adnuo
Terram intuens modeste. A. Miser. CH. « Ego, inquit, ad cœnam hinc eo. »
Abducit secum ancillas; paucæ, quæ circum illam essent, manent
Novitiæ puellæ. Continuo hæc adornant, ut lavet.
Adhortor properent. Dum apparatur, virgo in conclavi sedet

ad se abducit domum. » — *Illico ubi*, statim ut.—*Vero*, hic intellige quasi esset *tum*. — *Abducit* ex platea, vid. supra vs. 472.

577. *Satis tuto tamen*. Si per codices liceret, tribueremus hæc Chæreæ. Certe optime cohærent cum proxime sequentibus. — *Commendat virginem*. Comice; quum eadem Thais quæ nunc commendat, paulo post ancillam de eo, *quod ovem lupo commiserit*, valde increpat. Vide infra vs. 835. — *Satis tuto tamen?* Ironice corrigit suspiciosam interrogationem quam modo fecit, *Tibi ne;* et est, quasi diceret: Licet commissa fuerit tibi Chæreæ, i. e. tibi eleganti formarum spectatori, satis fido tutori committebatur.

578. *Mi;* plures alii *mihi*.—Vere comica est antithesis: dum virum arcere jubet quemlibet, me hic statuit.

579. *In interiore parte*. Apud Græcos fœminæ habitare solebant in intima ædium parte, quæ γυναικωνῖτις vocabatur, quo nulli admittebantur nisi cognati, et servi qui eis ministrarent. — *Adnuo*. Nutu tantum promittit; ne verbis prodatur.

580. *Miser*. Adnotat Westerh. quosdam vocem hanc Chæreæ tribuere, et multum gratiæ inde ei adimere. — *Terram intuens modeste*. Pudoris signum et verecundiæ, quo augeat Thaidis fiduciam. Cf. Cic. in Catil. III, 5: de conjuratis: « Sic terram intuebantur. » *Perl.* — *Miser*, ironice, et alludit ad habitum hunc servilis modestiæ et humilitatis plenum.

581. *Quæ*, ut eæ. — *Illam*, virginem nuper emptam.

582. *Novitiæ puellæ*. Leviter pungunt Zeun. et Bip. *novitiæ, puellæ*. — *Hæc adornant*. Mss. Pall. 1, 2, *hæ;* 3, *hæc*. — *Lavet*. Sic omnes nostri edd. Mss. Par. *lavent*. Perl. — *Novitiæ puellæ*, i. e. recens emptæ, et ideo meretriciæ artis plane rudes. — *Hæc*, pro *hæ*, plurali numero dictum, ut jam vidimus. — *Adornant*, Apparant omnia. — *Ut lavet*, absolute dictum, Andr. 484.

583. *Adhortor properent*. Br. C. G. m. *adh. ut prop.* — *Dum apparatur*. Dum fit lotionis apparatus.

Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi; et quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.

—*In cönclavi.* Festo *conclavia* dicuntur loca, quæ una clave clauduntur.

584. *Ubi inerat.* Bœclerus, eumque secuti plures, *ibi inerat;* quomodo est in uno Leid. At τὸ *ubi* vincit numero Mss. et edd. probatissimorum, videturque omnino elegantius. *West.* — *Ubi inerat pictura hæc*, ubi depictum erat id, scil. modus quo Jupiter dicitur, etc.

585. *Quo pacto Danaæ.* Both. *quo Danaes pacto.* Br. Zeun. *Danæ*, errore, ut putat Valp. typographico. — *Misisse.* Sic Antesign. Zeun. Perl. Valp. Sed Both. *immisse*, et τὸ *aiunt* rejicit post *imbrem.* — G. F. *Ninisse;* Palmerius, *nisisse* aut *ninsisse*: quæ Westerhov. tueri necesse non putat. — *Danaæ in gremium.* Hæc fabula de imbre aureo Danaæ in hoc composita est, ut monstraretur nihil esse quod auro et pecunia expugnari non possit. Meminerunt ejusdem, Apollod. II, IV, 1; Ovid. Met. lib. IV, 697, et Horat. Od. III, 16. *Ed. Delph.* — Quæ aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras, quam hæc quæ exemplum continet amoris, et amoris pu-

ellæ, et amoris non gratuiti, sed auro in gremium pluente venalis? *Don.*

586. *Id*, scilicet, quomodo Jupiter miserat, etc.

587. *Impendio magis.* Theod. Marcilius, ad Catull. epigramm. LIX, in Nostro legit *imp. magis magisque.* — *Consimilem ludum*, i. e. dolosi habitus fraudem, similem meæ. — *Impendio.* Idem quod impense, valde, apprime; et hic, *impendio magis*, multo magis.

588. *Deum sese.* Both. *Deum se.* — *In hominem.* Opinatur Bentleius auctorem scripsisse *in aurum* vel *in metallum*, vel, ut Flaccus, *in pretium.* — *Atque.* Both. *et.* — *In alienas teg.* Antesign. et Both. ex Bent. *per alienas teg. Deum sese in hominem*, etc. — Ex his colligi potest, una tabulæ parte imbrem aureum esse depictum, altera vero Jovem qui humana forma indutus, via auro aperta, introibat. Non ergo ipse Jupiter, ut nunc, in imbrem conversus repræsentabatur. — *In alienas tegulas*, in tecta aliorum; et *tegulas* dicit, pro tecta quæ tegulis constant.

589. *Per impluvium.* Both. *per*

At quem Deum! qui templa cæli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non fecerim? Ego illud vero ita feci ac lubens.
Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
It, lavit, redit; deinde eam in lectum illæ collocant.
Sto exspectans, si quid mihi imperent. Venit una: « Heus tu, inquit, Dore,
« Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito, dum lavamur;

pluvium ex Bentleio. — *Impluvium* est, Festo auctore, quo aqua impluit, collecta e tecto. — *Fucum factum*, ut fucum faceret; et est supinus, non participium, ut opinatur Perletus. — *Fucus*, adulterinus color est, quo maxime mulieres annos solent celare. Unde pro *fraude* accipitur et *dolo*. Cic. Læl. §. 95. *Perl.*

590. *Summa*. Ed. prim. *Summo*. We. — *Sonitu*. Be. magis placet *nutu*, sed *sonitus* capiendum pro, tonitru. — *At quem Deum!* Ponitur hic accusativus, quia sequitur de totius sententiæ ratione, *Deum sese in hominem* etc. — *Templa cæli*, etc. Poetice pro *cælum*. Significat autem *templum* regionem cæli, quam auspicia capturi augures, non manu sed lituo definiebant, et notabant secundum quatuor cardines mundi. Hæc est antiqua significatio. Liv. I, 6. Inde Tacitus, Germ. XL, 6. *Perlet.* — *Sonitu concutit*. Ovid. Met. II, 849: « Qui nutu concutit orbem. » *Perl.* — Hunc locum citat Div. Augustinus, de Civit. Dei, II, 12, ubi increpat Terentium, qui flagitio Jovis Optimi Maximi adolescentium nequitiam concitaret. *Fab.*

591. *Hoc non fecerim*. Antesign. et Valp. *non facerem*. Both. *hoc non faxim*. — *Ita feci*. Sic Antesign. Zeun. Valp. Perl. Legit Both. *item*. Bip. *ego vero illud faxim lubens*. Ed. Delph. *ego vero illud feci*. — *Homuncio*. Hac Chærea usus est voce, ut vilitatem hominis majestati Jovis summi opponeret. *Perl.* — *Illud ita*, pleonasmus est, quasi esset, *illud item*.

592. *Arcessitur*. Br. Bent. *accersitur*. — *Arcessitur lavatum*. Alluditur ad morem Græcorum, quo, ante nuptias, sponsus pariter ac sponsa solemni ritu corpus suum lavarent; Cf. Æschylum, Prometh. vs. 556. edit. Schüz. Poeta nimirum de virgine quasi de nuptura dicit, quæ mox Chæream nupsit. *Perl.*

593. *It*. Both. *iit*, et paulo post, *rediit*. — *In lectum*. Antesign. et Don. *in lecto*. Faërnus arbitratur legi posse *in lectu* antiqua declinatione. — Varii editores *eam*. Dant alii *illam*. — *Eam in lectum*, etc. A balneis in lectum se recipere moris erat, ut se reficerent a lassitudine et sudore. *Fab.* Catull. Carm. 61, 186.

594. *Exspectans*. Mark. *spectans*. — *Una* ex ancillis.

595. *Et ventulum*. Zeun. omittit *et*. — *Lavamur*. Sic Antesign. Both. et

« Ubi nos lavèrimus, si voles, lavato. » Accipio tristis.
ANT. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum.
CH. Vix elocuta 'st hoc, foras simul omnes proruunt se;
Abeunt lavatum; perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus virginem opprimit; ego limis specto
Sic per flabellum clanculum. Simul alia circumspecto,

Perl. Sed Zeun. Valp. *lavamus*. — *Flabellum*, etc. cujus erat usus, ut adstans aliquis ventulum faceret, simul refrigerandi causa et abigendorum culicum et muscarum. Παρὰ βόστρυχον αὔραν, αὔραν, Ἑλένας, Ἑλένας, ὑπαγεῖ κώπλῳ πτερύνῳ πρὸ παρηίδος αἴσσων. Euripid. Orest. *Farn.* — *Ventulum huic sic facito*. Hæc cum gestu explicanti pronunciat serva quæ tradit flabellum.

596. *Accipio tristis*. Bene *tristis*, tanquam aliud magis vellet, hoc est, lavare, aut ludere: Metuit enim ne quod cupit, prodatur gaudio. *Donat.*

597. *Tum equidem*. « Hel. *tum quidem*; bene. » *Both.* qui tamen lectionem nostram retinet. — *Nimium*, immodice, magnopere. — *Vellem*, voluissem.

598. *Qui esset status*. Alii, *quis ess.* Both. *qui status erat*. — *Flabellulum*. Sic Antesign. Bip. Delph. Both. At Perl. dat *flabellum* post Faernum, Valp. — *Qui*, qualis. — *Esset status tenere te*. Status tui, asini tanti, tenentis fl. — *Flabellulum*. Bene *flabellulum* deminutivum, ex opposito *tantum asinum*. Et est hoc convicium amici jocantis, quia tale illud ministerium delicatioribus servis fere tantummodo committebatur.

599. *Elocuta'st hoc*. Mark. *eloc. est hæc*. — *Foras simul omnes*, etc. Mss. Lips. *proruunt, ita ut fit, ubi domini absunt*, omissis intermediis. *We.* — *Proruunt se*. Verbo neutrali, quasi activo, usus est. *Don.* Sic Adelph. 320: *cæteros ruerem*, active. *Farn.*

601. *Specto*. C. G. m. Edd. T. et M. *aspecto*. Ponit in fine versus *oculis* Guelf. 1. — *Ego limis specto*. Si nominativus casus, singularis est, et significat *transversus*; si septimus, pluralis, deest *oculis*. *Don.* Videatur Fischer ad Anacreont. Od. LXI, 2, huc referens λοξὸν ὄμμασι βλέπειν, limis spectare oculis. Adde Pers. Sat. I, 18: «patranti ocello»; ubi Lubin. Nec omittend. Alciphr. Ep. I, XXVIII, 10: Τἀκεῖθεν βλέπεις βλάμμα; ubi plurib. vid. Bergler. *Perl.*

602. *Per flabellum*. Hic omnes concordant in lectione quæ supra, v. 595, variabat. — *Simul*. Præponunt *et*, Antesign. et alii quidam. — *Alia*. Guelf. 2. addit *loca*. — *Sic per flabellum clanculum. Sic* δεικτικὸν est, et necessario additum. Nam, et *limis*, et *per flabellum* sine demonstratione parum intelligitur. *Donatus.*

Satine explorata sint. Video esse. Pessulum ostio obdo.
ANT. Quid tum? CH. Quid tum? Quid, fatue? ANT. Fateor. CH. An ego occasionem
Mî ostentam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam
Amitterem? tum pol ego is essem vero, qui adsimulabar.
ANT. Sane hercle, ut dicis. Sed interim de symbolis quid actum 'st?
CH. Paratum 'st. ANT. Frugi es: ubi? Domin'? CH. Immo apud libertum Discum.
ANT. Perlonge 'st. CH. Sed tanto ocius properemus. Muta vestem.

603. *Satine.* Ut videam utrum satis etc. — *Esse.* Sub. *satis explorata.* — *Pessulum ostio obdo.* Pessulus, est obex, aut sera ferrea quæ intrinsecus conclavis ostio opponitur.

604. CH. *Quid tum?* etc. Zeun. Valp. geminum *quid* sine interruptione scribunt: *quid quid tum?* Antesign. et Melanchton semel tantum ponunt *quid.* Bothius orationem Chæreæ tribuit non nisi ad, *quid fatue.* — *An ego.* Ed. Delph. *egon'* — *Quid tum,* fecisti. — *Quid tum?* etc. Præterit Chærea quod reliquum est silentio modeste. — *Fatue,* stulte. — *Fateor,* me esse fatuum, qui illud quæsierim.

605. *Mi ostentam.* Sic Fa. ex Don. post eos Both. et Perl. Dant Antesign. Zeun. Valp. *mihi ostentatam.* — *Tantam.* Vocem hanc non habet Antesign. Et præterea in edd. Junt. St. Frobenii, aliis, hæc vox omissa.

606. *Vero.* Omnes edd. præter Perletum et Dacieriam *vere.* — *Adsimulabar.* Sic Both. et Perl. ex Lent. post Antesign. Alii *simulabar.* Panci quidam *similabar.* — *Amitterem,* pro *amisissem.* — *Essem,* pro *fuissem.* — *Vero,* reipsa. — *Qui adsimulabar,* i. e. Eunuchus, quem simulabam me esse.

607. *Sane hercle,* sub. *est.* — *Interim,* dum circa puellam totus eras. — *De symbolis quid actum 'st?* Vid. supra, 540.

608. *Paratum est.* Impersonaliter dictum. Cœnæ apparatus factus est. — *Frugi es.* Utilis et necessarius: ut *fruges* humano generi. *Frugi* est ergo, in quo est aliquid, quo fruamur, id est, utamur. *Don.* — *Domin'?* Quia scilicet nihil parati erat, ut supra ipse dixit vs. 542, in loco dicto. — *Immo,* contra. — *Apud libertum Discum.* Chærea domum liberti elegerat ad epulas, quia scilicet Athenis in caupona perpotare nemini, nisi peregrinis et iter facientibus, ne servis quidem licebat, ut refert Isocrates. *Ed. Delph.*

609. *Muta vestem.* Hæc Antiphoni tribuere Bip. et Bentleium notat Valp. Sed non accedit Perletus, quamvis indicet idem editor. — *Perlonge est.* Procul hinc distat. — *Tanto*

CH. Ubi mutem? Perii! Nam exulo domo nunc; metuo fratrem,
Ne intus sit; porro autem, pater ne rure redierit jam.
ANT. Eamus ad me: ibi proxumum est, ubi mutes. CH. Recte dicis.
Eamus, et de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. ANT. Fiat.

ocius p. Supple: quanto longius distat.

610. *Nam exulo domo.* Sic Perl. Both. Sed Zeun. Valp. *domo exulo.* — *Nunc* jungit cum *metuo* Antesign. — *Mutem*, mutare possum. — *Perii*, in angustiis versor. — *Exulo.* Non quod exclusus fuerit reipsa, sed quod non audet, propter suas fallacias, domum repetere. Nam ad fratris injuriam pertinebat hoc facinus, quasi is pro eunucho adolescentem subornare, eaque re illudere muneris specie Thaidi voluisset. Patrem autem, indicium variæ vestis ad vestigia sceleris inquirendi deducturum erat. Utrumque προσιχνευμεῖται ad ea quæ sequuntur. *Bœcl.*

611. *Porro autem, pater ne*, etc. Bent. proponit, *por. aut. patrem, ne.*

612. *Ibi . . . . ubi.* Intervertit Guelf. 1. — *Ibi*, in mea domo. — *Proxumum*, Proximus locus. — *Mutes*, mutare possis.

613. *De istac*, quod attinet ad istanc. Nec refer ad *potiri*, cui verbo jungendum est *ea*, quod subauditur. — *Simul*, dum tecum ero. — *Porro*, postea, deinceps.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DORIAS.

ITA me Dii ament! Quantum ego illum vidi, non nil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti jubeat. Ille continuo irasci,

615. *Ita me Dii ament.* Sic Antesign. Both. et Perletus. Sed Zeun. Valp. et alii *ita me Di bene ament.* — *Misera*, vocem hanc trudit ed. Delph. in versum 616. — *Ita me Dii ament.* Cf. Andr. vs. 948, pag. 121. — *Quantum ego illum vidi.* Quantum e militis vultu conjicere potui. Hoc loco quid post scenam gestum sit, h. e. in convivio militis, ancilla demonstrat; ut jam quæ in proscenio agantur, ex his possimus agnoscere. *Don.* — *Misera* aliquando commode per adverbium *misere* declaratur, et *misere* sæpius significat, *valde*, ut vidimus supra, vs. 68. (ubi etiam nonnulli legunt *misera.*) Et vs. 411. Intellige igitur hoc loco, *valde timeo.*

616. *Ille insanus*, i. e. Thraso. — *Turbam*, rixam inferat. — *Aut vim faciat*, graves manus Thaidi injiciat.

617. *Adolescens, frater virginis.* Omnia hæc Bothius delet, et versus 617, 618, 619, 620, 621, 622, sic legit et deminutos in tres redigit: *N. p. i. a. C. rogat militem, illum admitti Ut jubeat; is continuo irasci neque negare audere; Hæc porro instare; invitat tristis; sermonem occipit.* «Jam, istis laciniis excussis, ait audaci voce, vide quam tersus atque elegans sit locus;» et producit (forsan intempestive doctus) quemdam Aristophanis locum suis ita curis restitutum. — *Chremes adolescens.* Quem rogaverat Thais venire ad se, epulantem cum Thrasone. Sup. vs. 538. — *Virginis.* Pamphilæ.

618. *Ut illum admitti.* Ed. Delph. *ill. adm. ut.* — Antesign. ex versu

Neque negare audere. Thais porro instare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quæ cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat tristis, mansit. Ibi illa cum illo sermonem occipit.
Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum,
Voluit facere contra hunc ægre: « Heus, inquit, puer! Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos. » Illa exclamat: « Minime gentium;
In convivium illam! » Miles tendere inde ad jurgium.

618 ad versum 623 frangit aliter versuum distributionem: « Militem « . . . . continuo Irasci . . . . instare Ut hominum . . . causa Quia illa . . . indicare Ad eam rem . . . mansit ibi Cum illo, etc. » — *Rogat*, sub. Thais. — *Irasci*, ut rivali. *Donat.*

619. *Neque negare audere*, ut amicæ poscenti. *Don.* — *Porro*, Chremete admisso.

620. *Id faciebat*: Delph. indicante Valp. rejicit *id* ad versum 619; et est solus, nedum sic legat Bothius quem ita Valp. notat. — *Retinendi illius.* Scilicet, ne rus abiret, vs. 532. — *Quia illa quæ cupiebat*, etc. Ordina et supple: Quia non erat tempus ad eam rem, scilicet, ad rè indicare de sorore ejus, illa quæ cupiebat indicare.

621. Ms. Pal. 3, *Non erat aptum.*

622. Versum hunc ita exhibent Perl. Both. Valp. Sed Antesign. pungit post *ibi*, non post *mansit.* — *Occipit* Br. Guelf. 3, *incipit.* — *Tristis.* Vocem hanc deleri vult Bentleius, ut restituatur vera Terentii manus. — *Tristis;* invitus, non libenter. — *Mansit* Chremes. — *Ibi*, tum. — *Cum illo serm. occipit.* Cum advena, cum Chremete.

623. *Miles vero*, etc. « Versum sic refinge: *miles vero, sibi putans*, etc. Bent. » Sic etiam Bothius. — *Adductum.* Plus dixit quam *admissum.*

624. *Puer! Pamphilam.* Bentleius legit *puer, i, Pamphilam.* — *Contra*, pro sua parte, et Thaidi adversatus. — *Facere ægre*, molestiam creare. Cf. Plaut. Cas. III, IV, 17. Thraso nimirum affligere vult Thaidem hac re, de qua supra, vs. 446 sq.

625. *Ut delect. hic nos.* Both. *ut hic delectet nos.* — *Illa exclamat*: Both. *hæc clamat.*

626. *In convivium*: Alii *tun' in convivium.* West. — *Tendere* C. G. m. sup. script. *conténdis ut adducerétur.* Si quis est qui hac nitatur explicatione, ille post *tendère* distinguere debebit; id quod faciunt non pauci; sed præstat conjungere: *Perl.* Disjungit Valp. Conjungunt Antesign. Bent. Zeun. Bip. Both. Perl. — Br. *inde ad jurgium.* — *Illam*, subaudi, *arcessas.* — *In convivium.* Apud Græcos virgo in convivia non adhibebatur, nisi propinquorum. Coru. in Præf. *Zeun.* — Præterea cordi est Thaidi, ne immature Pamphila fra-

Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc est signi: ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

SCENA SECUNDA.

PHÆDRIA.

Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Pejorem partem; quid opu 'st verbis? Dum hæc puto,

tri offeratur. — *Tendere ad jurgium*, procedere usque ad jurgium. — *Inde*, ex altercatione.

627. *Sibi clam*, Both. *Clam sibi*. — *Aurum sibi mulier demit*. Quam rem agit Donatus, quum adnotat, *ne aurum pro virgine, quod retinebat, amitteret?* Nihil certius quam aurea ornamenta meretricis intelligi. *Bœcl.* Dacieria duabus de causis opinatur Thaidem sibi aurum dempsisse; primum, ne forte miles auferret; deinde, quod meretricibus in publicum auro ornatis prodire non licitum fuerit. *Zeunius*. Vid. Ferrar. *de Re vestiar.* lib. I, cap. 3et 23.

628. *Hoc est signi*. Alii *signum*. Guyetus substituit *scin'*. — *Poterit*, Ed. prim. *potuerit*. — *Illinc*. Nonius, in voce *Subducere*, legit *illi*, et forte eo respexit Thraso, infra, vs. 794: «Et cum eo clam te subduxti mihi.» In aliis est *illico*. — *Se*. Ed. Delph. *sese*. — *Hoc est signi*. *Hoc*, quod narravi, *est*, aliquid *signi*, pro *est signum*, unde indicatur quid sit factura. — *Illinc*, e convivio et Thrasonis ædibus. *Juv.*

629. *Dum rus eo*; cf. sup. vs. 187. — *Inter vias*, h. e. inter eundum; et utitur plurali numero, per synecdochen, ut sæpe solent poetæ.

630. *Ubi quid* etc. Hæc alio modo scripta laudantur Pareo: *ubi quid animum est molestia*, scilicet, *edit.* Perletus indicat Par. ed. ex lib. Stanæi, legere fere similiter *ubi quid animum est molestiæ*. — *Ubi*, quum. — *In animo* hominis cujusquam. Generaliter dictum.

631. *Aliam rem ex alia*. West. notat quosdam codices legere *ex alia re*. — *Ea omnia in Pejorem*, etc. magis ex consuetudine Terentii est, inquit Bentleius, si sic refingis: *et ea omnia Pejorem in partem*. Obsequitur Both. — *Ex alia*, post aliam. — *Et ea omnia*; refer ad *cogitare*; potius quam, ut vult Donatus, subaudias *ibant* aut *vergebant*, aut quid tale.

632. *Pejorem partem*. Vet. int. addit *vertere*; quæ ipsa lectio est Ms. Pal. 3. *Perl.* — *Quid opu 'st*. Bothius delet *est*. Pergit Phædria ad rem tali formula — *Puto*. Ms. Lips.

Præterii imprudens villam. Longe jam abieram,
Quum sensi. Redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum venio deverticulum, constiti:
Occepi mecum cogitare: «Hem, biduum hic
«Manendum 'st soli sine illa! — Quid tum postea?
«Nil est. — Quid? Nil? Si non tangendi copia est,
«Eho, ne videndi quidem erit? Si illud non licet,

reputo. Sic ed. prim. Mss. omnes Bœcl.; Br. Guelf. 1, 3; Mss. Lindenbrogii, Pal. unus, G. et Ed. Med. — *Puto*, Considero, cogito. Sic Virgil. Æn. VI, 332. Et est ἀφαίρεσις pro *reputo. Putamus* enim instantia: *Reputamus* autem prætérita. *Donat.*

633. *Longe jam abieram.* Contra omnes libros scriptos et manuscriptos Hoogstratanus, *longe hinc abieram.* In uno Leid. est *aberam*, sed erasa litera *i.* West. — *Prætérii*, Processi ultra. — *Imprudens.* Inscius. — *Villam* nostram.

634. *Rursum.* Ed. Delph. 1731, *sursum.* — *Male vero me.* Ed. prim. *male quidem me.* Bothius ex Bentleio, *male me.* — *Quum sensi*, me prætériisse. — *Rursum*, retro. — *Male me habens.* Iratus mihi. — *Vero*, hic est affirmativum; et non disjungit.

635. *Ubi ad ipsum venio.* Guelf. 1, cod. academ. Antesign. Zeun. Valp. *veni.* — *Deverticulum.* Sic Faern. ex antiquiss. libb. et post eum Both. Perl. Alii, *diverticulum.* — *Deverticulum.* Donatus et post eum Perletus volunt generaliter intelligi de domicilio, ad quod de via divertendum sit, et hic de villa. Satius visum est *deverticulum* pro *semita* ipsa accipere, post interpretes gallicos, et ex Servio qui dicit: «Deverticula sunt a latere viæ militaris.»

636. *Occepi.* Guelf. 1, *hoc cœpi.* — *Hic*, in villa quam ab aditu deverticuli prospicit.

637. *Quid tum postea.* Br. *quid tum? Postea Nihil.* — *Sine illa*, sine Thaide. — *Quid tum postea?* subaudi, eveniet mali, postquam mansero procul a Thaide biduum? Et hoc est consilium sanæ mentis quod sibi ipse proponit Phædria; sed mox resurgentis amoris sævitia devincitur.

638. *Nil est. Quid? Nil?* Non interrogant post *quid* Br. Bip. — *Tangendi.* Ms. Pal. 2, *fungendi, scilicet Thaidem.* Conf. Heautont. 580. *Perl.* Both. *tangendi si non.* — *Nil est.* Brevis est hæc bidui mora et tolerabilis. *Juv.* — *Quid? Nil?* Responsio amoris misere redeuntis. — *Tangendi.* Illa potiri. Vide sup. vs. 373, pag. 178.

639. *Licet.* Alii *potest*, et inter eos Bothius, qui contendit *licet* minus eloquenter scribi. — *Eho.* Comice exclamat Phædria, quasi alteri respondere velit, non sibi ipsi. — *Ne videndi quidem erit*, sub. *copia.* Optimus est commentator hujus loci et imitator Ovidius, Metam. III, 478: «.. liceat, quod *tangere* non est, Adspicere, et misero præbere alimenta furori.» Vide Editionem nostram, vol. III, pag. 263.

«Saltem hoc licebit. Certe extrema linea 640
«Amare, haud nihil est.» Villam prætereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

SCENA TERTIA.

PYTHIAS. DORIAS. PHÆDRIA.

PYTH. Ubi ego illum scelerosum misera atque impium inveniam? Aut ubi quæram?

640. *Salt. hoc licebit.* Bene bis *licet*, *licebit*. Quasi de re magna loquatur. Totum ergo amatorie. Don.

641. *Amare*, etc. Ed. 1469. *amoris*. Itidem in C. G. m. pro glossa. *Perl.* — *Extrema linea Amare, haud nihil est.* Varient interpretes de hac metaphora. Antesign. Eug. Donat. Fab. Perl. putant his alludi ad quinque lineas perfectas quæ sunt ad amorem; *videre*, *accedere*, *colloqui*, *osculari*, *concumbere*. Proponit etiam Donatus intelligendum *extrema linea*, quemadmodum dicitur *longis lineis* aliquid fieri, i. e. de longinquo. — Faber putat hoc translatum esse a pingendi arte, et a lineis illis quibus tirones figuram aliquam informant, ita ut *extrema linea* sit generaliter dictum pro rei primordio, sicut pro primo pingentis tirocinio. — Dacieria magis aque refert hæc locum Luciani, ubi dicitur amori scalam esse, cujus unusquisque gradus una est voluptas. Priori in gradu minores voluptates, et sic de ascendentibus. — His omnibus interpretationibus neglectis, placet potius hæc cum nonnullis interpretibus referre ad Circenses Ludos, in quibus ii qui a meta longissime resistebant, *extrema linea* currere dicebantur. Quod si transferas ad amores, intelligetur, longe stare ab amicæ possessione, quæ quidem amantium est meta. — *Scions.* Et quod imprudens fecerat, ultra progressus, vs. 633, nunc facit sciens, sed retro cedendo.

642. *Sed quid hoc.* Antesign. *sed quid hoc est qu. tim.* Guelf. 2, *quid* pro *quod*. — *Timida.* Br. *tumida*, non spernenda forte lectio.—*Quod*, ob quod, cur. — *Timida*, pavida et trepidans. Ad. 307. VI, 20.

643. *Ubi ego.* Abest *ego* a C. G. m. — *Illum.* Both. *illunc* ut contendit fere scripsisse Veteres. — *Quarum* tradunt Bip. Delph. in vers. 644. — *Ubi ego*, etc. Dum hæc dicit Pythias, progreditur a Thaide, tanquam persecutura fugitivum quemdam. — *Illum.* Loquitur de eo qui vitiavit virginem, vs. 604, et quem putat esse servum a Phædria datum. — *Scelerosum.* Plus est *scelerosus* quam *sceleratus*. Nam Gellius, IV, 9, notat adjectiva in *osus* exeuntia excessum quemdam innuere. *Perl.* — Distinguit Donatus ingeniose *scelerosum* in Thaidem, *impium* in virginem dici.

Hoccine tam audax facinus facere esse ausum? Perii! PH.
Hoc quid sit, vereor.
PYTH. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem miseræ discidit; tum ipsam capillo consoidit.
PH. Hem! PYTH. Qui nunc si detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!
PH. Nescio quid profecto absente nobis turbatum'st domi.

644. *Perii.* Hæc vox in Leidd. omnibus, Tr. Lips. G. in Both. Perl. Pythiæ tribuitur. Phædriæ autem apud Antesign. Zeun. Valp. et interpretes Gallicos. — *Perii!* Vox est servæ timentis ne pœnas hera repetat, propter neglectam virginis curam; vide supra, vs. 509. — *Vereor* pro, et *nescio* et *vereor. Don.* — Phædria inscius quid mali adportet Pythias, timet ne ipsi Thaidi malum acciderit, et forsan a milite.

645. *Insuper scelus.* Antesign. indicat quosdam legere *insuper etiam se.* Sic ed. Delph. Both. *etiam scelus insuper.* — *Ludificatus est virginem.* Both. delet *est.* — *Scelus.* Pro *scelestus*, ut sæpe vidimus. — *Ludificatus est.* Somno oppressam invasit, ac virgineo corpori libidinose illusit. Q. Curt. III, XII, 22. Edit. nostræ. vol. I, pag. 169, «Adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, *ne quis captivo corpori illuderet.*»

646. *Miseræ.* Antesign. Zeun. *misere.* — *Ipsam capillo.* Guyet. substituit *ipsam capillum.* Both. *ipsam, capillos.* — *Consciddit.* Ms. Lips. *Discidit.* — *Vestem omnem.* Quidquid habebat vestimenti. — *Tum ipsam capillo consciddit*, pro *ipsi capillum cons.* per hypallagen. Virgil. *dare classibus austros* pro *classes austris.*

647. *Hem!* Vox amantis, et multa mala reformidantis. Quum nempe non concipere possit quidquid evenit, de Thaide sola hic agi putat.

648. *Ut ego.* Abest *ego* a Guelf. 3. — *Facile.* Bruns. notat ed. addere hanc vocem superscriptam, ut ei videtur, recenti manu. — Both. legit *unguibus ut in oculos facile ego*, deleto *illi* quod contendit esse ab interprete. — *In oculos.* I. et Ven. *in oculis.* — *Facile*, ultro, libenter. Cicer. Attic., lib. XII, ep. 50. Item græce ῥᾳδίως. — *Venefico.* Convicium, pro *scelerato.* Vult intelligi Donatus, seu de eo qui mutat homines, et ex virginibus mulieres facit; seu de amatore, quia amor *venenum* occultum est.

649. *Nescio quid profecto.* Ed. Delph. post Mur. *profecto nescio quid.* — *Nescio quid.* Ut reddatur ratio indicativi *turbatum est*, intelligе, *aliquid (nescio quid.)* — *Absente nobis.* Pro *me absente.* Hic per syllepsin, quia magis ad sensum quam ad verba intendit. Vid. Catull. Carm. 107, 5; Editionis nostræ, pag. 387. Plaut. Amphit. II, II, 194. — *Domi*, apud Thaidem, cujus de domo tanquam de sua loquitur.

Adibo. Quid istuc? Quid festinas? Aut quem quæris, Pythias?

Pyth. Ehem, Phædria, ego quem quæram? Abi hinc quo dignus cum donis tuis

Tam lepidis. Ph. Quid istuc est rei?

Pyth. Rogan'? Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!

Virginem, quam heræ dono dederat miles, vitiavit. Ph. Quid ais?

Pyth. Perii! Ph. Temulenta es. Pyth. Utinam sic sint, mihi qui male volunt.

Dori. Au! obsecro, mea Pythias! quod istuc nam monstrum fuit?

650. *Pythias.* Antesign. *Pythia.* — *Pythias.* Vocativus tertiæ declinationis, a *Pythias*, *Pythiadis.*

651. *Ehem.* Antesign. *Hem.* — *Ego.* Sic Zeun. et Perl. libri antiqui, et Antesign. Both. Valp. *Egon'* — Valp. interrogat post *ego.* — *Abi hinc.* Victorianus Ms. *Ii nunc.* In aliquot aliis, *I hinc*, quod sequitur Zeun. Bothius legit *in 'hinc.* — Ex hoc versu distrahit Antesign. *cum donis tuis*, et rejicit in versum seq. — *Ehem.* Vox dolentis et subirascentis. — *Ego quem q.* Rogasne a me, quem ego quæram. — *Quo dignus* sub. *es abire*, pro, *in malam crucem*, vel quiddam simile.

652. *Lepidis.* Mss. Lips. Græv. ed. prim. ed. Tarv. aliæque *illepidis.*

653. *Rogan'.* Sic Both. Perl. ex Be. Sed Antesign. Zeun. Valp. *rogas me.* Pet. cod. *rogas ne.* — *Eunuchum quem dedisti nobis.* Antesign. notat hæc per exclamationem in aliis legi. — *Turbas.* Tumultus. — *Eunuchum quem* etc. Quantos tumultus edidit Eunuchus, quem etc.

654. *Heræ.* Alii *eræ*; cum aspiratione pronuntiandum, ut *heræ.* Perl. — *Dono dederat.* Both. *donavit.* Antesign. *dederat dono*, et notat apud quosdam versum incipere ad *vitiavit.*

655. *Mihi qui male.* Sic Both. ex Perl. et Bent. Alii, *qui mihi male.* — *Sic*, i. e. temulenti. — *Utinam sic sint ebrii.* Vetustissimus imprecandi mos, quo quæ a se remota volebant, hostibus evenire optabant. Et quum Phædria hic non negat se ebriam esse, sed non vino, verum malo; est quasi diceret: «Sint, sicut ego, animi impotes, et quasi temulenti præ dolore ac perturbatione.» — *Mihi qui male volunt.* Qui me conviciis petunt.

656. Hunc versum Guyetus nothum vocat, oblectionis varietatem. *Au.* Antesig. scribit *Hau.* — Guelf. 1, *Pythia.* — *Quod istuc.* Both. Valp. Zeun. *quid istuc.* — *Monstrum fuit.* Sic lib. Bemb. In antiquis *quid monstri*, quod habent Antesign. Both. Zeun. Valp. — *Quod istuc nam.* Rer tmesin, pro *quodnam istuc.* — *Monstrum. Monstrum* est omne contra

PH. Insanis : quî istuc facere eunuchus potuit? PYTH. Ego illum nescio
Qui fuerit : hoc quod fecit, res ipsa indicat :
Virgo ipsa lacrimat, neque quum rogites, quid sit audet dicere.
Ille autem bonus vir nusquam apparet; etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. PH. Nequeo mirari satis,
Quo hinc ille abire ignavus possit longius; nisi si domum
Forte ad nos rediit. PYTH. Vise, amabo, num sit. PH. Jam faxo, scies.
DORI. Perii! Obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.

naturam. Si igitur eunuchus est, et vitiavit virginem, contra rerum naturam factum est. *Don.*

657. Both. *ista* pro *istuc*. — *Insanis*, etc. Hæc ad Pythiam.

658. *Qui fuerit.* Lindenb. ed. *quid;* non placet. *Perl.* — *Qui fuerit.* Bentleius hæc verba omittit. — *Res ipsa*, quam explicat vs. seq.

659. *Neque quum rogites, quid sit audet dicere.* Sic interpungit Perletus. Sin cum Valp. et aliis virgulam posueris post *quid sit*, leviter variat sensus. — Post *lacrimat* indicat Valp. lacunam esse in Br. usque ad v. 758. — *Quum*, quamvis.

660. *Hoc misera.* Abest *hoc* a Guelf. 2, et *misera* a Bip. — *Ille bonus vir.* Per ironiam. — *Hoc*, scilicet, *illum abeuntem*, etc. — *Suspicor.* Phædria ex omnibus ancillis promptior suspicatur, quia ad rem familiarem est attentior, Thaide ei omnia commendante. *Bæcl.*

661. *Nequeo mir. s.*, etc. Non satis mirari possum, nesciens quo, etc.

662. *Quo hinc ille*, etc. Sic Perl. ex Be. Sed Antesign. Zeun. et Valp. *quo ille abire ignavos* (Valp. *ignavus.*) Both. *quo ignavos ille.* Ed. Delph. *quo abire ignavus ille.* — *Possit.* Ms. Græv. Edd. Tarv. Med. *posset. West.* — *Nisi si domum.* Delent *si* tres Leidd. et Ed. Delph. — *Ignavus*, etc. Quo ille, enervis et debilior corpore, tam longe fugere potuit. — *Nisi si forte.* Sed forte.

663. *Rediit.* Sic Faerno ac Fabricio probatur ex Veneto. Antesign. et alii, *redierit.* — *Vise.* Alii, *vide*, minus usitatum. — *Num sit.* Solus Bemb. *num ibi sit.* — *Scies.* Guelf. 2, 3, *scias.* — *Vise*, i visum. — *Num sit*, in vestris ædibus. — *Faxo*, pro *fecero*, quod posterius dicitur pro *faciam.*

664. *Ne audivi quidem.* Vetus codex Lind. *audisti.* Guelf. 3, *audivisti.* — *Obsecro.* Non hic ad deprecandum, sed ad testandam Pythiæ fidem. — *Mea tu.* Hoc utrumque pronomen conjunctum, blandæ in-

Py. At pol ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos,
Sed nil potesse; verum miseræ non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem virginem.

SCENA QUARTA.

PHÆDRIA. DORUS. PYTHIAS. DORIAS.

Ph. Exi foras, sceleste! At etiam restitas,
Fugitive? Prodi, male conciliate. Dorus. Obsecro...! Ph. Oh,
Illuc vide, os ut sibi distorsit carnufex.
Quid huc tibi reditio 'st. Quid vestis mutatio 'st?

servit orationi; sic Adelph. vs. 290.

665. Varie collocantur verba hujus versus: Antesign. *at pol. eg. am. aud. es. mul.* etc. Zeun. Valp. *at p. e. am. mul. es. aud.* Both. *at mul. pol. eg. am. aud. es.* Perl. Bentleium secutus est.—*Eos*. Eunuchos.

666. *Potesse*. Græv. ad Tar. *posse*. West. In omnibus Donati *potuisse*. — *Non in mentem venerat*. Subaudi *illud*, sc. eos, quamvis nihil possent, muliebrosos esse.

667. *Conclusissem*. Alii *conclussem*.

668. *Exi foras, sceleste!* Vidimus, ad versum 663, Phædriam domum suam intrare; primoque aspectu Eunuchum ipsum videt, quem nunc foras trudit, et increpat.

669. *Obsecro*. Par. Ms. 3, *obsecro te ne sævius, eho*. Quod glossema olet. *Perl.* — Vulgo, *oh* legitur pro *eho* quod dat Both.; et id trudit in versum sequentem. — *Fugitive*. Credit Phædria hunc a Thaide aufugisse. — *Male conciliate*, seu *empte*, quem malo sub omine et in meam perniciem emi. — *Obsecro*. Eunuchus implorat domini veniam.

670. *Illuc*. Sic unus codex Bentleii, post quem Both. et Perl. Alii *illud*. — *Vide*. Guelf. 3, addito *Pythias*. — *Os sibi distorsit*. Adnotat Donatus: «Memor adolescens insinuandi muneris, dicit illum sibi *os* distorsisse, qui natura sit pulcher.» Quasi sit hic locus servi pulchritudinem defendere! Melius fortasse intellexeris Phædriam dicere hæc de Eunucho, qui plenus formidine, et sese ad excusationes, ut servi est, componens, vultum turpiter deformat in omnes modos.

671. *Tibi reditio est*. Both. *reditio est tibi*. Abest *tibi* a Guelf. 2. Antesign Zeun. Valp. — *Quid vestis mutatio*. Both. *Vestis quid mutatio*.— *Est* admittunt Antesign. Perl. Delent Zeun. Both. Valp. — *Quid huc*

Quid narras? Paulum si cessassem, Pythias,
Domi non offendissem: ita jam adornarat fugam.
PYTH. Habesne hominem? Amabo. PH. Quidni habeam?
PYTH. O factum bene!
DORI. Istuc pol vero bene. PYTH. Ubi est? PH. Rogitas? non vides? 676
PYTH. Videam; obsecro, quem? PH. Hunc scilicet. PYTH. Quis hic est homo?
PH. Qui ad vos deductus hodie'st. PYTH. Hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.
PH. Non vidit? PYTH. An, tu hunc credidisti esse, obsecro,

tibi reditio 'st, etc. Quid sibi vult tua hic reditio; cur huc a Thaide redisti? cur vestem mutasti?

672. *Paulum*. Zeun. *paululum*. — *Cessassem*. Guelf. 2, *cessissem*. — Bip. *Pythia* pro *Pythias*. — *Quid narras*, quid habes narrandum, respondendum.—*Si cessassem*. Si tantisper hic moratus fuissem, nec domum ingressus fuissem.

673. *Adornarat*. Sic Both. Perl. ex lib. Basil. Sed Valp. *adornabat*. In Antesign. et antiquis *ornabat*. Bemb. lib. et Zeun. *ornarat*. — *Non offendissem*, non invenissem eum. — *Ita*, per epiphonema. — *Adornarat*, paraverat, instruxerat.

674. *Quidni habeam*. Bip. delet *habeam*. — *O factum bene*. Zeun. omittit *O*. — *Habesne hominem?* An eunuchum hunc reperisti. — *Amabo*, vid. supra, vs. 130, p. 146. —*Quidni habeam*. Cur non habeam. Talis interrogatio est consentientis ad præcedentem interrogationem.

675. *Non vides*. Guelf. 3, *nonne vides*. — *Istuc pol vero bene*, sub. factum est. — *Ubi est*. Dorum contemplata, dicit *ubi est?* quia non verum Eunuchum novit, sed hunc qui Eunuchi partes egit. *Don.* — *Rogitas? non vides?* Reclamat uterque errans mirifice: illa, quod Eunuchum credidit, Chæream videns; hic quod in Eunuchum Chæream crimen transtulit. *Don.*

676. *Obsecro* ponit ante *homo* Guelf. 3. — *Quis hic est homo*. Both. *quis hic homo est*. Antesign. delet *hic*. — *Videam? obsecro, quem?* Ubi est, quæso, is quem vis me videre? — *Hunc scilicet*. Dorum quem monstrat.

677. *Ad vos*, ad heram tuam. — *Oculis suis nunquam vidit*. Pleonasmus est, quo majorem fidem faciat Pythias.

678. *Nostrarum nunquam quisquam vidit*. Both. *vidit quisquam*. Priscianus notat deesse *nunquam* in Mscriptis. Cledonius vult legi, *nemo quisquam*. Pro *nunquam* Par. 2, *nusquam*. Alii, *non*. Abest *vidit* a cod. Ienensi. — *Nostrarum quisquam*. Nostræ familiæ nulla. *Quisquam*, in femineo genere usurpatur, arcbaice. Plaut. Rud. act. IV, sc. IV; Cistell. XI, III; Pers. IV, 3. *Fam.*

679. *Credidisti esse*. Abest *esse* a plusculis Mss. *West*. — *Non vidit*, sub. *quisquam?* Iisdem verbis repe-

Ad nos deductum? PH. Nam alium quem habui neminem.
PYTH. Au!
Ne comparandus hic quidem ad illum 'st. Ille erat
Honesta facie et liberali. PH. Ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
PYTH. Tace, obsecro! quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu videre vero velles, Phædria.

tit; et interrogatio stuporem admirantis ostendit. *Donat.*

680. *Nam alium quem habui neminem.* Sic Perl. et Both. Legunt Fa. Zeun. Valp. *nam quem? alium hab. nemin.* Guelf. 3, addit *quem mitterem.* Antesign. et lib. Bemb. *namque.* — *Au.* Alii *hau.* Both. *ah.* — *Nam alium,* etc. Supple ante hæc: credidi esse, nam, etc. — *Au.* Interjectio hic est Pythiadis talem suppositionem respuentis.

681. *Ne.* Zeun. et alii, *nec.* — *Comparandus.* Guelf. 1, *conferendus. Ad illum!* Si cum illo comparaveris. De hac præpositione vid. supra vs. 361, pag. 177. Dacièria animadvertit majorem vim habere *ne comparandus ad illum,* quam *conferendus illi* aut *cum illo.* Prius rem ab altera infinite distare indicat; posterius unam alteri nullo modo comparandam esse, etsi omnino tamen non sint inæquales; teste Tullio, ut jam indicavimus, loco citato (p. 177). — *Hic*, quem video. — *Illum*, qui vitiavit virginem; et opponuntur duo pronomina.

682. *Honesta facie et liberali.* Vid. Andr. vs. 123, pag. 25, et Eunuch. 473, 474, pag. 193.

683. *Dudum*, modo. — *Varia veste.* Eunuchi veste versicolori insignes erant. Vid. Cic. Orat. 70.

684. *Nunc tibi videtur fœdus.* Valp. *nunc eo tibi videtur,* ex codicibus. Servius ad Æneid. III, 216, *nunc heu videtur fœdus.* Delemus *eo* post Zeun. Bip. et Perl. Totum versum delet Both. — *Fœdus*, visu turpis. — *Illam* vestem quam gerebat. Et dicitur *illa* de veste deposita.

685. *Tace, obsecro.* Bene addit *obsecro*, ne *tace* ipsum videatur injuria. — *Quasi vero*, etc., Supple: Ita loqueris, perinde ac si, etc. Et sensus est: non ita est ut dicis: nam inter utrumque plurimum discriminis interest.

686. *Deductus hodie est.* Zeun. omittit *est.*

687. *Quem tu videre vero velles.* Sic Zeun. Perl. — Antesign. Valp. *quem tu vero vid. vel.* Both. *quem tu vid. vel. vero.* — *Quem tu videre vero velles.* Altera pars est conditionis: Si bene conciperes quam sit formosus. Dacieria adnotat: « Il faut bien remarquer l'adresse de Térence, qui, pour mieux relever la beauté de Chérée, trouve le secret de le faire louer par la personne qui est le plus en colère contre lui. » — *Vero*, profecto, sine dubio.

Hic est vietus, vetus, veternosus, senex,
Colore mustellino. PH. Hem, quæ hæc est fabula?
Eo rediges me, ut, quid emerim, egomet nesciam.
Eho tu, emin' ego te? DORUS. Emisti. PYTH. Jube mî denuo
Respondeat. PH. Roga. PYTH. Venistin' hodie ad nos? Negat.
At ille alter venit, natus annos sedecim,

688. *Hic est vietus, vetus.* Sic Zeun. Both. Perl. Sed Antesign. Valp. *vetus, vietus.* — *Veternosus, senex.* Hæc virgula interpunximus cum Zeun. Both. Perl. Jungunt autem absque interpunctione Antesign. Valp. — *Vietus.* Mollis, flaccidusque et flexibilis corpore, a *viere*, curvare. — *Veternosus.* Senio tardus et ignavus : a *veternus*, quem λήθαργον Græci dicunt; Et est apostema ex phlegmate vel atra bile natum in posteriore parte cerebri, inexpugnabilem pæne dormiendi necessitatem inducens magnamque oblivionem. — *Vetus*, effetus, languidus, respicit ad totam corporis fabricam; *senex* ad ætatem.

689. *Colore mustellino.* Both. legit *mustelino*, non geminata litera *l*. Bentleius reponit, contra codices, *stellionino*, sola interpretatione Donati innixus. Sed pergas legendo sic, *Colore mustellino.* Fusco, livido, qualis est mustellarum. Donatus vult Terentium hic erravisse, quia non intellexerat Menandricum illud, οὗτός ἐςιν γαλεώτης γέρων, quæ vox lentiginosum senem significat, cujus modi fere sunt Eunuchi, ad similitudinem stellionis qui pelle est maculosa, ut Eunuchus ille erat ore sparso; stellio autem est γαλεώτης, *mustela* vero est γαλῆ. Magis tamen libenter concedamus Terentium ultro et sponte sua Menandrum mutavisse, quam non intellexisse. Et cæterum non Menander pro Terentio interpretandus est.

690. *Eo rediges me.* Sic Both. Perl. Alii, *redigis.* — *Quid emerim.* Sic legisse videtur Don. Attamen. West. præfert *egerim*, quod dant omnes editores, præter Perletum. — *Ut, quid emerim*, etc. Simile dixit Cicero, quasi imitatus, Attic. I, 19. « Ut plane quid emerit nesciat. »

691. *Jube mî den. Resp.* Leviter pungunt post *jube* Zeun. Valp. — *Eho tu.* Dorum compellat. — *Denuo*, Rursus, sed mihi, non tibi.

692. *Negat.* Ut ipse Dorus audiatur negans, legunt ed. Bip. DOR. *Non.* PYTH. *Negat.* — *Roga.* Licentiam interrogandi adnuis. Adnotant hic plurimi interpretes apud veteres non fas fuisse servum interrogari, coram hero, nisi hic permisisset. — *Negat.* Gestu negantis loquitur. Scilicet Dorus fortasse timet, ne inscius, aliquid emittat quod displiceat hero; et ideo aut nutu tantum, aut certe anxia et incerta voce respondet.

693. *At ille alter.* Guyetus τὸ *alter* expungit. — *Annos sedecim.* Alii *sedec. an.* C. G. m. *sexdecim.* — *At ille alter* etc. Disjunctivum est, quo Pythias indicat non Dorum venisse, at illum alterum, de quo jam locuta est. — *Annos sedecim.* Chærea quidem compleverat annum decimum nonum vel decimum octavum, quan-

Quem secum adduxit Parmeno. PH. Agedum hoc mî expedi
Primum : istam, quam habes, unde habes vestem? Taces?
Monstrum hominis! non dicturu's? DORUS. Venit Chærea.
PH. Fraterne? DORUS. Ita. PH. Quando? DORUS. Hodie.
PH. Quam dudum? DORUS. Modo.
PH. Quicum? DORUS. Cum Parmenone. PH. Norasne eum prius?
DORUS. Non. PH. Unde fratrem meum esse scibas? DORUS. Parmeno
Dicebat eum esse. Is mi hanc dedit vestem. PH. Occidi!

do quidem ante id tempus non designatus fuisset publice custos in Piræo, ut erat. Vid. supra, va. 290. Sed potuit facile mollis et tener adolescens haud amplius sexdecim annos natus videri Pythiæ.

694. *Hoc mi expedi.* Ms. Lips. *hoc nunc mihi.* West. — *Agedum* etc. Phædria interrumpit Pythiæ sermonem, ut ipse aliquid quærat ab eunucho.

695. *Istam quam habes, unde habes?* Ed. Delph. *Unde habes istam quam habes?* — *Istam quam habes vestem.* Scilicet vestem hanc, nec suam, induerat, in vicem servilis et proprii vestimenti, quod sumpserat Chærea ad partes eunuchi agendas.

696. *Monstrum hominis!* Bene eunucho dictum est *monstrum hominis*, h. e. nec mas, nec femina existens. *Dor.* — *Chærea venit.* Ad me. Hic servus incipit narrare quo modo Chærea ad dolum omnia paraverit.

697. *Fraterne* etc. Bent. legit: *fraterne? ita.* — *Ita.* Legunt *ita est* Bip. Delph. — *Quam dudum*, a quo tempore. — *Modo*, nuper, non ita pridem.

698. *Quicum*, pro *quocum*, quia *cum quo* non usitatum est.

699. *Non.* Sequuntur vulgo hæc: *Nec quis esset unquam audieram dicier.* Quæ verba jamdudum Rivius adulterina esse judicavit; nec legit Aldina ed. nec habent Par. Bent. Both. Atque insuper ea, si quid video, neque opus quærenti, neque sunt respondenti, tam parco verborum, congrua. *Perl.* — *Unde.* Vulgo *igitur*, quod cum Bentleio, post Both. et Perl. rejecimus. — *Esse scibas.* Ms. Par. 2 *sciebas*, verbo *esse* omisso. — *Non* noram.

700. *Is mi hanc dedit vestem.* Aliquot non habent *vestem*, inter quos Zeun. Bip. Alii aliter collocant: *Is dedit mihi hanc v.; Is dedit hanc vestem mihi.* — *Is*, Chærea. — *Hanc vestem*, quam gero, et de qua me interrogas. — *Occidi.* Hoc seorsum Phædria, nec audiente Pythiade, postquam ex verbis Dori præsentire licuit, fraudem a fratre profectam esse.

DORUS. Meam ipse induit; post, una ambo abierunt foras.
PY. Jam satis credis, sobriam esse me, et nil mentitam tibi?
Jam satis certum est, virginem vitiatam esse? PH. Age nunc, bellua!
Credis huic quod dicat? PYTH. Quid isti credam? Res ipsa indicat.
PH. Concede istuc paululum. Audin'? Etiam nunc paululum....Sat est.
Dic dum hoc rursum, Chærea tuam vestem detraxit tibi?
DORUS. Factum. PH. Et ea est indutus? DORUS. Factum.
PH. Et pro te huc deductus est? DORUS. Ita.

702. *Sobriam esse me.* Pet. *sobriam me esse*, quod placet Bentleio. Both. *sobr. esse et nil me.* Guelf. 3, omittit, *et nil mentitam tibi.* — *Jam satis credis.* Jamne satis certum habes. — *Sobriam esse me.* Hæc Pythias, satis memor injuriæ, respondit ad illud Phædriæ dictum, supra 654.

703. *Jam.* Alii, ut notat Antesign. *jamne.* — *Virginem vitiatam esse.* Both. *vitiat. esse virginem.* — *Age nunc b.* Hæc Pythiadi Phædria, ut ex illius animo, si possit, opinionem evellat a Chærea malum illatum fuisse. — *Bellua.* Joculare convicium in mulierem. *Perl.*

704. *Quod dicat.* Sic Nos post Antesign. Zeun. Bent. Bip. Perl. Sed Valp. Both. *dicit.* — *Quid isti.* Both. *quidni.* — *Credis huic, quod dicat.* Græca locutio: adhibes ne fidem eis quæ hic possit dicere. — *Huic*, vili servo; et a personæ qualitate derogat fidem. — *Quid isti credam?* Quid opus est mihi ejus auctoritati credere, aut non credere? — *Res ipsa.* Flagitium fratris tui.

705. *Etiam nunc.* Delent *nunc* Bip. Delph.—*Et. n. paululum.* Both. *paulum*, quod probaverat Bentleius. — *Concede istuc paululum.* In hanc partem ubi jam es, seduc te paulum, et recede ab ancillis. Idque imperat, ut, postquam Dorus concesserit, ipse in eamdem partem se submoveat, et ita uterque ab ancillis longius stet. — Ne ergo, cum plerisque interpretum, *istuc* pro *huc* unquam intelligi posse patiaris, quia in se semper habet vim pronominis *tu; huc* vero ad personam loquentem pertinet. — *Etiam nunc paululum*, sub. *concede.*

706. *Rursum.* Both. *rursus.* — *Chærea.* Antesign. et Both. *Chærean'* — *Dic dum.* Cod. Ien. *dic tu.* — *Dic dum.* Dic nunc, quum sine arbitris colloqui licet. Omnia hæc submissa voce ad Dorum dicit Phædria. — *Hoc*, quod jam quæsivi.

707. *Ea est indutus.* Bent. *et eam.* Sequitur Both. — *Deductus est.* Both. *deductu 'st.* Zeun. *deductus 'st.* Bip. Delph, *deductu' est.* — *Huc*, in domum Thaidis, quam manu designat.

PH. Jupiter magne! o scelestum atque audacem hominem!
PYTH. Væ mihi!
Etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis?
PH. Mirum ni tu credis, quod iste dicit. Quid agam, nescio.
Heus, negato; rursus: possumne ego hodie ex te exsculpere
Verum? Vidistine fratrem Chæream? DORUS. Non. PH. Non potest

708. *Scelestum atque audacem.* Both. *scelest. et aud.* — *O scelestum atque audacem hominem!* De Doro hic loqui Phædriam indicat Pythiadis responsio. Scilicet pergit frater Chæreæ simulare se servi testimonio nullam fidem adhibere, ideoque in eum exclamat, tanquam in mendacem et sycophantam. — *Væ mihi!* Non hic indicat tali exclamatione *sibi male esse;* sed vox est feminæ ægre ferentis veritatis vi nequaquam commoveri aut persuaderi posse Phædriam.

709. *Etiam nunc non*, etc. In duobus Bentleii codd. deest *nunc;* in uno, *non.* Bothius: *etiam non indignis credis nos*, etc. — *Esse irrisas.* Bip. omittit *esse.*—*Nos,* omnem Thaidis familiam. Tum ipsam Thaidem, cujus puella erat; tum puellam quæ vitiata fuerat, tum ancillas quarum vigilantiam eluserat pseudoeunuchus.

710. *Mirum ni tu.* Ed. prim. et Guelf. 2, *mirum si.* Bemb. in contextu non habet pronomen *tu.* — *Credis.* Sic Zeun. Both. Perl. Valp. Dant Antesign. Zeun. *credas.* — *Quod iste dicit.* Zeun. Bent. Bip. Antesign. *dicat.* — *Quid agam scio.* Cod. Rom. *quid agamus scio.* — *Mirum ni tu credis*, etc. Mirandi locus esset si tu, serva, servo non crederes. — *Quid agam nescio.* Hæc secum dicit Phædria, reputans quid in tali rerum articulo statuere debeat, ut possit a fratre facti invidiam depellere.

711. *Heus*, ed. Bip. addit *tu.* — *Heus, negato; rursus:* Sic post Perl. distinguimus. Alii, non interpungunt, et referunt *rursus* ad *negato.* Pro *rursus* Antesign. Zeun. Valp. *rursum.* — *Possumne ego hodie.* Bothius. ex Bent. *Possumne hodie ego.* — *Heus negato.* Ad Dorum submissa voce. — *Rursus.* Particula hæc pertinet ad iterandam quæstionem, ut sit pro, *denuo, iterum quærere incipiam.* Nam primo siluerat Dorus. Itaque errant, qui jungunt *negato rursus*, quasi jam ante negaverit Dorus. Nullibi autem ante negavit; contra affirmavit, *factum* bis dicendo. *Perl.* — *Possumne ego*, etc. Nunc clara voce infit.—*Exsculpere verum.* Extorquere repetitis interrogationibus.

712. *Non*, sc. vidi. At qui *non* jam respondet, idem supra dixerat evenisse omnino aliter, v. 700, 706. Patet inde mentiri Dorum a Phædria conctum. *Perl.*

Sine malo fateri, video; sequere hac. Modo ait, modo negat.

Ora me. DORUS. Obsecro te vero, Phædria. PH. I intro. DORUS. Oi! Ei!

PH. Alio pacto honeste quomodo hinc abeam, nescio.
Actum 'st, si quidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere.

713. *Sine malo.* Vocem hanc in versu præcedenti ponunt Zeun. Valp. Nos secuti sumus Antesign. Both. Perl. — *Sequere.* Mur. ed. *Seq. me.* Sic Bip. Delph. — *Sine malo,* sine fustigatione. Callidissime hic Phædria omnia disponit, ut nullo modo appareat se a servo exigere responsum quod desiderat. Ideo ita agit, quasi rationem non haberet novissimæ hujus denegationis, quam tamen reipsa anteponit; et servo exprobrat ea ipsa quæ respondit ex suo ipsius jussu. — — *Sequere hac,* quasi ad tormenta. *Don.*

714. *I intro.* Bothius *in'intro.* Zeun. Valp. adjiciunt *nunc jam.* — *Oi! ei!* Unus cod. Bentl. *eoiei.* Cod. alter, *hoi hei.* Sic Antesign. — *Ora me,* ne te ad pœnam traham. Hæc submisse Phædria, et eo consilio, ne, ut sibi constet, cogatur a servo pœnas peracti mandati repetere, nisi fustem ille deprecetur. — *Vero.* Alludit ad simulatas preces quas imperaverat Pythias. Parum sui compos alta voce respondet servus vocem hanc *vero,* quod nequaquam, aut saltem submisse, Phædria voluisset dici. Sed non potest Pythias intelligere ad quid attineat vox illa, et putat vividius Dorum precari. — *I intro.* Simul verberat eunuchum, dum in scena sunt, ut ad extremum irati heri personam agat; sed mox cessaturus, ubi intraverint.

715. *Quomodo hinc abeam.* Delph. *quopn. hinc nunc ab.* Both. *quom. abierim hinc ego.* — *Hinc abeam,* ex hoc certamine pro fratris bona fama suscepto. Hæc secum Phædria.

716. *Actum 'st,* etc. Punctum ponunt post *siquidem* Antesign. Bent. Zeun. Delph. — Phædria, ut ad postremum partes susceptas retineat, et fidem faciat se non simulate, sed vere irasci mendaci servo, illum vel postquam intravit, clara voce minitando increpat. — *Actum est,* sub. *de te,* i. e. periisti. — *Si quidem,* si modo. — *Hic etiam,* in nostra quoque domo. — *Etiam,* sicut ausus es in platea. — *Ludificabere,* mihi illudes, celando quid vere rei sit. — Interpp. gallici putant aposiopesin esse post *si quidem,* quod disjungunt a τοῖς *tu me hic etiam,* etc. et supplent: « Actum est de nobis, si modo hæc, quæ dixit eunuchus, vera sunt. »

SCENA QUINTA.

PYTHIAS. DORIAS.

PYTH. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.
DORI. Sic est. PYTH. Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.
Sed nunc quid faciendum censes, Dorias? DORI. De istac rogas
Virgine? PYTH. Ita, utrum taceamne, an prædicem? DORI. Tu pol, si sapis,
Quod scis, nescis, neque de eunucho, neque de vitio virginis.

717. *Parmenonis esse hanc technam. Hanc* per Syllepsin, pro *hoc*, (quod in domo nostra perpetratum est.) — *Quam me vivere*, quam scio me vivere.

718. *Inveniam pol hodie*, etc. In Bemb. et omnibus fere lib. script. sic *pol* ante *hodie* collocatum est. Alii *hodie, parem ubi pol.* — *Sic est*, ut ais. Verum est. — *Inveniam ubi.* Inveniam tempus opportunum, in quo. — *Parem referam gratiam.* Cf. supra vs. 390, pag. 181. Donatus admonet hanc esse προοικονομίαν ad futurum exitum fabulæ; Nam dum pergit, ulciscitur Pythias, fit indicium patri Chæreæ, et confirmantur nuptiæ.

719. *Censes.* Veteres edd. sic legunt. Multi alii *suades:* utrumque probat Bent. — *De istac rogas.* Antesign. et ed. Delph. *de istac me rogas.*

720. *Utrum taceamne, an præd.?* Invertit Bent. *utr. præd. an tac.*, sic judicans, in consideratione consilium melius, hoc loco tacendi, poni solere posterius. Sed hic non tam poetæ ingenio sed suomet ipsius, ut sæpe alias, indulsisse videtur. Nam refellitur vir magnus ex loco infra v. 971, fere eodem. *Perl.* Bentleium Both. sequitur. — *Prædicem.* Alii, *prædicam.* — *Ita*, etc. i. e. *Rogo.* — *Utrum taceamne.* Tertium παρέλκον. Abundat enim aut *utrum*, aut *ne:* aut certe hoc fit, ut sit figura τμῆσις. *Donat.* — Sic Horat. Epod. I, 7 sq. «Utrumne jussi persequemur otium Non dulce, ni tecum simul? An hunc laborem, etc.» — *Prædicem*, in lucem proferam.

721. *Quod scis.* Ms. Lind. et C. G. ch. *scias*, perperam. — *Nescis.* Guyetus legi vult *nesci* vel *ne sci.* — *Quod scis, nescis.* Indicativus modus pro imperativo *nesci*, ut sensus sit: quod scis, simula te nescire. *Perl.*

Hac re et te omni turba evolves, et illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. PYTH. Ita faciam. DORI. Sed videon' Chremem?
Thais jam aderit. PYTH. Quid ita? DORI. Quia, quum inde abeo, jam tum inceperat
Turba inter eos. PYTH. Aufer aurum hoc; ego scibo ex hoc, quid siet.

SCENA SEXTA.

CHREMES. PYTHIAS.

CHR. At at data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.

Vid. Heautont. 744. — *Neque de eunucho.* Quod Chærea sit, non Eunuchus. — *De vitio virginis*, quod jam mulier facta sit.

722. *Et te omni.* Alii, *et omni te.* Antesign. omittit *et.* — *Evolves.* Antes. notat quosdam legere *exsolves.* Turneb. malebat *evolvis.* Etsi lectionem quam admisimus det Perletus, prætulerimus tamen *evolveris*, quia sequitur *feceris.* — *Turba*, h. e. jurgio, Thaidis irascentis. — *Evolves*, pro, expedies. Phorm. vs. 805. — *Illi*, Non, ut intelligi volunt plures, virgini vitiatæ, quam puduisset *vim illatam* dicere; sed Thaidi quæ doluisset evenisse hoc virgini, nec si res in lucem prodiret, Chremes facti dedecore deterreretur a sorore agnoscenda. Hunc sensum mutuati sumus a Dacieria, quam probat Zeunius.

723. DORI. *Sed videon' Ch.* Hæc jungit cum *ita faciam* Bothius, et Pythiæ adscribit. — *Chremem.* Bent. *Chremen.* — *Abisse*, evasisse aufugiendo.

724. *Quum inde abeo.* I. et V. *quum abeo*, omisso *inde.* — *Jam tum.* Ed. Delph. *jam tunc.* — *Inceperat.* Ed. Bip. *cæperat.* — *Inde*, a Thrasone. — *Abeo*, pro *abibam.*

725. *Aufer aurum hoc.* Ms. Lips. R. vet. cod. Lind. et Both. *tu aufer.* Alii, *tu fer.* — *Inter eos.* Thaidem et Thrasonem. — E conspectu Chremetis Dorias auguratur modo redituram esse Thaidem; nam vult illa seorsum colloqui cum fratre Pamphila, quem ob id unum ad Thrasonem arcessivit, ut ab ipsa non recederet Chremes, et deinde una redirent. — *Aurum aufer hoc*, fer intro hæc aurea ornamenta quæ a Thaide tradita, vs. 627, in manibus geris. — *Ex hoc scibo*, scilicet ex Chremete.

726. *At at.* Jungit Zeun. post Antesign. Dant Bent. Both. *attat.* — *Vicit.* Vet. int. *me*, quod West.

Ac dum accubabam, quam videbar esse mihi pulchre sobrius!

Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.

PYTH. Chreme. CHR. Quis est? Ehem Pythias! Vah, quanto nunc formosior

Videre mihi quam dudum! PYTH. Certe tu quidem pol multo hilarior.

CHR. Verbum hercle hoc verum erit: sine Cerere et Libero friget Venus.

in complurium Mss. contextu esse affirmat. — *Quod bibi.* Guelf. 3, *bibit.* — *At at*, etc. Hic vino semigravis inducitur Chremes, priorum memor, titubans in præsentibus, ut fere adpoti solent. *Don.* — *Data verba mihi sunt.* Deceptus sum a Thaide, quæ me imprudentem et nimis facilem largius bibere coegit. — *Vicit*, me, meas vires.

727. *Accubabam.* C. G. m. *accumbebam.* — *Ac dum.* Guelf. 3. *at dum.* — *Esse mihi.* Omnes alii *mihi esse.* Both. *mi esse.* — *Quanto nunc.* Mss. quidam, *Quam tu nunc.* West. — *Pulchre sobrius.* Plane non ebrius.

728. *Postquam surrexi*, Ex quo surrexi. — *Neque pes*, ad incessum. — *Neque mens*, ad facta et dicta. Sic potus ille apud Menandr. Ἀνίσταμαι γοῦν τέτταρας κεφαλὰς ἔχων.

729. *Chreme.* Sic plerique. Both. et Perl. alii, *Chremes.*

730. *Quam dudum*, etc. Ed. Delph. legit: *videre quam dudum? certe quidem tu pol m. alacrior.* — *Multo hilarior.* Valp. *et multo hilarior.* Omittimus *et* post Bent. Zeun. Bip. Both. Perl. — *Dudum*, nuper. — Ebriis τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται, quod de amatoribus pronuntiavit Theocrit. Daphn., Id. VI. Anacharsis, quum ex convivis quidam dixisset uxorem ipsum duxisse deformem: «Heus puer, inquit, vinum funde meracius, ut illam formosam reddam.» *Farn.* — *Hilarior*, sic per Euphemismum dicit; non, temulentior, aut, lascivior.

731. *Verum erit.* Sic Faernus ex libris antiquis, et post eum Both. Perl. Alii *est.* — *Verum erit.* Hoc verbo *erit* Bentleius docet antiquos etiam præsentia et præterita asseverasse. — *Sine Cerere*, etc. Hoc significat, potum et cibum irritamenta esse libidinis. Huc pertinet Cic. de nat. Deorum, II, 23: «Fruges *Cererem* appellamus, vinum autem *Liberum.* Ex quo, illud Terentii, *Sine Cerere*, etc.» Itid. Plaut. more suo plenius: «Nihil, inquit, facio tibi, Amor, pericli: mihi inanitate Jamdudum intestina murmurant.» Cas. IV, III, 53. Pulchre Apuleius, Miles. lib. II: «Veneris hortator et armiger Liber advenit ultro.» Theo, in Arat. Καὶ ὀρθῶς Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγονται μετ' ἀλλήλων εἶναι, κ. τ. λ. Euripid. Οἶνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν Κύπρις. Idem (ex emendat Both.) Νεκρὸν Ἀφροδίτη δ-

Sed Thais multo ante venit? PYTH. Anne abiit jam a milite?
CHR. Jam dudum, ætatem. Lites factæ sunt inter eos maxumæ.
PYTH. Nil dixit tum, ut sequerere sese? CHR. Nil, nisi abiens mi innuit.
PYTH. Eho, nonne id sat erat? CHR. At nescibam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus : nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam! Miror ubi ego huic antevorterim.

χα Διονύσου τε καὶ Δήμητρος. Achæus, apud Athenæum, lib. VI, 20, ἐν τῇ καινῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως Οὐκ ἔστι. Πεινῶσι γὰρ ἡ Κύπρις πικρά. Idem citat Aristophanem : Ἡδύς τε πίνειν οἶνος Ἀφροδίτης γάλα, lib. X, cap. 12, additque, ὃν πολὺν σπῶντες ἔνιοι παρανόμων ἀφροδισίων ὄρεξιν λαμβάνουσι. Achilles Tatius, Am. lib. II : Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή.

732. *Anne abiit.* Sic Perl. Valp. Dant *an* Zeun. Bip. Both. — *Sed Thais multo ante venit?* Non percuntatur num advenerit, ratus jam prius eam rediisse, sed quanto antea.

733. *Factæ sunt inter eos.* Sic Perl. et Both. Aliter collocant Zeun. Valp. *sunt inter eos factæ.* — *Ætatem*, subaudi *ante.* — *Ætas*, hic pro centum annorum spatio. Ovidius Metamorph. XII, vs. 187. Edit. nost. volum. IV, pag. 319. « Vixi Annos bis centum : nunc tertia vivitur *ætas.* » Et est hyperbole, quæ ebrium decet. — *Lites*, jurgia.

734. *Nil dixit tum.* Both. ex libris Bemb. *nil dixit, tu ut*, etc. Bip. *ut tu.* — *Tum*, quum abiit. — *Nisi*, Valet idem quod, *tantummodo.*

735. *Id.* Sc. ut sequerer se. — *Dicere*, nutu significare. — *Nesciebam... nisi quia. Nesciebam* pro *non scivi*, et ordina: Scivi, non nisi, quia etc. i. e. scivi tantum quia.

736. *Correxit miles.* Mss. quidam et editi, *corr. me mil.* — *Intellexi minus.* Guelf. 2, *ego int.* Post *minus* interrogat Bip. — *Me extrusit.* Ed. M. *me excussit.* West. — *Correxit*, In melius explicavit. Hoc Donato videtur facetius et sapientius, quam dici ab ebrio, rustico, et adolescente debuisset.

737. *Eccam ipsam.* Addunt *video* Mss. Lips. et plures alii editt. — *Ego huic.* Delph. *huic ego.* Mss. Paris. apud Par. *hinc.* — *Ubi.* In qua parte viæ. Quum enim Thais prior egressa prior advenire debuisset, miratur Chremes se Thaidem inter eundum præteriisse, nec vidisse.

SCENA SEPTIMA.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

THA. Credo equidem, illum jam adfuturum, ut illam a me eripiat. Sine veniat!
Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.
Usque adeo ego illius ferre possum ineptias et magnifica verba;
Verba dum sint : verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.

738. *Illum jam.* Cod. Ien. *il. dudum.* — *Adfuturum.* Delemus *esse* ex Bent. Admittunt Antesign. Zeun. Valp. — *Ut illam a me eripiat.* Delph. *illam ut eripiat.*—*Sine veniat.* Vocem *veniat* versui sequenti attribuit Antesign. Guelf. 2, *sine ut veniat.* — *Credo equidem*, etc. Vides ut ex ipsis appareat verbis, quam concita et recens a litigio veniat Thais. Itaque nec nominat militem, nec virginem; sed pronominibus *illum*, *illam*, utrumque significat, quasi in medio constituta negotio. *Don.* — *Jam adfuturum.* Παρασκευὴ ejus motus, quem miles excitabit oppugnaturus ædes. *Don.* — *Sine veniat.* Formula hæc incepit sine dubio adhiberi cum alicujus appellatione. Et postea generaliter usurpata est, ut, vel nemine audiente, seorsum aliquis comminaretur. Hic ergo est quasi diceret : *si veniat.*

739. *Atqui si illam.* Solus Bembinus, *qui si illam.* Ed. Bip. ex Donato *atque si illam.* Both. delet *atqui*, et legit, *si illanc uno dig. attigerit, oculi ei illico.* — *Oculi illico.* Bent. *oculi illi illico.* — *Atqui*, scilicet, nempe. — *Digito uno*, Proverbialiter pro, si levissime attigerit. — *Oculi illico effodientur.* Feminæ minæ sunt, et in libidinosos quam maxime. Sic et alibi, « ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico. » In oculos autem maxime sævire feminas, et tragœdiæ fere omnes, et comœdiæ protestantur. *Don.* Eadem minatur Hecuba Polymnestori apud Euripidem.

740. *Usque adeo ego illius.* Ejiciunt *ego* Antesign. Bent. Invertit Both. *U. a. illius f. ego.* — *Ineptias.* Both. *ineptiam.* — *Usque adeo ego*, etc. Construe, *ferre possum inept. et magn. verb. usque adeo dum sint verba*, (sc. *ea tenus, dum modo.*)

741. *Verum enim, si.* Bent. censet *enim* frustra versum gravare. — *Verba dum sint*, adde, *et nihil amplius quam verba.* — *Ad rem conferentur* sub. *verba* et intellige : si se a verbis ad facta confert.—*Vapulabit.* Verbum *vapulo* oritur ab Æolica

CHREM. Thais, ego jam dudum hic adsum. THA. O mi Chreme, te ipsum exspectabam.
Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? Et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? CHREM. Ad me? Quî, quæso, istuc? THA. Quia, dum tibi sororem studeo
Reddere et restituere, hæc atque ejusmodi sum multa passa.
CHREM. Ubi ea 'st? THA. Domi apud me. CHREM. Hem! THA. Quid est?
Educta ita uti teque illaque dignum 'st. CHREM. Quid ais? THA. Id quod res est.

forma Φαπόλω, pro ἀπόλλω, *perire*; ita ut proprie hic significet, *peribit, male ei erit, plagis cædetur.*

742. *Hic adsum.* Ms. Lips. *Hic sum.*—*Chreme.* Alii *Chremes.*—*Exspectabam.* Mss. Bœcleri cum M. et Lips. *exspecto.* Ita et editiones antiquissimæ et Antesignanus. Both. ex Bentleio *expeto.* — *Te ipsum exspectabam.* Sic alloquitur Chremem nondum visum, quasi nunc tantum adveniret.

743. *Scin' tu turbam.* Antesign. delet *tu.* — *Turbam*, rixam. — *Hanc*, quæ me inter et militem surrexit. — *Adeo*, etiam, imo.

744. *Quî, quæso, istuc?* Sic Bent. ex cod. reg. pro *quasi* vulgato. — *Studeo;* alios legere *cupio* notat Perl. — *Omnem rem*, Omnia quæ facta sunt; et sic alludit ad ea quæ egit, et dum militi morem gerit, et dum Chremem ad cœnam invitat, et dum militis convicia patitur. —*Ad me?* Hæc referas ad *attinere.*

745. *Et restituere.* Bent. Bip. Both. *Ac* pro *et.* — *Reddere et Restituere.* Vide supr. vs. 147. — *Hæc atque ejusmodi multa.* Talia, et multa alia ejusdem generis. Thais imputat adolescenti quæ vidit, et alia quibus interfuit. *Don.*

746. *Hem.* Bip. Delph. *ehem.* — *Ubi ea est?* etc. Chremes ad mentionem sororis, exspectatione suspensus, *ubi ea est*, inquit. Et quum Thais responderet, *domi apud me*, confusus *hem?* ait metuens ne pudori ejus male consultum in domo meretricis fuerit. Quo metu mox eum liberat Thais: *quid est*, quid perturbaris? *Educta* est soror tua, *ita uti teque illaque dignum est.* Quod, adversus dubitantem (*quid ais*) mox amplius confirmat, *id quod res est. Bœcler.*

747. In hoc versu redit Antesignanus ad vulgatam versuum compositionem quam a versu 738 in modum omnino sibi proprium fregerat, ut explicat, objecta et explicata ratione metri. — *Dignum est.* Alii *est dignum.* — *Quid ais?* Recte dubitare primo visus est; quia apud meretricem mirum liberaliter educatam. *Don.*

Hanc tibi dono dŏ, neque repeto pro illa quidquam abs te pretî.

CHREM. Et habetur, et refertur, Thais, ita uti merita es, gratia.

THA. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme:

Nam hæc ea 'st, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis.
CHREM. Viden' tu illum, Thais....? PYTH. Ubi sita 'st? THA. In risco. Odiosa, cessas?
CHREM. Militem secum ad te quantas copias adducere?

748. *Quidquam abs te.* Delph. post Antesign. *abs te quidquam.*

749. *Et habetur.* Alii *et tibi habetur.* — *Refertur.* C. G. m. *referetur*, quod legunt Bip. Both. — Bip. Both. Perl. delent *a me* quod post *Thais* subjicit Valp. — *Gratia* collocat in versu seq. Delph. ut et *Chreme* in versum 751.—*Et habetur et refertur gratia. Habet gratiam*, qui beneficio collato obligatur alicui; et *refert gratiam*, qui quovis modo gratitudinem animi declarat.

750. *At enim cave.* Intellige simpliciter pro *at cave*, quia *enim* sæpe vim affirmandi habet.

751. *Nam.* Both. *namque.* — *Ereptum venit.* Ed. Delph. *Venit ereptum.* — *Venit*; vide scenam sequentem sub initio.

752. *Effer.* Notat Westerhov. legi *affer* in Mark. — *Cistellam*, arculam, capsulam. — *Monumentis*, signis et indiciis, unde agnoscatur Pamphila.

753. *Viden' tu illum.* Formidare incipit rusticus, viso Thrasone cum comitatu. *Farn.* — *Ubi sita 'st*, sub. *Cistella.* Trepidanter personas immiscuit. *Don.* — *Risco.* Glossar. λάρναξ, *arca*, *riscus*. Et Nonius exponit, loca in parietibus esse angusta, cui assentit Boettiger. Adde Polluc. lib. X, 31. Ρίσκος est in repositoriis vestium muliebrium. *Perl.* — *Cessas?* Imprecatio tarditatem objurgantis.

754. *Militem.* Alias *militum.* Erasm. — *Ad te.* Ms. Lips. *atque.* West. Sic Guelf. 1. — *Militem secum ad te*, etc. Hæc jungenda sunt cum præcedentibus Chremetis verbis, «*Viden 'tu illum*,» et construendum est: «Viden 'tu illum militem adducere secum copias quantas.» Quasi esset: «Viden' quantas miles ille secum adducat copias.» Simile genus constructionis occurrit fere apud Q. Curtium lib. III, v, 7; Edition. vol. I, pag. 124: «Flentes querebantur.....quem ausurum Alexandro succedere? etc.» pro «quis signum daturus esset, quis esset ausurus...» — *Quantas copias.* Proprie dixit *copias*; nam sic dicuntur legiones in unum collectæ. Convenit tamen rudi et rustico adolescenti sex homines *copias* dicere: militem

At at! THA. Num formidolosus, obsecro es, mi homo?
CH. Apage sis.
Egon' formidolosus? Nemo 'st hominum, qui vivat, minus.
THA. Atque ita opu 'st. CHREM. Hau! Metuo qualem tu me esse hominem existumes.
THA. Immo hoc cogitato: quicum res tibi est, peregrinus est,
Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic habens.

scilicet, Parasitum Gnathonem, Donacem, Syriscum, Simalionem, Sangam. *Donatus.*

755. *Num.* Sic Fa. pro *non* vulg. *Perl.* — *At at.* Sic Bip. Perl. Jungit Valpy, Bent. Both. *attat.* — *At at!* Hic interjectio est conterriti. — *Formidolosus*, active et passive sumitur: active, qui formidat, ut hic et apud Columell, lib. VI, cap. 2: « Nec ad ingredienda flumina aut pontes formidolosi. » Tacit. lib. I, « Formidolosior hostium miles. » Passive, qui formidatur; Cicero, Tuscul. IV, « Conservatio stabilis judicii in his rebus quæ formidolosæ videntur. » *Rob. Steph.* — *Apage sis. Apage.* Recedas procul ab ista vituperatione. — *Sis*, pro *si vis.* Ita dicitur *videsis*, *cavesis*, pro, *vide*, *cave*, *si vis*; et item est de aliis hujus modi verbis.

756. *Egon'.* Zeun. *Ego.* — *Nemo.* Ms. Lips. *nemo homo.* — *Hominum.* Mark. *omnium.* — *Qui vivat*, *minus.* Pro his Mss. quidam habent cum Cod. Tarv. et Mediol. *qui metuat minus.* West. — *Minus* formidolosus, quam ego.

757. *Hau!* Omnes fere lib. scrip. inter quos Bembinus, non *Hau*, sed *Au*, habent; quod Faerno magis placet. Sic Bent. Bip. Both. In aliis *Au.* — *Qual. tu me esse hom.* Zeun. omittit *esse.* — *Atque ita opus est*, i. e. ne sis talis. — *Metuo qualem tu me esse homin.* etc. Metuo super hoc, scilicet, qualem de me opinionem habeas; h. e. ne me minus fortem existimes.

758. *Cogitato.* Guelf. 2, *cogito.* — *Immo.* Præterquam quod ita opus est te fortem esse. — *Hoc cogitato*, quod dictura sum. — *Qui cum*, pro *quocum*, et subaudi, *ille.* — *Peregrinus est.* Locus de facultate et difficultate litigandi etiam alibi apud Nostrum tractatur. And. 811; sqq. *Bæcl.* – *Peregrinos* fingebant hos milites quos populo deridendos propinabant Comici poetæ, stultos illos quidem et ridiculos homines qui, quum sub Ptolemæis vel Seleucidis, vel, si Diis placet, sub Alexandro ipso stipendia meruissent, inventas in bello divitias cum Atheniensibus scurris et scortis dilapidarent. Vid. doctissima et elegantissima Boettigeri dissertatio. *Both.*

759. *Minus amicorum hic habens.* Alii *amicorum hic habens minus.* — *Potens*, auctoritate valens apud cives. — *Minus notus*, propter familiæ splendorem.

CHREM. Scio istuc. Sed tu quod cavere possis, stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta injuria.
Tu abi, atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum.
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. THA. Mane.
CH. Melius est.... THA. Mane. CH. Omitte, jam adero. THA. Nil opus est istis, Chreme.

760. *Scio istuc.* G. Edd. Med. Tarv. *Scio ego istuc.* Et probat *ego* Perletus, « Ut sit ex adverso *tu*, quod sequitur. » — *Tu quod cavere.* Invertit Both. *Cavere tu quod.* — *Sed tu quod*, etc. Construe: « Stultum est adm. quod tu possis cavere. » *Tu* generaliter dictum, pro *quis.* — *Admittere*, fieri pati, et alludit ad propugnationem quam vult parari Thais. Menander apud Stobœum: Εὐήθειά μοι φαίνεται δηλουμένη, Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ' ἃ δεῖ. Et alibi, citante eodem Stobœo: Σωφρονίστερον δ' οἶμαι τοῦ μετὰ τὸ παθεῖν ἐγκαλεῖν, τὸ πρὶν παθεῖν φυλάξασθαι τὸ μὴ παθεῖν. *West.*

761. *Prospicere.* Providere ne fiat: i. e. prospicere et cavere, ex eo quod præcedit, id quod sequitur. *Don.*—Timiditati suæ speciem prætexit providentiæ. *Perl.* — *Accepta injuria.* Postquam acceperimus injuriam.

762. *Tu abi.* Ed. Delph. *Abi tu.* — *Obsera ostium.* Alii, *ostium obsera.* — *Dum ego hinc.* Sic Zeun. Bip. Both. Perl. Sed Valp. *ego dum hinc.* — *Tu abi* domum. — *Transcurro* dixit, non *curro*: ut proximitatem fori ostenderet. *Donat.* — *Ad forum.* Unde arcessat advocatos, qui ibi ambulant atque versantur. Ph. 294, 295. Insignis locus de hac re videatur, Cic. de Or. III, 33.

763. Illa, *volo ego ad. hic ado. nob. in turb. hac*, absunt a Mss. Lips. et Pal. et Ed. prim. — *Adesse hic.* Br. *hic adesse;* et geminat τὸ *mane.* — In aliis est, *advocatos in turba.* TH. *Mane, mane.* Westerhovius. *Advocatos nobis.* TH. *Mane, mane.* Lind. — *Advocatos.* Vide supr. vs. 340, pag. 174; et intellige, *advocatos*, non qui vim vi repellant, sed qui injuriæ sint testes, et si opus sit, rem apud judices testimonio confirment. — *Hic*, ubi versamur. — *In turba hac*, in hoc tumultu, et rixa quæ instat a milite.—Vide timidum hominem *turbam* appellare, quam mulier non timet.

764. *Omitte.* Bothius, *mitte.* — *Melius est.* Interrumpit Thais pergere volentem: « ut advocati hic adsint. » — *Omitte*, permitte me abire. Phorm. 466. — Ex hujus verbis apparet, etiam manu comprehensum esse adolescentem. *Donat.* — *Jam adero*, mox rediero. — *Istis*, Utrum *advocatis*, ait Donatus, an *istis* omnibus quæ dixisti? Se-

Hoc modo dic, sororem esse illam tuam, et te parvam virginem
Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. PYTH. Adsunt. THA. Cape.
Si vim faciet, in jus ducito hominem. Intellextin'? CH. Probe.
THA. Fac animo hæc præsenti ut dicas. CH. Faciam. THA. Attolle pallium.
Perii! Huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.

quentia indicant hic potius mentionem fieri de advocatis: *signa ostende*, vs. 766.

765. *Hoc modo dic.* Alii collocant *hoc dic modo.* — *Soror. esse ill. tu.* Alii, *soror. ill. tu. esse.* — *Et te parv.* Both. omittit *et.* — *Hoc modo dic.* Ordine est exsecutus: primo, utrum personam habeat, *Dic, sororem,* inquit, *illam tuam esse.* Utrum negotium habeat, *Et te parvam virginem amisisse.* Cur hodie agat, *nunc cognosse.* Et unde probet, *signa ostende.* Hæc omnia sic pronuntianda sunt, ut et justa et facta facilia demonstrentur. *Don.*

766. *Amisisse,* etc. Br. distinguit: *Amisisse. Nunc cognosse, signa, ostende.* — *Adsunt.* Signa, quæ extulit Pythias, et quæ iverat quæsitum, vs. 753. — *Cape.* Hæc dicit Thais Chremeti.

767. *Si vim faciet.* Both. *Vim si fac.* — *Si vim faciet.* Si velit miles rapere virginem. — *Probe,* sub. *intellexi.*

768. *Fac an. hæc præs. ut dicas.* Sic Bip. Both. Perl. Alii, Br. Zeun. An. *h. ut pr. dicas.* Valp. delet *ut.* — *Attolle.* Un. e Mss. Pall. *tolle.* Perl. — *Animo præsenti.* Bene sui ipsius compote. Timet enim Thais ne, præ ebrietate, inconsulto Chremes loquatur et male agat mandatas partes. — *Hæc,* quæ te commonui dicenda. — Hæc non dicerentur a Thaide, nisi in illius vultu pavor nimius appareret. *Don.* — *Attolle pallium,* quod ex humeris præ negligentia defluxit, propter temulentiam, fortassis etiam propter timorem. Pergit Thais indicare Chremeti, ad quem debeat habitum sese componere, ne minorem, si opus sit loqui, fidem faciat.

769. *Est opus patrono.* Both. *Patrono opus est.* Delph. *Opus patrono est.* Br. *Opus est patrono.* — *Perii.* Hæc secum Thais, suspicata ignaviam Chremetis, qui seguius se audientem præbet, dum ei animos adhibere tentat mulier. — *Huic ipsi,* etc. Hic, qui mihi defensor paratur, ita timet, ut ei potius patronus adhibendus sit. *Eugr.*

SCENA OCTAVA.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

THR. Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho? 770
Mori me satiu 'st. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum ædes expugnabo. GN. Recte. THR. Virginem eripiam. GN. Probe.
THR. Male mulcabo ipsam. GN. Pulchre. THR. In medium huc agmen cum vecti, Donax;

770. *Hanccine ego ut contum.* Abest *ut* a quibusd. lib. Ven. Ien. *West.* — *Ut accipiam.* Supple, *Fierine potest.* — *Accipiam*, patiar æquo animo. — *In me* sub. *illatam.* — *Gnatho.* Apparet Gnathonem, et dehortatorem esse certaminis, et ad pocula militem provocare, maxime quum videat persuasisse ista consilia, ut hoc certamen moveretur. *Don.*

771. *Satius est.* Br. *Sat. es.* — *Donax.* G. Edd. Tarv. Mediol. Br. *Donax.* — *Sequimini.* Addunt *me* Guelf. 1, 2. — *Mori me satiu 'st.* Ridicula est præsumptio militis, tanquam adversus meretricem jurgia nunquam audentis, nisi morte proposita. *Don.*—*Sequimini.* Mirare ferociam militis nullum adhuc propugnatorem circumspicientis.

772. *Recte.* Guelf. 3, addit *facies.* — *Primum ædes expugnabo.* Magnifice exponit rationem belli. — *Virginem*, Pamphilam. — *Recte, probe, pulchre.* Gnatho, postquam frustra omnia adhibuit ut militem inter pocula retineret, jam nihil aliud agit quam vocibus recte, probe, pulchre, ad omnia assentari.

773. *Mulcabo.* Alii edunt *mul:abo*, male, ut asserit Bipontinus editor. Delph. Zeun. *mulctabo*, quo cum verbo sæpe confundi notat Ruhnkenius lectionem quam recepimus. — *Donax.* Variat ut supra, vs. 771, scriptura nominis apud quosdam. — *Mulcabo.* Pedibus et pugnis cædam. — *Ipsam*, Thaidem, quam præ ira nominare omittit. — *Cum vecti.* Vectis erat palus ferreus quo perfodiebantur muri vel ædes, expugnandi, vel furandi causa. Horat. Od. III, xx, 7, 8: «Vectes oppositis foribus minaces.» Totum hunc pugnæ ordinem comice et apprime repræsentat Terentius. Cui fere similis locus invenitur in Plaut. Milit. Glorios. ad personam *Pyrgopolynicis.* Adnotat Dacieria eumdem Terentii locum succurrisse Luciano, quum depingit Polemonem, acie instructa, scortorum quorumdam ædes obsi-

Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum.
Cedo, alios. Ubi centurio 'st Sanga, et manipulus furum?
SANG. Eccum, adest!
THR. Quid, ignave! Peniculon' pugnare, qui istum huc portes, cogitas?
SANG. Egone? (Imperatoris virtutem, noveram, et vim militum,
Sine sanguine hoc non posse fieri) qui abstergerem vulnera.

dentem. Vide ad Meretricum Dial.

774. *Sinistrum... dexterum.* Ms. Lips. *Sinistero, dextero.* Br. legit *dextrum.* — *In sinistrum cornu.* Sub. *accede*, ut supra.

775. *Ubi centurio 'st Sanga.* Ms. Mark. delet *est.* Quid. editi hoc loco omittunt *Sanga*, quod paulo post reponunt: *Sanga eccum adest.* — *Cedo*, quæso. — *Alios*, sub. *Reposco*, nec refer ad *cedo.* Quasi diceret: Ubinam sunt alii. — *Centurio*, centum militum præfectus. — *Manipulus*, exigua militum manus, quæ unum sequitur signum; quia prisci Romani *manipulum* fœni suspensum e pertica pro signo habebant et vexillo militari. Ovid. Fast. III, 115: « Pertica suspensos portabat longa maniplos; Unde maniplaris nomina miles habet. » *Perl.* — *Furum.* Intelligit Thraso servos, qui sub Sanga rem culinariam exercent. Notum est nempe servos nonnunquam *fures* vocari, propter furacitatem notam. Vide Serv. ad Virg. Bucol. III, 16. Comice autem jungit Miles magnificas appellationes cum abjectioribus. Sic *coquum* decorat nomine *centurionis*; et quum de *manipulo* os aperit, hæc applicat ad servorum vilem et rapacem turbam. — *Eccum, adest!* Thrasoni quærenti ubi sint Sanga ejusque culinarii, comice respondet Sanga, pro se uno; talique responso aperit quantum deliret Thraso, qui numeroso exercitui imperare sibi videtur.

776. *Istum.* Var. *istuc huc; istunc huc; istum huc.* Perl. Dat Br. *Pugnare quis.* — *Peniculo.* Est peniculus spongia longa ac propter similitudinem caudarum appellata. Penes enim caudæ appellabantur. *Festus.* — *Istum* peniculum. — *Huc portes.* Apparet coquum ad repentinum strepitum sic exiisse, ut ad artem suam fuerat expeditus. *Don.* — Quod pertinet ad vim verbi *portes*, subjunctivus indicat, *qui* hic positum esse pro, *quum tu portes: Quandoquidem tu* portas.

777. *Egone.* Intellige: Rogas quid cogitem, allato peniculo. — *Imperatoris.* Blande, h. e. Thrasonis. — *Vim*, ardorem et impetum.

778. *Non posse fieri.* Valp. *fieri non posse.* Legit Bothius: *S. s. hoc ne posse fieri? qui abst. vulnera.* — *Hoc non posse fieri.* Sub. noveram. — *Qui abstergerem vulnera.* Hæc junge

THR. Ubi alii? SANG. Qui, malum! Alii? Solus Sannio servat domi.

THR. Tu hosce instrue; hic ego ero post principia : inde omnibus signum dabo.

GNATH. Illuc est sapere : ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.

THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. CH. Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?

cum interrogatione *ego*, ita ut quidquid medium est intercludatur parenthesi : « Quærisne quid ego cogitem? Cogitavi qui (ut ego) abstergerem vulnera. »

779. Ien. cod. *quid* pro *qui*. — *Servat domi.* C. G. m. et al. *domum.* Perl. — *Ubi alii?* Dixit enim Sanga se adesse; sed non adfuit manipulus quem Thraso vocabat. — *Qui* pro *quales*, *quinam*: « Quinam sunt isti alii quos petis? » — *Malum.* Est *malum* interjectio, quæ interponitur. Plautus in Epidico : « Quæ (malum!) hæc impudentia est? » Quint. Curt. VIII, XIV, 41, Alexander ad Porum victum: « Quæ, malum! amentia te coegit? » *Perl.* — *Servat domi.* Verbum hic absolute ponitur pro, custos est, custodiam facit. Huc respexit Amm. Marcell. lib. XIV, dicens: « Ne Sannione quidem, ut ait comicus, domi relicto: » *Perl.*

780. *Tu hosce*, etc. Brunsius: *Instrue hic : ego vero post.* — *Hic ego*, etc. Both. delet *hic* ex Bentl. — *Tu hosce instrue.* Sangam his compellari nobis visum est cum Perleto, potiusquam Gnathonem. — *Hic.* Indicat locum ubi stabit. — *Post principia.* Initio apud veteres, *principia* vocabantur copiæ quæ prima acie stantes, priores hostium impetum sustinebant. Postea, mutato militiæ ordine, illæ quæ in primis stabant, post *Hastatorum* manipulos sunt locatæ; et a tergo erant quos vocabant *Triarios*; pristinam autem retinuerunt appellationem *principia* quamvis ex ea mutatione secundum locum obtinerent. Hic igitur Thraso in tutissimo loco se collocat, in medio nempe exercitu. — Vide quorsum reciderit prior Thrasonis jactitatio cui, post tantas minas, nunc saluti suæ consulere satis est. — *Inde*, ab eo loco.

781. *Ipsus.* Both. *ipse.* — *Loco.* Guelf. 1, *locum.* — *Illuc est sapere.* Assentitur peritiæ Thrasonis, sic aciem ordinantis. Mox voce submissa carpit ejusdem ignaviam: *Ut hosce*, etc. — *Ipsus sibi cavit loco.* Suæ saluti consuluit opportunitate loci, a periculo remoti, quem sibi delegit. *Juvenc.*

782. *Idem hoc jam.* Alii, *Idem, hocce*; alii *idem hoc etiam.* — *Factitavit.* Temere Dac. vult legi *factitat.* Zeun. Ordinat et legit Both. *Item P. hoc jam.* — *Idem hoc jam Pyrrhus factitavit.* Epirotarum rex, quem Antigonus ducem optimum pronuntiavit, siquidem consenuit, superstes variis bellis. Annibal vero primas Alexandro dedit, quia, etc. Pyrrho

Nimirum consilium illud rectum 'st de occludendis ædibus.

THA. Sane, qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est.

Ne metuas. THR. Quid videtur? GN. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,

Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes; facerent fugam.

secundas, quia castra metari primus docuisset, stratagematumque in urbibus capiendis et præsidiis ponendis esset peritissimus, etc. sibi denique tertias. Tit. Liv. Decad. IV, lib. V. *Farnabius.* — Suavitatem comœdiæ juvat, quod homo nihili et nebulo magnus, ut infra dicitur, clarissimorum hominum exempla suis ineptiis prætexit: Hic Pyrrhi, infra Herculis. *Bæclerus.* — *Viden' tu.* Hæc seorsum Thaidi Chremes conterritus.

783. *Consilium illud.* Quod dederat supra, vs. 762.

784. *Qui tibi nunc.* Sic Br. et sequuntur Bip. Both. Perl. Alii *quod.* — *Videtur.* Valp. *Videatur;* et idem distinguit *vid. esse hic, neb. magn. est.* — *Sane, qui tibi nunc vir videtur esse*, etc. Valet *Vir* sensu eminentiori. Ita Curt. IX, VII, 17: «Postulare, ut si *vir* esset, secum decerneret.» *Perl.* — *Nebulo*, inanis, vanus, mollis, ut *nebula*, ex Donato, quemadmodum jam alibi citavimus. — Notetur antithesis, *vir, nebulo.*

785. *Ne metuas,* THR. *Q. videtur?* GN. *Fundam*, etc. In Br. et plurimis edd. Westerhovius notat (etiam Donati ætate) hæc *fundam*, etc., credita esse Thaidis ad Chremetem. — *Quid videtur?* Dubitandi locus est a quo dictum sit, *quid videtur?* Ego sane hoc Militem puto dicere, quem paulatim a violentis atque acribus principiis ad terrorem desidiamque perducit timor. Nam primo ipse præcedit, utpote qui dicat, *Sequimini.* Dum denique propius deventum est, post *principia* refert pedem, (vs. 780). Post, jam nihil audet, sed quærit consilium Parasiti. Denique, ubi cominus gerenda res est, dixit, *mane* (vs. 787) et continet irruentes. Ad postremum diffisus, nescit quid agat: ad Parasitum spectans, *quid agimus?* (vs. 812) inquit. *Donat.* — *Fundam tibi nunc*, etc. Convenit timido *funda*, quia e longinquo jactatur. Donatus adnotat quosdam esse qui putent hæc a Thaide ad Chremetem dici. Sed male, ut ipse exponit: « Non enim conveniunt ista Meretricis dictis superioribus: nisi quia movet me quod *ex occulto* dicit; quasi constet ei, jamdudum, videri militem et ipsum non vidisse, cum qua pugnaturus sit. » — *Nimis vellem dari.* Plautina expressit, Asin. III, II, 43: « *Nimis vellem* habere perticam.» *Perl.*

786. *Ut tu illos.* Tr. omittit *tu. West.* Legit Both. *Ut proc. hinc ex occ.* — *Cæderes.* Donat. vult intelligi *Cædendo cogeres.* Sed melius est in-

THR. Sed eccam Thaidem, ipsam video. GN. Quam mox irruimus! THR. Mane.
Omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet.
Quî scis, an quæ jubeam sine vi faciat? GN. Di vostram fidem.
Quanti est sapere! Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thais, primum hoc mihi responde : quum tibi do istam virginem,

terpretari: « ex hoc loco ubi sumus, verberares. » — *Facerent fugam.* Hac phrasi, quod notandum est, utitur notissima, sed novo sensu. Sensus enim orationis hic est : « fugerent, vel in fugam se darent, Thais scilicet cum suis. » At latine *facere fugam* dicitur ille, qui fugat vel fugatos reddit, non qui ipse fugit vel in fugam se dat. Exempla sunt Livii, VIII, 9. « *Fugam* ac vastitatem late *fecerunt;* » Ibid. 1, 56: « Anguis quum terrorem *fugamque* in regiam *fecisset.* » Superaddo XXI, 5, ubi Doering. Hoc quum ita est, mallem equidem *faceres*, si per Codd. liceret. *Perl.*

787. *Quam.* Festus, *in quam.* — *Irruimus.* Pall. tres *irruamus. Irruemus* Guelf. 2. Cæterum magis placet exclamandi nota Parei, quam interrogandi aliorum. *Perl.* Punctum maximum dat Bip. — *Quam mox irruimus!* Hoc parasitus, irridens militem, dicit. Et *irruere* proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt. *Don.*

788. *Omnia*, etc. Variat hic locus. Mss. Paris. *Omnia prorsus.* Be. ex vetust. *arma* pro *armis* vulg. Ald. *experiri verbis.* Bip. ed. *sapientia.* Probabitur præ omnibus C. G. ch. *consilio*, haud dubie ex Nonio sumptum. *Perl.* — *Omnia prius*, etc. Animadverte quantam vim habeant ad delectandum, in comœdiis, severæ sententiæ, quum a ridiculis personis proferuntur: quale est apud Plautum, ubi miles, suam formam admirans, ait: « Nimia est miseria nimis pulchrum esse hominem. » *Don.*

789. *Quæ jubeam sine vi*, etc. Both. *Sine vi, quæ jubeam.* — *Jubeam.* Recte. *jubeam*, ut fastosus; non *velim.* Perl. — *Sine vi*, libenter. — *Faciat*, sc. Thais. Notandum est formulam hanc interrogandi eamdem vim habere quam si poneretur, ut sæpe fit, *haud scis an.* Intellige igitur « Fortasse faciet... »

790. *Nunquam accedo.* Mureto placebat *accedo ad te:* quomodo est in quibusdam codicibus. — *Quanti*, etc. Supple : quanti pretii est τὸ sapere. — *Accedo* ad te. Pergit Parasitus in adulando.

791. *Hoc mihi responde.* I. e. responde mihi secundum hoc quod rogo. — *Quum tibi do.* Pro, *quum tibi dabam.* Præsens pro Præterito, ut Virgil. Æneid. IX, 266: « Cratera antiquum, quem *dat* Sidonia Dido » Citat hic Both. Heaut. 985, Adelph. 366; et addit fieri hoc Græcorum imitatione, qui sic sæpius, velut

Dixtin' hosce mihi dies soli dare te? THA. Quid tum postea?
THR. Rogitas? Quæ mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.
THA. Quid cum illoc agas? THR. Et cum eo clam te subduxti mihi.

Euripides, prima Hecuba: Ἑκτορός τ' ἀπόλλυται ψυχὴ, pro ἀπώλετο. — Minime autem assentimus Perleto contendenti *do* pro *darem* ex industria posuisse Comicum, ut rudis quoque linguæ Miles, satis alioqui ridiculus, ostenderetur.

792. *Dixtin'*. Ms. Par. *distin* pro *dixistine*. — *Hosce*. Antesign. Zeun. Valp. Both. *Hos*. — *Hosce mihi dies soli dare te*. Antesign. *mihi h. dies*, etc. Both. *H. dare mihi dies te soli*. — *Dixtin' hosce mihi dies soli dare te*. Vide supra, vs. 181. — *Quid tum postea?* Sub. *locuturus es?* Respondendum fuerat expresse, aut *dixi* aut *non dixi*. Sed Thais implicita responsione utitur; ita ut, dum *se dixisse* non negat, ipsa quoque interroget callida meretrix, tanquam nihil prævideat ad quod spectare possit Thraso, promissi bidui commemoratione. Hæc ergo adeo non per *contumaciam et contemptionem militis* (quod volunt Donatus et Farnabius) dicit Thais, ut contra aliquid moderationis erga militem eatenus retinere velit, donec sciat quid ab eo paretur exprobrationis et jurgii.

793. *Rogitas*. Collocant Delph. Bip. in versum 792. — *Quæ mi*, etc. G. *quo mihi*. — *Rogitas?* Vox increpantis. — Gallice verteremus: THAIS: *Hé bien, après?* THR. *Comment après? n'avez vous pas*, etc. — *Quæ*, tu quæ. — *Mi ant. oc.*, pro, ante meos oculos. — *Ante oculos coram*, pro simpliciter *coram me*, vel *ante oculos meos*. Non ergo admittenda distinctio Donati: *ante oculos*, longe; *coram*, proxime. Nec, ut ait Bœclerus, copia et frequentatio verborum ubique in promptu longe petitarum περιεργίᾳ explicationum temerari debet.

794. *Cum illoc*. Sic Bentleius ex antiquis codd. et Both. Perl. Vulgo *illo*. — Hæc verba *Quid cum illoc agas* tribuunt Thaidi omnes editi, quos habemus. Item nos, contra Perletum; sed hæc verba Thrasonis esse, non Thaidis asserit Ruhnkhen. et mirum videtur Bentleio omnes codd. hoc Thaidi tribuere. — *Quid*. Clericus volebat *quin*, sed et sic oporteat *agis*. — *Cum eo clam te*. Alii *cum illo cl.*, etc. — *Te subduxti mihi* Delph. *subduxisti te mihi*, post Antesign. — *Cum illoc*, cum tali, tam stulto homine. — *Quid agas*, absolute dictum pro, *quid agi possit*, *quæ res serio tractari possit?* Non abs re videtur explicare hic sententiarum seriem, quæ plures interpretum fefellit et inter eos Perletum, a quo dissentimus. Scilicet incepit jam Thraso jurgium, quod prævidebat Thais (vide supr. 792) vocando Chremetem ipsius amatorem. Thaidi movet bilem hæc suspicio, et: « Nequaquam est idoneus talis homo, seorsum dicit, cui rationem reddam, cuique me purgem. »

THA. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.

CHR. Tibi illam reddat! Aut tu eam tangas! Omnium . . . GN. Ah! Quid agis! Tace.

THR. Quid tu tibi vis? Ego non tangam meam! CHR. Tuam autem, furcifer?

GN. Cave sis : nescis, cui maledicas viro. CHR. Non tu hinc abis?

Thrasone autem, qui non audiit, pergente : *et cum eo*, etc. Thais, omnino pertæsa, nullum jam modum retinet, et dicit tantum, *lubuit, volui*, *sit pro ratione voluntas*, nihil jam fere locutura amplius in tota scena. — *Ergo.* Quoniam meretrix dixit *Lubuit*; ideo, *ergo*, Pamphilam miles nunc repetit. — *Huc redde. Huc* non *hic;* quia verbum *redde* motus aliquid hoc loco indicat : *huc adduc, et redde.* Præterea non sine contemptu *huc* dicit, potiusquam *ad me.* — *Mavis eripi*, sub. *eam.*

795. *Lubuit.* Antesign. Br. Delph. *libuit.* — *Nisi vi.* Both. legit *nisi si* cum Bip. et Br.

796. *Aut tu eam.* Sic Antesign. Bentl. Perl. Dant *aut tu illam.* Zeun. Valp. Delet Both. *aut.* — Br. *Tibi eam reddat, aut tu eam tangas.* — *Ah!* Eug. *Ha.* — *Quid agis.* Antesign. Zeun. et alii, *quid ais.* — *Tace.* Vocem hanc tribuit non Parasito, sed Chremeti Both. et ait : «alia res esset, si *abi* diceret.» — *Tibi illam reddat*, etc. Supple *Fierine poterit ut*, etc. et Interrogatio negandi vim habet. — *Illam, eam.* Hæc pronomina eamdem ad personam referuntur, modo paulum absimili : *Illam*, quasi ad quiddam remotius, quia Thraso nominaverat prior Pamphilam; *eam*, quia Chremes de eadem per τὸ *illam* modo mentionem fecit. — *Tangas*, nedum vi eripias. — *Omnium . . .* est ἀποσιώπησις indignantis, ut Andr. vs. 873; nisi quod interpellat conviciaturi orationem Gnatho. — *Ah, quid ag.?* etc. Per novum assentationis genus, simulat Gnatho miserere se Chremetis, convicio formidabilem vindictam Thrasonis in se concitaturi; et suadet ut tacendo suæ saluti consulat.

797. *Quid tu tibi vis!* In Leidd. quatuor, Lipsiano, aliis et editis antiquissimis hæc Chremeti adscribuntur. — *Non tangam meam.* Ms. Lips. *tangam eam?* Scilicet scriptum fuerat *tanga M eam* quod valet *tangam eam.* — Interpungitur quoque : *tuam autem? furcifer! — Quid tu*, sc. Chremes. *Quid tu tibi vis?* Recte. Cum Thaide enim loquebatur, non cum Chremete. *Donat.* — *Meam*, puellam quæ mea est. — *Tuam autem.* Vox est refellentis, et indignantis. — *Furcifer.* Indignum libero homine convicium, quo quidem utitur rusticus adolescens atque iratus. Cf. supra Andr. vs. 619, pag. 82.

798. *Maledicas viro.* Antesign. Bent. Delph. Bip. Both *maledicas*

Scin' tu, ut tibi res se habeat? Si quidquam hodie hic turbæ cœperis,
Faciam, ut hujus loci dieique meique semper memineris.
Gn. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
Chr. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. Gn. Ain vero, canis!
Siccine agis? Thr. Quis tu es homo? Quid tibi vis? Quid cum illa rei tibi est?
Chr. Scibis. Principio eam esse dico liberam. Thr. Hem! Chr. Civem Atticam. Thr. Hui!

nunc. Zeun. *nunc maledicas.* — *Cave sis*, pro *Cave, si vis.* Quia imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres *sis.* — *Cui* viro, quam formidando bellatori. — *Maledicas*, convicia ingeras. — *Tu hinc abis.* Hæc ad Gnathonem. Sequentia *scin' tu*, etc. ad Thrasonem.

799. Bip. *turpe* pro *turbæ.* — *Cœperis.* Mss. quidam et edd. *feceris.* West. Br. — *Scin' tu, ut tibi res*, etc. Scin' tu quantum res periculi habeat tibi.

800. *Faciam ut hujus loci.* Delph. omittit *ut.* — *Faciam*, etc. Hæc integra Noster ex Plaut. Capt. IV, II, 20, transcripsit. — *Hujus loc.* etc. *Loci*, in quo læsus; *diei*; quo cæsus; *mei*, a quo cæsus. *Donat.*

801. *Qui facias.* Utpote qui facias. — *Tantum hominem.* Ne nunc quidem Parasitus a militis assentatione discedit.

802. *Caput tuum.* Both. *caput tibi*, post Ienensem et Venetum codicem. Hel. *tuum tibi.* — Ms. Lips. *nisi hodie abis.* — *Diminuam*, conteram, in diversas partes confringam. — *Ain*, hoc ne dicis? — *Vero.* Formula indignantis. Vide Drakemborch. ad Liv. XLV, XIX. *Perl.* — *Canis*, militare convicium est *canis* in hostem, ut apud Homerum, Iliad. I, 159.

803. *Siccine agis?* Ms. Bibl. Reg. et Br. *sic agis?* — *Es homo.* Sic Valp. Perl. Dant *homo es* Antesign. Br. Zeun. Bent. Bip. Both. — *Cum illa*, cum Pamphila.

804. *Eam esse dico.* Both. delet *eam.* — *Hui.* Ms. Lips. *cui.* West. — *Scibis.* Et *Scies*, et *Scibis* dicitur. *Don.* — Non obsequenter, sed figurate dicitur ab irato. *Idem.* — *Principio*, etc. In tria divisit officium defensionis suæ. In assertoris, *Principio eam esse dico* liberam: In cognitoris, *civem atticam*: in fratris, *meam sororem.* Et bonus est ordo, libera, civis, nobilis. — *Liberam*, quo tollitur tuam videri. — *Civem att.* quo etiam negotium potest ei fieri, qui se pro domino gessit in civem. *Donat.* — *Hui, hem* et cætera hujusmodi generis, sannæ sunt adversus eos, quibus irascimur, ut impudentibus, et vana profitentibus. *Donat.*

CHR. Meam sororem. THR. Os durum! CHR. Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam Nutricem, et eam adducam, et signa ostendam hæc. THR. Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? CHR. Prohibeo, inquam. GN. Audin' tu? Hic furti se adligat.
Satis hoc tibi est? THR. Idem hoc tu ais, Thais? THA. Quære qui respondeat.

805. *Meam sororem.* Quo constat præsto esse defensionem puellæ. *Donat.* — *Os durum.* Adnotat hic interpres Gallicus *Lemonnier*, « Madame Dacier a traduit ces mots par *tant pis*. Elle fait venir *os* de *os, ossis*, et non de *os, oris*, et construit ainsi : *Voilà un coup bien rude à parer, un os bien dur.* Madame Dacier s'est laissé aveugler par l'envie d'avoir un sens à elle seule. Elle n'a pas fait attention que Thrason dit ensuite : *Tu'n prohibeas meam ne tangam?* Ce qu'il ne dirait pas, s'il avait acquiescé à la prétention de Chrémès, et s'il croyait que Pamphila est sa sœur. D'ailleurs, *os durum* est une expression familière aux bons auteurs pour signifier impudent. Ovid. Metam. V, vs. 51 : *duri puer oris*, et audax. » Cicero, pro Quint. « Mihi videri *ore durissimo* esse, qui præsente eo gestum agere conaretur. » Enfin, *os durum* est l'opposé de *frons mollis*, qui est l'équivalent de *Verecundus.* » — *Miles.* Contumeliose dictum. — *Adeo*, proinde, ergo.

806. *Ne vim facias.* Both. *vim ne facias.*—Ms. Lips. et Br. Tu. *Ego eo* : quod et alii libri præferunt : perperam. *Thais* per lacunam abest a Græv. Guelf. 1, edd. Tarv. et et Med.—*Eo ad Sophronam.* Delph. *ad Sophronam eo.*

807. *Nutricem* Pamphilæ.—*Eam*, Pamphilam. — *Signa ostendam* nutrici, ut ipse indicat infra, vs. 915, se fecisse. — *Hæc*, quæ cepit supra, vs. 766, pag. 239; et simul ea ostendit.

808. *Prohibeo.* Faernus et post eum Bent. *prohibebo.* — *Audin' tu?* etc. « Audisne, o Thraso? Iste Chremes in jus a te vocari potest, et reus furti a te fieri, qui rem tuam tuo juri velit subtrahere, et tam impudenter suam esse asserat. » Hoc effugium Gnatho ad pugnam dirimendam aperit militi. — *Furti se adligat.* Furti se reum confitetur. Videtur Eugraphius legisse *te adligat.*

809. *Satis hoc tibi est?* Donatus legit *satin h. est tibi*, item Delph. *Satis tibi est*, Both. ex Bent. Vult vir doctus quem citat Bent. refingi *sat hoc tibi est.* — *Idem hoc tu ais Thais.* Deletur *Thais* apud Delph.; et *ais* apud Both. qui versum insuavi homœoteleuto frustra oneratum putat. — *Satis hoc tibi est?* Gnatho, cui rixa displicebat, persuadere vult militi, sufficere ei furti actionem contra Chremetem, qui

THR. Quid nunc agimus? GN. Quin redimus? Jam hæc tibi aderit supplicans
Ultro. THR. Credin'? GN. Immo certe : novi ingenium mulierum.
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. THR. Bene putas.
GN. Jam dimitto exercitum? THR. Ubi vis. GN. Sanga, ita ut fortes decet

professus erat, se prohibiturum ne miles suam tangeret. *Faern.*—*Idem*, quod modo Chremes. Et id quærit, ut a Thaide extorqueat confessionem qua et ipsa, ut modo Chremes, *furti se adliget.*— *Quære qui respondeat* supple : « Quære alteram... » Vidimus supra Thaidem, nihil cum Thrasone agi posse intelligentem, cessavisse omnino a loquendo, et respondendi partes ad Chremetem esse translatas.

810. *Quin redimus.* Sic unus ex codd. Bentleii, et ex eo Both. Perl. Cæteri omnes *redeamus.* Antesign. notat alios legere *quid! redeamus.*— *Quid nunc agimus?* Hæc dicit Thraso, postquam abiit Thais a qua veniebat repetitum Pamphilam. —Vide ut evanuerit actio Militis. Primo dixit, « omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet. » Post : « Idem hoc tu ais, Thais. » Et postremo « quid nunc agimus? » Et *quid nunc agimus* consilium quærentis est. Vani impetus hunc exitum semper accipiunt. *Donat.*—*Jam hæc tibi,* etc. Construe, et intellige: « Mox Thais aderit, (veniet) ultro, (nullo cogente) supplicans tibi. »

811. *Ingenium mulierum.* Pal. 1, *ingenia.* Sic Both. cui placet hæc lectio quia cordi habet vitare, ut supra, homœoteleutum. — *Immo certe.* Interpretandum est : *Credo certe;* et *immo* auget affirmationem. — *Ultro.* Impulsu quodam ingenii, digna nec causa cæterum suadente. — *Nolunt, ubi velis,* etc. Eodem sensu Virgilius, Æneid. IV, vs. 569 :

..... varium et mutabile semper Femina.

Et apud nos *Bolæus*, Satir. X, vs. 662 :

..... La fantasque inégale
Qui m'aimant le matin, souvent me hait le soir.

Idem præterea inconstantiæ genus attingit Horat. Satir. I, III, init. et II, III, 257 sqq. — *Bene putas*, recte judicas.

813. *Ita ut.* Valp. *ita uti.* Br. Zeun. *ut sine ita* Antesign. *uti fortes* decet. — *Jam dimitto exercitum.* Exercitus *dimitti* dicitur, vel pace facta, vel vexatis hostibus. Ridicula ergo magnificentia verborum est, quum sint facta deformia. *Donat.* — *Jam dimitto*, pro, *dimittam;* in voce *jam* inest futuri vis.—*Ubi vis*, quando voles. — *Sanga.* Sicut supra, vs. 771, ad ineundum prælium, resque bellicas, Donax primus est; ita, ad res domesticas Sanga, qui coquus est. *Don.*—Hic autem ridiculam Militis jactantiam Gnatho persequitur, et deridet.

Milites, domi focique fac vicissim ut memineris.
SANG. Jam dudum animus est in patinis. GN. Frugi es.
THR. Vos me hac sequimini.

814. *Domi focique.* Edd. quidam vetusti, inter quos Antesign. *Domique focique.* Eugraphius *foci et domi.* — *Domi focique*, etc. Eadem hic, qua duces exercitum ad pugnam incitabant, hortatione Gnatho Sangam ad discessum hortatur. Quod quidem, ut adnotat exquisite Dacieria, non parum comicum et apte cohærens cum tota hujus scenæ irrisione. Sic, in hoc loco, *domi* non pro patria dicitur, quæ militibus repræsentatur defendenda, sed pro ipsa domo, in quam cœna apparanda vocat Sangam; et *foci*, non pro laribus dicitur, sed pro re culinaria, quæ agitur ad focum.—Intelligendum igitur est, si, omisso omni verborum joco, quid revera intus lateat, requiritur: « Memento ut cœnam appares. » Quod parasitum apprime decet. — *Memineris*, verbum solemne in concione militari. Sic Homerus, μνήσασθε δὲ θοῦριδος ἀλκῆς.

815. *Animus est.* Antesign. *est animus.*—*Me hac sequimini.* Quidam hæc tribuunt Sangæ, male, ut opinatur Bent. Editio princeps *Sequimini hac.*— *Jamd. an. est in pat.* Jam pridem a bello aversus animus in epulis et cupediis totus est. — Alex. apud Athen. Deipn. Lib. 1, ὁ νοῦς γάρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον. Et Cic. ad Attic. XII, 12: « Igitur *animus* in hortis. » *Perl.* — *Frugi.* Utilis et sapiens. — *Vos.* Scilicet Gnatho, et servi quos adduxerat.

Quum nobis cordi debeat esse Terentium ab omni exprobratione, si modo non omnino justa videatur, defendere; operæ pretium esse credidimus refellere judicium, quod de totô hoc actu et præsertim de posterioribus scenis pronuntiant, paulo fortasse severius, viri sæpe nobis alioquin probati *Alex. et Am.* DUVAL. Qui quidem: « Les personnages ne parlent plus selon leurs caractères. Thaïs, si raisonnable dans la scène précédente, et ayant de si bonnes raisons à donner de sa conduite, ne répond que par les mots d'une femme en colère à l'imbécille Thrason qui parle très-sérieusement. Le jeune Chrémès, poltron dans la scène précédente, devient très-courageux. Le parasite Gnathon est le seul qui conserve un peu son caractère. En général l'acte entier nous a paru bien moins fort que les premiers par les dialogues et par l'action. » Verum animadvertendum est Thaidem non inconsulto agere, quum nullam rationem militi affert; si enim Chremeti, dum soli essent, multa suasit, Chremetis solius est a milite, dum sunt coram eo, sororem suam repetere; et præterea movit Thaidi bilem convicium rude Thrasonis, vs.

793 : « Quæ mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum », ita ut nihil cum tali viro agi posse intelligat. Thraso serio quidem loquitur, et ob id ipsum a ridicula jactatione non recedit, intrepidus in pace bellator. Chremes, cui animum incenderunt tum pocula, tum verba Thaidis, tum spes recuperandæ sororis, potuisset, servata veri similitudine, aliquid fortitudinis prætendere. Sed tamen adeo non personam suam, i. e. hominis ignavi, omnino deponit, ut contra, si non fallimur, optime ignaviæ indolem referat. Etenim, imbecillitatis suæ bene conscius, pro factis ad meras jactantias confugit : *Omnium..... furcifer. Faciam ut hujus loci..* Et postremo, quasi tali conatu fessus, ad suam personam revolvitur, et judicat satius esse propositum suum signis et Sophronæ testimonio, quam vi sustinere. Et præterea, dum sic discedit, iram militis declinare in animo habet. — Quod ad reliquam judicii partem attinet, confitebimur parum processisse in hoc actu fabulam, quamvis nobis in dialogo, et præcipue in ultima hac scena, multum comicæ vis inesse videatur.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

THAIS. PYTHIAS.

THA. Pergin', scelesta, mecum perplexe loqui?
Scio... nescio... abiit... audivi... ego non adfui....
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est?
Virgo conscissa veste lacrimans obticet.

816. *Perplexe loqui.* Unus omnium quos habemus, Perletus *perplexa loq.* et vult poni pro neutro plurali et accusativo. — Thais regressa domum interrogavit de Eunucho qui aufugit, et de Virgine quam turbatam vidit. Nunc redit in scenam una cum Pythiade, quam pergit propter responsorum ambiguitatem increpare. — *Perplexe.* Confuse atque obscure, quia statuerat Pythias, consilio Doriadis nihil clare heræ interroganti respondere; Vid. supr. vs. 720, pag. 230.

817. *Scio... Nescio.* Mimesis elegans verborum Pythiados, per ellipses quidem, quas vero alii aliter explent. Namque West. Quem præ cæteris sequor, hoc modo: TH. *Scis tu nullum virum accessisse ad eam?* PYTH. *Scio.* TH. *Quæ igitur causa lacrimarum et vestis conscissæ.* PYTH. *Nescio.* TH. *Ubi nobis Dorus noster.* PYTH. *Abiit.* TH. *Qui scis abiisse Dorum?* PYTH. *Audivi.* TH. *Quare non retraxisti fugientem?* PYTH. *Ego non adfui.* Hæc et talia ille suspicatur Thaidem a cœna adeuntem a Pythiade quæsivisse. *Perl.* — Aliter alii supplent, et possunt. Cæterum, quidquid libuerit supplere, id attende, ne Thais ancillam interroget, quasi sciat vitiatam esse virginem : quod non præcavit Donatus. — *Abiit.* Statuerat supra, loco citato, id unum confiteri, scilicet, *Abiisse Dorum.*

818. *Non tu.* Græv. Ed. Med. et Guelf. 2, *num tu.* — *Quidquid est.* Guelf. 3, *quidquid id est.* Dividit Antesign. *quid, quid est.* Interpungit Br. *aperte es? quidquid est, Virgo.* — *Istuc.* Quod a te quæritur. — *Quidquid est.* Quæcumque res acciderit.

819. *Conscissa veste.* Scilicet *vestem omnem miseræ discinderat* Eu-

Eunuchus abiit; quamobrem? Quid factum 'st? Taces?
PYTH. Quid tibi ego dicam misera? Illum eunuchum negant
Fuisse. THA. Quis fuit igitur? PYTH. Iste Chærea.
THA. Qui Chærea? PYTH. Iste ephebus, frater Phædriæ.
THA. Quid ais, venefica? PYTH. Atqui certo comperi.
THA. Quid is, obsecro, ad nos, aut quamobrem adductu
'st? PYTH. Nescio;
Nisi amasse credo Pamphilam. THA. Hem! Misera occidi:
Infelix, siquidem tu istæc vera prædicas.
Num id lacrimat virgo? PYTH. Id opinor. THA. Quid ais, sacrilega!

nuchus, (vs. 646) quod Thais ignorat. — *Lacrimans obticet.* Pertinaciter, præ pudore, tacet et lacrimarum et conscissæ vestis causam. Adnotat Donatus: *Tacemus* consilia: ut Æneid. II, 94: Nec tacui demens. » *Reticemus*, dolores; ut: « ne verere, ne retice. » *Obticemus*, quorum nos pudet, ut in Phorm. 972: *Hem, quid obticuisti?* (Ubi Perletus legit *obstipuisti?*)

820. *Quid?* Guelf. 2, *quod.*

821. *Quid.* Guelf. 2, *quod.* — *Misera*, refer ad *ego.* — *Illum*, qui eunuchi nomine huc adductus est.

822. *Quis*, etc. Qualis igitur ille fuit. — *Iste*, per contemptum.

823. *Qui Ch.* Guelf. 2, *quis Ch.* — *Qui Chærea*, quem non novit.

824. *Certo.* MS. Par. *pro certo.* Perl. Br. *certe*, quod glossa videtur. — *Venefica.* Redit rursum ad iracundiam. Aptum convicium et comicum in ancillas, ut *lupa, vipera, sacrilega.* Don. — *Atqui*, attamen, i. e. quamvis ita mihi convicieris, sic se res habet.

825. Interrogat Perl. post *ad nos.* Exclamat Antesign. Dacieria interrogat post *obsecro.* — *Ad nos.* Bentleius reponit *ad me*, quippe quod sola Thais domina sit. Sed miror quam aberraverit vir doctus, qui nesciat pluralem num. hujus pronominis sicut singular. promiscue usurpari. *Perl.* — *Aut quamob.* Antesign. Zeun. Both. Valp. delent *aut.* — *Adductu 'st.* Both. omittit *est.* — *Quid is ad nos*, sub. *venit.*

826. Post *occidi* Perl. non dat comma, ut Br. Bent. Bip. sed ponit punctum cum West. Zeun. colon dimidium. Nullum Both. qui dat *hem miserum! Occidi Infelix.* — *Nisi amasse credo Pamphilam.* Nihil omnino de hac re scio, præterquam quod credo, etc. — *Nisi amasse credo Pamphilam.* Ante *amasse* subaudi *Chæream*, et intellige: « eam a Chærea amatam fuisse. »

827. *Isthæc vera.* Both. *vera tu isthæc.* Alli *ista vera.*

828. *Infelix*, per appositionem. — *Id lacrimat virgo?* Pro *ob id*, ut supra vs. 392: « id vero serio triumphat. » — *Id*, scilicet istum amorem quem dicis, et per euphe-

Istuccine interminata sum hinc abiens tibi?
PYTH. Quid facerem? Ita ut tu justi, soli credita 'st.
THA. Scelesta, ovem lupo commisisti. Dispudet,
Sic mihi data esse verba. Quid illuc hominis est?
PYTH. Hera mea, tace; tace, obsecro; salvæ sumus:
Habemus hominem ipsum. THA. Ubi is est! PYTH. Hem!
Ad sinistram:

mismum hic dicitur pro, eo quod amorem insecutum est.—*Id opinor.* Credo ita esse, sc., ob id virgin. lacrim. — *Quid ais*, per exclamationem indignantis, potius quam per interrogationem.

829. *Istuccine.* Antesign. *Istucine.* Both. *Istucne.*—*Istuccine;* etc. Nonne ego hinc abiens, tibi edixi cum minis *istuc*, id est, id quod tu dicis defecisse, per negligentiam aut absentiam vestram; scilicet ne quis vir ad eam adiret. Vide supra vs. 504 : « Ehem, Curate istam diligenter virginem : Domi ut sitis facite. »

830. *Ita ut tu justi.* MS. in Bibl. Reg. Par. *ut tu jussisti.* Delph. *justi* sine *tu.* Br. *jussisti* sine *tu.* — *Quid facerem*, pro, *quid fecissem.* — *Soli,* illi soli, scil. Chæreæ qui Eunuchi speciem gerebat. Vide supra, vs. 578, « ut maneam solus cum sola. »

831. *Ovem lupo.* Alii *lupo ovem.* — *Commisisti.* Sic Antesign. Zeun. Valp. Perl. Both. *Commisi.* « Quod legisse Donatum putes, siquidem, inquit, recte is verbum *lupo* pro convicio accipiebat non Chæreæ facto sed ancillæ. Dolum igitur hunc ancillæ putat Thais cum Chærea compositum; quæ suspicio digna meretrice et meretricis famula. »— *Dispudet.* Br. *dis, pudet;* et eum sic de industria dedisse constat ex glossa ejus ad vocem *dis*, scil. testibus utor. — *Scelesta ovem*, etc. Proverbium est *ovem lupo committere*, quod in eos valet, quibus parum tuto quid servandum committitur. Itidem Cicero, Phil. III, 11; et græcorum est τῷ λυκῳ τὴν ὄϊν.—*Dispudet*, sub. *me.*

832. *Quid illuc hominis est?* Sic Both. Perletus. Valp. *q. illic hom. est.* Alii *q. h. illic e.* Faerno non displiceret *illud.* Hæc autem *q. i. h. e.* dat Pythiadi Both.—*Quid illuc hom.* Dum Thais et Pythias sic de virginis infortunio colloquuntur, supervenit quidam. Is erat Chærea ipse, adhuc Eunuchi veste indutus, sicuti paulo post cognoscitur. At, seu propter turbationem, sive ob longinquitatem, non agnoscit Thais qui vir sit, licet oris speciem, et eunuchi vestimentum jam antea viderat, quum primum dono recepit falsum eunuchum.

833. *Hera mea* Leid. unus, *o hera mea.*—Bip. et Lips. semel *tace.* Alii geminant. — *Hera mea, tace; tace, obsecro. Tace*, non silentium indicentis est, sed securum facientis : ut Adelph. vs. 210 : « *Tace*, egomet conveniam jam ipsum. »

834. *Habemus hominem ipsum.* Both. dat. *Hominem ipsum habemus.* — *Ad sinistram.* Bent. Both. *ad sinisteram.* Dividit Delph. sic : *sumus, hominem. Hab. ipsum. U. is est? Hem*

Viden? THA. Video. PYTH. Comprendi jube, quantum potest.
THA. Quid illo faciemus, stulta! PYTH. Quid facias, rogas?
Vide, amabo! Si non, quum aspicias, os impudens
Videtur. TH. Non est. PY. Tum, quæ ejus confidentia 'st!

SCENA SECUNDA.

CHÆREA. THAIS. PYTHIAS.

CHÆ. Apud Antiphonem uterque, mater et pater,

ad sinistram, non vides? En Video, etc.—*Hominem ipsum*, de quo nunc loquimur, et qui facinus admisit. —*Hem*, vox indicantis submissa voce. — *Ad sinistram*, subaudi *est*.

885. *Viden. Comprendi.* Sic Both. Perl. Alii *videsne; comprehendi.* — *Potest.* Guelf. 2, *potes.* — *Quantum potest.* Quam celerrime poteris. Sensum hunc confirmant multa Nostri exempla. Vide supra, Andr. vs. 862, pag. 111; et infra, Eunuch. 843.

836. *Quid illo faciemus.* Alii, *illi.* Both. *illoc.* — *Faciemus.* Variant Mss. legentes *faciam, facias, faciemus.* — *Quid illo faciemus*, subaudi *de illo.* — *Quid facias, rogas?* Miratur Pythias Thaidem sic respondere, quia non attendit nullum jus meretrici in civem atticum esse; Ergo, Thaidis verba repetit, quasi diceret facillime ab eo pœnam posse repeti; et ut heram magis incendat, addit: *Vide, amabo*, etc.

837. *Vide amabo*, etc. Varie hæc exhibentur. Sunt qui Pythiadi tribuunt; sunt item qui Thaidi. — *Quum aspicias*, « Quum quis aspiciat. » Generaliter dictum, et ideo adhibetur subjunctivus.

838. THA. *Non est.* Alii interrogant; alii, inter quos et Zeunius, hæc verba Pythiadi tribuunt. Both. delet *est* post Muretum et Bentleium. —*Non est.* Pergit Thais juvenem defendere, contra ancillæ convicia, eo consilio ut sibi liceat blandis et honestis verbis eum devincire, quum nec vi nec legibus, quidquam possit. — *Tum*, Præterea. — Non respondet Pythias, et instat Chæream conviciari, qui non solum, deposito omni pudore, audet, post tale facinus, sub servili habitu in publicum prodire; sed etiam eo audaciæ devenit, ut conspectum ipsius quam virginis injuria læsit, ultro adeat.

839. *Mater et pater.* Guelf. 1, 3, Br. *pater et mater.* — *Apud Antiphonem*, etc. Vid. supra, vs. 611 sqq. Rediens in viciniam suam, causam reddit Chærea, cur non mutaverit vestem. Oportuit autem, et de necessitate argumenti fuit, Chæream non mutasse vestem: Ut, quum meretrix virginem a Chærea

Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me. Interim
Dum ante ostium sto, notus mihi quidem obviam
Venit: ubi vidi, ego me in pedes quantum queo,
In angiportum quoddam desertum; inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne hæc Thais, quam video? Ipsa 'st. Hæreo
Quid faciam? Quid mea autem? Quid faciet mihi?
THA. Adeamus. Bone vir, Dore, salve. Dic mihi,

vitiatam audiret, et eum cum turpi habitu incedentem intueretur, reum vitiatæ virginis putaret. *Donat.* — *Uterque*, Junge cum *domi erant*, ambo erant domi.

840. *Dedita opera*, de consilio, de industria. — Non tam mirum, si domi erant; sed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in ædes introeundum erat adolescentulo. — *Ut*, ita ut.

842. *Ante ostium*, Antiphonis scilicet. — *Notus mihi quidam.* Refer *mihi* ad *notus;* non ad *obviam venit.*

843. *Ego me in pedes.* In libris quibusdam *egomet*, quod possit videri natum ex antiqua scriptura *ego med in pedes.* — *In pedes*, sub. *conjeci.* — *In pedes* intellige pro *in fugam*, et hoc totum, ut sæpe alibi, pro *confugi.*

844. *In angiportum quoddam.* Ien. et Ven. cod. *quemdam.* — *Angiportum*, ab *angendo* et *portu*, via est angusta. Nomen hoc in neutro genere, ad secundam declinationem pertinet. In masculino autem, tum secundæ, tum quartæ invenitur.— *Desertum*, paucis prætereuntibus frequentatum.

845, 846. *Ita miserrimus Fui fugitando.* Westerh. notat Ms. Grævii dare *inde miserrimus Fugi fugitando.* — *In aliud, inde in aliud.* Sc. angiportum.—*Ita*, per exclamationem dictum.—*Miserrimus* propter anxietatem et difficultatem se subripiendi.—*Fugitando*, dum fugerem, ne, etc.

847. *Hæreo.* Ien. *pereo.* Perl.— Non pungit post *hæreo* Bip. At levissime Br. Both. Zeun. — *Sed estne*, etc. Jam pridem ipse visus, nunc primum videt. — *Hæreo*, eodem sensu Virgil. Æn. XI, 290: « Adspectu conterritus *hæsit*, Continuitque gradum. »

848. *Quid faciam?* In libris antiquis versus incipit per *ah;* quod nec Faernus nec Bentleii codd. agnoscunt. — *Quid mea autem.* Intellige, quid mea refert illam adesse. Colligit se ad impudentiam Chæreа

849. *Adeamus.* Hæc ad ancillam Thais; mox convertitur ad juvenem, et simulate loquitur, nam scit Chæream esse, non Dorum. Et hic magna occasio datur meretrici adeundi adolescentis, qui habitum non mutavit, et adhuc quasi Eunuchus et servus est. *Donat.*

Aufugistin'? CHÆR. Hera, factum. THA. Satin id tibi placet?
CHÆR. Non. THA. Credin' te impune abiturum? CHÆR. Unam hanc noxiam
Amitte; si aliam admisero unquam, occidito.
THA. Num meam sævitiam veritu's? CHÆR. Non. THA. Quid igitur?
CHÆR. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
THA. Quid feceras? CHÆR. Paulum quiddam. PYTH. Eho! Paulum, impudens.
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? CHÆR. Conservam esse credidi.

850. *Aufugistin'*. Exprobrantis est potiusquam interrogantis. — *Factum* est, pro *feci*. — *Satin id*, sc. *aufugisse*. *Satin tibi placet?* Tuæ conscientiæ non molestum est? — *Non*. Quasi diceret, *me pœnitet*.

851. *Abiturum*. Sic edidimus contra Perl. Both. et Valp. qui legunt *habiturum*. — *Impune abiturum*. Sc. fore ut ex hac culpa te impunitum et inultum expedias. — *Unam hanc*, ideoque primam quam admisi.

852, sqq. *Amitte*. Lectionem hanc admittunt Bent. Both. Bip. Perl. et eam Meliores recte habere adnotat Ruhnk. in Dict. Alii, *mitte*. Lind. Zeun. *omitte*. Alii *dimitte*. — *Sævitiam*. In lib. script. Donati legitur *sævitiem*. — *Num meam sævitiam*, etc.: Num meam duritiam et crudelitatem timuisti, quum fugisti. — *Quid igitur* verebaris? — *Hanc metui, ne me criminaretur tibi*. Per hellenismum. Perfecte imitatus est verba fugitivorum, quæ apud dominos faciunt comprehensi.

855. *Paulum quiddam*. Dat Delph. *paululum*. Sic Zeun. et Valp. in hoc versu; sed in sequente dant omnes *paulum*, præter Delph. — *Eho paulum, impudens*. Edd. West. et Zeun. tribuunt hæc Thaidi, fortasse ex operarum errore. *Bruns*. Ipse correxit West. in Erratis. — *Quid*, quam culpam. — *Paulum*, pro adjectivo sumitur.

856. *Hoc esse*. Delph. exhibet *esse hoc*. — *Virginem vitiare civem*. Bene intulit *civem*, quod plus est quam *virginem vitiare*. Αὔξησις gradatim facta. *Donat*.

857. *Conservam esse credidi*. Bent. reponit *meam conservam credidi*. — *Conservam esse credidi*. Locus erat, ut diceret, *servam esse credidi*, sed admirabiliter *conservam* dixit. Et hoc ipsum, miserabiliter pronuntiandum est: tanquam miserabiliter crediderit conservam esse, quæ civis erat, atque eam quasi conservam vitiare jure potuerit. *Donat*. — Ideo Pythias hoc Chæreæ dicto offensa stomachatur, quod tali excusatione significabat nihil non in ancillas servos posse; et utpote ancilla, ipsa se læsam credit.

PYTH. Conservam! vix me contineo, quin involem in
Capillum : monstrum! Etiam ultro derisum advenit.
THA. Abin' hinc, insana? PY. Quid ita vero? Debeam,
Credo, isti quidquam furcifero, id si fecerim;
Præsertim quum se servum fateatur tuum.
THA. Missa hæc faciamus. Non te dignum, Chærea,
Fecisti : nam etsi ego digna hac contumelia
Sum maxume, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque ædepol, quid nunc consilii capiam, scio,

858. *Vix me contineo.* Both. *vix contineo me.* — *Quin involem in capillum.* Attendat necesse est lector fabulam hanc esse ex *Palliatis*. Dum autem Romani erant brevi capillo, Græcos hinc apparet intonsos fuisse; et ipse Homerus eos vocat καρηκομόωντας.

859. *Etiam ultro derisum advenit.* Interrogat. Br. in fine. — *Etiam*, præter flagitium admissum, simul et fugam. — *Ultro*, a nemine retractus.

860. *Abin.* Alii *abi*. — *Quid ita vero? Debeam.* Mss. Lips. aliique *quid ita vero abeam*. Sic C. G. m. — *Abin*, pro *abisne*, et imperat, dum videtur interrogare. — *Quid ita vero.* « At cur abirem, ita ut vis. » Et est quasi responderet: « Nulla est legitima causa cur jubeas me abire. » — *Debeam quidquam*, pro *debebo*. Schottius, in observ. II, 25, ita : « Qui per injuriam factam alteri se quasi obligat, debere ei dicitur. » Ironia autem indicat ancillam negare affirmando, et est quasi diceret : « Credo me intra culpam minime fore, si.... » Et significat igitur nullam sibi ultionem reperiri, quæ noxiam seu culpam Chæreæ excedat.

861. *Credo*, Ironice dictum. — *Furcifero*, vide Andr. vs. 620. — *Id si fecerim*, si in capillum involaverim. — *Fecerim*. Liber Bemb. *fecero*. Guelf. 1, 2, 3, omittunt *id si fecerim*. Valp. et Zeun. collocant *si id fecerim*.

862. *Quum*, quando quidem. Etsi Pythias apprime sciat Chæream non esse Eunuchum, vellet tamen eum servorum more tractari, qui instet servum se simulando, et sua ipsum confessione capi.

863. *Hæc.* Guelf. 3, *ista hæc*. — *Hæc*, convicia, quæ jactas inutiliter. — *Te, dignum*, rem dignam te. — *Te* juvene ingenuo, et bene cordato.

864. *Etsi ego.* Br. Bent. Zeun. Bip. Both. *si* pro *etsi*. — *Etsi ego*, propter meam conditionem; et dicit *ego*, ne dicat, *quæ sum meretrix*. — *Hac contumelia*, quam in Pamphila patior. Callidissime autem adolescentis impetum ante occupat; scit enim Thais uno verbo obstari posse, *Licuit mihi*, in domo meretricia scilicet. *Donat.*

865. *Indignus.* Br. *non dignus*. — *Indignus es*, pro, *te indignum erat*, per hellenismum, ut Græcis dicitur : Ἄλλος ἦν τοῦτο ποιήσας. — *Tamen*, junge cum *at*, et explica, quamvis talis essem.

866. *Ædepol.* Both. dat *edepol*,

De virgine istac : ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam ne possim suis,
Ita ut æquum fuerat, atque ut studui, tradere :
Ut solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
Chær. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais. Sæpe ex hujusmodi re quapiam, et

post Antesign. qui notat alios legere *Æpol.* — *Ædepol.* Vid. Andr. 306.

867. *De virgine istac.* Cui *tu* illusisti. Jam Thais, per commiserationem puellæ, aditus tentat ad nuptias.

868. *Ut eam ne possim.* Solus ex nostris *ne* pro *non* dat Perl. ex Bent. qui notat sic legendum ex septem ipsius codd. et iis vetustissimis. — *Rationes*, consilia quæ animo præparaveram; scilicet Pamphilam suis intactam reddere ac restituere. — *Ut eam ne*, junge *ut ne*, pro, ut non.

869. *Atque ut studui.* Bent. notat cod. antiquum dare *neque ut studui*; et ipse legit *itaque ut studui.*

870. *Ut* collocant in versu priore Muret. Delph. Vocem hanc e versu quoque expellit Bip. et rescribendum putat *et*, quod priorem versum claudat. — *Parerem.* Sic omnes nostri. Ienensis *pararem.* Ed. Bip. *parare.* — Construit Both. *ut solidum hoc parerem*, etc. — *Parere beneficium*, i. e. conferre beneficium in aliquem, ita ut is beneficium nobis debeat, et sic debitum illud nostræ sit possessionis. — *Solidum*, i. e. omnino absolutum; non solum restituendo virginem, sed restituendo puram intactam. — *Hoc beneficium*, quod parabam. — *Chærea.* Blande nomen repetitum est. *D.*

871. *At nunc dehinc spero*, etc. His verbis Chærea corrigit quod objecerat Thais : « ita conturbasti..... » et est quasi ille diceret : Fatebor quidem me conturbasse..... at saltem spero, etc. — *Nunc*, post ea quæ apud te acciderunt. — *Dehinc*, in posterum. — *Inter nos*, inter me et Pamphilam. Explicat Anglus editor, *inter nos omnes, me illam et te.* Quod rejiciendum censuimus, quia si hoc pronomine Thaidem complecti voluisset Chærea, non infra subjecisset : *Te quoque jam.... amo*; quæ verba non sunt viri amicitiam suam antea professi. Dicit præterea juvenis, versu 884 : *Ego te in hac re mi oro ut adjutrix sies*, (ubi *in hac re* intelligas necesse est, *in perficienda spe quam concepi æternam inter nos te gratiam fore,*) In promptu videre est si, ut admisit interpres a quo dissentimus, Chærea in mente habuisset Thaidis quoque gratiam deprecari, non ab ea petiturum fuisse, ut sibi adjuvaret in formanda amicitia, quam vellet ab ipsa obtinere. Nempe alicujus amicitiam deprecantes, non auxilium ad hanc rem, sed rem ipsam oramus. — *Gratiam*, amicitiam, quam manifestius indicat infra, vs. 887.

872. Pro *fore* Guelf. 3, *futuram.* Apud Antesign. versum claudit *ex.* — *Ex hujus modi re quapiam.* Alludit ad id quod ipse admisit; sed cavet rem nominare; et itidem supra, vs. 855 : *paulum quiddam.*

Malo principio magna familiaritas
Conflata 'st. Quid, si quispiam hoc voluit Deus?
THA. Equidem pol in eam partem accipioque, et volo.
CHÆR. Immo etiam quæso. Unum hoc scito, contumeliæ

873. *Malo principio.* Bent. notat sex e suis dare *ex malo principio*, et assentitur ei qui primus edidit *malo ex principio*. Ita quoque legunt Bip. Delph. Alii *ab isto principio.* — *Malo principio*, origine parum honesta. Idem facinus, scilicet Sabinarum, eadem sententia excusat Romulus apud Livium: « Sæpe ex injuria postmodum gratiam ortam. » *Farnab.*

874. *Quid.* Alii *Et quid.* Diversi diverse collocant: Zeun. Valp. *hoc quisq. vol.* Both. Perl. *quispiam hoc.* Bip. *voluit quisp.* — *Quid*, pro *quid futurum est...* Elliptica locutio, per quam junguntur hujus sententiæ partes tali modo: « Si potest fieri ut magna familiaritas confletur e quolibet malo principio, quid futurum est, (i. e. quomodo id non poterit magis etiam fieri,) si Deus quispiam, hoc principium ipse voluerit suscitare. »—*Quispiam Deus*, vult Amorem intelligi Deum. Sic pleraque repentinis impulsionibus nata mirisque eventibus Deo cuipiam adscribi solent; Vid. apud Sallust. « ut tanta repente mutatio non sine Deo videretur. » Plaut. Aulul. IV, x, 7: « Deus mihi impulsor fuit. Is me ad illam illexit. » Libanius, progymnas. contra homicid. Κάλλους τις ἡττηθεὶς ἀδικεί μὲν, ἀλλ' ἔχει παραίτησιν· βιάσθη γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ· καὶ πρὸς τὸν Ἔρωτα δυναστείαν ἀνταίρειν οὐκ ἔυπορον.

875. *Accipioque.* Br. *quæ* pro *que.* Duo Pall. non habent *que.* Sed confinium particularum *que, et* ubivis latine Nostro inprimis amari notat Perletus.—*Accipio*, interpretor quod actum est. — *In eam partem*, eodem sensu quo interpretaris, scilicet quempiam Deum hoc voluisse, et fore ut æterna inter vos gratia sit. — *Et volo.* Et exopto ut ita sit quemadmodum tu dicis.

876. *Immo etiam.* Sic scribimus post Perletum qui solus hanc lectionem recepit. Cæteri omnes quos habemus *immo ita.* — *Immo etiam quæso*, etc. Chærea jam vividius loquitur, et preces admovet, dum antea satis habuerat adagium pro excusatione afferre: *sæpe ex hujusmodi*, etc.; et dum præterea Dei interventum satis leviter objecerat. Scilicet ad hæc frigide tantum respondit Thais, et quasi non fidem Chærea fecerit. Vult ergo adolescens suspicionem hanc corrigere. Jam non sententias proverbiales enuntiat, sed adhibet preces; jam non in Deos rem transfert; sed excusat se bona mente fecisse, quod mali fecit. — *Immo*, illud spem tuam potissimum confirmare debet, quod *præter* causam sperandi quam concipere debes, ego ipse quæso, etc. — *Quæso*, ut in eam partem accipias et velis. — *Unum hoc scito.* Hæc subjicit, ut animo sincero precari se ostendat. — *Contumeliæ*, in puellam, stuprum inferendo; non vero in Thaidem, ut volunt interpretes gallici, et anglus editor. Nempe supra, v. 871,

Non me fecisse causa, sed amoris. THA. Scio.
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano sum ingenio, Chærea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
CHÆR. Te quoque jam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
PY. Tum pol ah istoc tibi, herà, cavendum intelligo.
CHÆR. Non ausim....PYTH. Nil tibi quidquam credo.
THA. Desinas.

indicavimus Pamphilam solam in animo et sermone Chæreæ versari, usque ad hæc verba, *te quoque jam Thais*, etc.

877. *Non me fecisse*, etc. Both. *Me non fecisse.* — *Scio.* Scit illud Thais, quia scit, nunquam hanc conditionem subiturum fuisse Chæream, ut pro Eunucho, etiam servo, se fingeret, sine amoris impulsu.

878. *Propterea.* Quod culpa non sit hominis, sed amoris. *Don.* — *Magis* sic Antesign. Sed Zeun. Valp. *mage. Magis*, libentius. — *Nunc*, post hanc tuam excusationem.

879. *Inhumano sum ingenio.* Antesign. Zeun. Valp. *inhumano ingenio sum.* Both, post Bent. addit *ego;* et legit *non adeo inhum. eg. sum ing.* —*Inhumano*, experte sensuum quos capit mortalitas. — Eadem pari fere modo exprimit alibi Noster, Haut. 77,

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Errant igitur qui intelligi volunt, *non sum ita immitis;* quod genio Latinitatis repugnare videtur.

880. *Neque ita imperita.* Antesign. Guelf. 2, 3, Delph. *tam imperita.* Ms Lip. delet ita. — *Quid amor valeat.* Invertit Both. *amor quid valeat.* — *Imperita.* Rerum rudis. Scilicet non *inhumana*, quia homo; non *imperita*, quia meretrix. — *Quid amor valeat.* Bœclerus annotat potenter tractari hunc locum in actione Neptuni apud Libanium (vol. I, declam. 22.) τὴν δὲ τοῦ ἔρωτος δύναμιν, ὡς ἄμαχος ὁ θεὸς, ὡς ἀνίκητος, ὡς πάντας οὐτεῦ ποιῶν ἀσθενεστέρους, τίς ἀγνοεῖ; κ. τ. λ.

881. *Te quoque*, etc. Bene addit *quoque*, quia hactenus omnes illius sensus ad Pamphilam, nulli ad Thaidem pertinuerant. — *Ita me Di bene ament.* Vid. Andr. 474.

882. *Ab ist. tibi.* Bent. Both Bip. Delph. *pol tibi ab ist.* — *Ab istoc.* Alii, ex quibus Mark. *ab isto.* — *Cavendum.* Bemb. addit *esse.* — *Intelligo.* Guyet. plane aliter legit *attendito.* — *Hera.* Guelf. 1, *Chærea.* — *Tum*, explica, quum tales sensus profiteatur — *ab istoc cavendum intelligo.* Facete, tamquam qui soleat capillum et vestem earum conscindere quas amaverit. Vid. supr. vs. 646.

883. *Non ausim*, sub. talia admittere, qualia Pythias innuit. Hæc dicit Chærea, Pythiadi respondens, conversus autem ad Thaidem. — *Ausim* pro *auserim*, i. e. *ausus fuerim*, quod posterius pro *ausus fuero.* — *Nil tibi quidquam credo.* Secundum nullam rem tibi

CHÆR. Nunc ego te in hac re mî oro ut adjutrix sies,
Ego me tuæ commendo et committo fidei:
Te mihi patronam capio, Thais, te obsecro.
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
THA. Tamen si pater quid.... CHÆR. Ah, volet, certo scio.
Civis modo hæc sit. THA. Paululum opperirier
Si vis, jam frater ipse hic aderit virginis.
Nutricem arcessitum iit, quæ illam aluit parvolam.

credo, quæcumque sit. — *Desinas.* Silentium intempestive convicianti imperat.

884. *Nunc ego te.* Ms. Lips. *idem nunc ego.* West. — *In hac re*, in perficienda spe quam concepi, æternam inter me et Pamphilam fore gratiam. Vid. sup. vs. 872.

885. Hic versus in C. G. m. in C. Ha., in Pal., Antesign. priorem anteit. At Faernus primus ex libris suis constituit ordinem quem exhibemus. — *Fidei*, Both. *fide.* — *Se commendat* qui alicujus opem pro se implorat. *Se committit*, qui se alicujus arbitrio et fidei totum permisit. Ergo hic ἀυξησις est, ut animadvertit Donatus, majoris officii fideique circa Thaidem.

886. *Capio.* Sic Zeun. Both. Perl. Legunt Antesign. Valp. *cupio.*; quod quidem in plurimis libris invenitur. — *Patronam*, scilicet, ut meam causam agas in concilianda mihi Pamphila. — *Te obsecro*, sub. *illud*, ut sis mihi patrona.

887. *Emoriar, si non*, etc. Est obtestandi ac jurandi formula. Ovid. Met. III, 391. (Edit. nost. Vol. III[1], pag. 257.) « Ante, ait, *emoriar*, quam sit tibi copia nostri. » — *Si non hanc uxorem duxero.* Jam attigit juvenis terminum quo illum adventurum esse Thais præviderat; et consulto impedimenta innectit, *tamen si* etc., ut acrius Chærea incendatur.

888. *Tamen si pater quid.....* Sic a Bentleio distincta recipiunt Valp. et Both (Hic: *si pat. tam. q.*) vulgo *tamen si pater.* Ed. prima *tamen si p. velit.* — *Ah, volet*, etc. Zeun. Valp. *quid? ah! volet*, etc. Antesign. *ah quid*, etc. — *Certo* Guelf. 2, *certe.* — *Tamen si pater quid.....* Dictum per ἀποσιώπησιν. Supple, ut integra stet sententia: *vis hanc uxorem ducere: sed* si pater aliquid objiciat, *quid facies?*

889. *Civis modo hæc sit.* Apud Athenas dedecoris maximi erat non civem ducere uxorem. Unde et in Andria 470, Simo ita loquitur: « Adeon' est demens. Ex *Peregrina?* » — *Opperirier*, pro *opperiri.*

890. *Frater ipse hic.* Both. *hic ipse frater.* — *Jam frater ipse hic aderit virginis.* Per hæc verba respondet ad Chæreæ conditionem; nam indicit rem facile modo probatum iri.

891. *Arcessitum.* Dant *accersitum* Bent. Delph.; et sic Br. qui legit præterea *it* pro *iit* — *Parvolam.* Ms. Lips. *parvam.* — *Nutricem arcessitum iit.* Vid. supra, vs. 806: *Ego ad Sophronam.*

In cognoscendo tute ipse aderis, Chærea.
CHÆR. Ego vero maneo. THA. Visne interea, dum venit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?
CHÆR. Immo percupio. PYTH. Quam tu rem actura, obsecro, es?
THA. Nam quid ita? PYTH. Rogitas? Hunc tu in ædes cogitas
Recipere posthac? THA. Cur non? PYTH. Crede hoc meæ fidei,
Dabit hic pugnam aliquam denuo. THA. Au, tace, obsecro.

892. *Tute ipse aderis.* Ms. Lips. *ipse hic aderis.* — *In cognoscendo.* In cognitione; i. e. dum agnoscetur Pamphila.

893. *Ego vero maneo.* Both. *ego maneo vero.* — *Visne.* Alii *vin'* — *Dum venit.* Antesign. Zeun. Valp. *Dum is venit;* Alii, *dum venit is.* — *Vero,* affirmantis et annuentis, pro *certe, libenter.*

894. *Quam hic ante ostium.* Mss. Gall. tres *quam stemus ante ostium.* Hoc vero *stemus* glossatori haud dubie debemus, vocis *opperiamur* immemori. *Perl.* — *Visne opperiamur,* sub *ut.* — *Domi potius, quam hic ante ostium.* Sensit nempe Thais non decere diutius immorari in loco, ubi occurrerant tantum ex fortuna; præsertim quum, omnibus jam dictis, supersit solummodo ut expectetur fratris adventus. Adnotat Donatus non sine industria Chæream huc vocari, ubi puella est; et meretricem, illecebrarum non ignaram, satis callide interrogare an velit, quasi nesciat velle.

895. *Percupio,* amatorie, non *volo, cupio,* sed *percupio.* — *Actura es,* Chæream intra ædes tuas recipiendo. Hæc Pythias ad heram.

896. *Nam.* C. Hal. *num.* — *Ædes* Varie scribitur *ædeis, ædis.* — *Nam quid. Nam,* hic, ut sæpius, vividæ interrogationi inservit. — *Quid ita,* cur ita loqueris. — *Hunc,* pronomen hic plus valet quam appellatio.

897. *Posthac.* Br. *posthæc.* — *Posthac,* Post flagitium super puella admissum quæ in ædibus est. — *Hoc.* Intellige, quod jam dictura sum. — *meæ fidei,* verbis mei, servæ fidelis.

898. *Pugnam aliquam.* Antesign. Zeun. Valp. *aliquam pugnam.* Invertit Both. *pugnam hic aliquam.* — *Pugnam aliquam denuo.* Novam turbam et violentiam. Alludit ad vestem dilaceratam, ad capillum conscissum; ad rixam denique, quæ aggressorem inter et Pamphilam facta fuit. — *Au, tace obsecro.* Hæc fere subridens nec omnino irata dicit Thais, si arguere licet ex pertinacia quacum Pythias Chæream pergit accusare, vs. 899, 903, etc.; nam heræ firma voce silentium imperanti certo paruisset ancilla. — *Au* interjectio est perturbatæ mulieris: ut apud Græcos ἰού. *Donatus.*

PYTH. Parum perspexisse ejus videre audaciam.
CHÆR. Non faciam, Pythias. PYTH. Non pol credo, Chærea,
Nisi si commissum non erit.... CHÆR. Quin, Pythias,
Tu me servato. PY. Neque pol servandum tibi
Quidquam dare ausim, neque te servare. Apage te!
THA. Adest optume ipse frater. CHÆR. Perii hercle: obsecro,
Abeamus intro, Thais: nolo me in via

899. *Perspexisse*, Bent. *perspexe*; id quod Terentii solum esse disputat, sed magistros olim mutasse, ne Noster vetuste loquens discipulis displiceret. *Perl.* Item legit Bip. editor. — *Videre*, pro *videris* — *perspexisse*, experta esse.

900. *Pythias.* Pall. tres *Pythia*, ut versu seq. — *Non pol credo. Pol* non est in Bemb. nisi recenti manu additum, quod impedit versum. — *Non faciam.* Non dabo pugnam denuo. — *Non pol credo*, sc. te facturum. — *Chærea* joculariter, ut ille *Pythias* dicit: ita hæc *Chærea.* Donat.

901. *Non erit.* Mss. Lips. et Par. *fuerit.* — *Nisi si commissum non erit.* Quid *commissum non erit?* Puellam generali hac indicatione innui probat sententiarum series. Quum scilicet ancilla nolit Pamphilam Chæreæ committi, hic adsentit, et: *Quin tu me servato*, i. e. « Imo adeo non hanc mihi committi exoro, ut contra velim a te me servatum. » Et illa: « Neutrum volo, sc. neque hanc *tibi committi*, neque *te ipsum a me servari.* Ergo procul recede a me. »

902. *Servandum.* Abest a Guelf. 2. Antesign. notat alios legere *observandum.* — *Tu me servato.* Me observa, me speculare. Ad hæc Boclerus citat Plaut. Bacchid. IV, IX, 142: « Nolo, inquam, aurum concredi mihi, Vel da aliquem qui me servet. » — *Neque pol servandum*, etc. His confirmat quod supra dixerat, *non pol credo*, etc. — *Neque te servare*, respondet his ancilla Chæreæ dicenti: *Quin Pythias, tu me servato.*

903. *Dare.* Br. *de re* pro *dare.* — *Apage te* (Ἀπάγε). Tractum, ut quidam volunt, a verbo græco ἀπαγω, quod est, *abduco, abigo.* Nonnulli dicunt esse verbum imperativum secundæ personæ singularis, alii adverbium; alii vitantis interjectionem volunt. Utcumque est, vox est apud comicos usitatior, qua modo, ut adverbio, modo, ut verbo utimur, significantes scilicet, alicujus rei vel personæ fastidium. *Rob. Steph.* — Hic autem explicandum est: *Abige te, Remove te.* Vid. supra, vs. 755, pag. 237, ubi eadem vox adhibetur sine regimine.

904. *Adest optume.* Mur. et Delph. *optume adest.* — *Perii hercle, obsecro.* Br. interpungit *perii hercle obsecro.* — *Optume*, Peropportune. — *Ipse frater*, puellæ, i. e. Chremes, quem, ut supra vidimus, opperiebatur. — Scilicet Thais longe prospicit Chremem venientem, ideoque paulo infra dat Pythiadi negotium, ut ante ostium maneat, eum introductura.

Cum hac veste videat. THA. Quamobrem tandem? An quia pudet?
CHÆR. Id ipsum. PYTH. Id ipsum? Virgo vero! THA. I præ, sequor.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

SCENA TERTIA.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

PYTH. Quid, quid venire in mentem nunc possit mihi...?
Quidnam? Quî referam sacrilego illi gratiam, 910

906. *An quia pudet. Quid* pro *quia* dat Bothius; quam se recipere lectionem indicat, tum ex sensu, tum quia *a* et *d* litteræ permutantur in codicibus. — *Quamobrem* non vis te videat? — *Tandem.* Vox illa auget vim interrogandi, potius quam sit feminæ moram in respondendo ægre ferentis. — *An quia pudet?* hæc non sine emphasi pronuntianda, leniter tamen, utpote in levi persona, ne adolescens offendatur.

907. *Virgo vero.* Edd. vetustissimi *virgo vero vitiata.* Donatum dicit Faernus non per interrogationem sed per affirmationem legisse. Placet tamen interrogatio. Post *vero* exclamat Valp.; dant plenum punctum Zeun. Bip. Legitur in Both. *virgo vero.....!* — *Id ipsum* sub. est. — *Id ipsum?* Hoc veluti molesto vultu dicitur, adeo ut imitetur dictum vultumque ejus Pythias. *Don.* — *Virgo vero.* Sub. *es.* Hæc Pythias ad Phædriam quasi diceret: « O hominem virginali præditum verecundia! » Ironice: Significat enim illum pudoris omnis expertem et pudicitiæ. Farnabius reticentiam aliter explet: « Virginem vero vitiare, vestes rescindere, id tibi pudori non erat. » — *Vero*, ἐιρωνεία est, ut Virg. Æneid. IV, 93. « Egregiam *vero* laudem, etc. » — *I præ*, sub. *me.* — *Sequor.* Ad morum urbanitatem spectat hæc formula, quæ sæpius adhibetur, quum duobus intrandum est una, ut hic Chæreæ et Thaidi. Nec nobis tam manifestum quam Donato videtur, Thaidem in consequendo ob id tardiorem esse, quia vult liberum sine arbitris Chæreæ cum puella esse colloquium et licitum amorem. Sensum nobis videtur himium torsisse doctissimus alioquin interpres.

908. *Istic*, ubi tu es.

909. *Quid? quid*, etc. Br. *quidquid.* — Hæc scena consilium quærentis ancillæ tenet, quemadmodum Parmenonem, qui fatalem Eunuchum adduxerat, dolo possit ulcisci; deinde ejusdem admonitionem ut Chremes cum nutrice ingrediatur. — *Quid, quid*, etc. Quæ machinatio; et geminata vox est ad vividiorem Pythiados secum cogitantis repræsentationem.

910. *Sacrilego illi.* Sic Both. et

Qui hunc supposuit nobis? CHR. Move vero ocius
Te, nutrix. SOPH. Moveo. CHR. Video; sed nil promoves.
PYTH. Jamne ostendisti signa nutrici? CHR. Omnia.
PYTH. Amabo, quid ait? Cognoscitne? CHR. Ac memoriter.
PYTH. Bene ædepol narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro; jam dudum hera vos exspectat domi.

Perl. Alii *illi sacrilego*. — *Quidnam*, supple, quod est in versu præcedenti, *venire*, etc. — Nova hæc interrogatio indicat ancillam post nonnihil silentii, iterum se ipsam interrogare. — *Quî*, quomodo. — *Gratiam* pro *vindictam*, per euphemismum, ita ut in malam partem sit interpretandum.

911. *Qui hunc*. Both. *hunc qui*— *Supposuit*. Vult Bent. reponi *supposivit*. — *Hunc*, Chæream. — Et dicit *hunc*, ut designet juvenem, qui modo aderat — *Supposuit*, furtive pro eunucho apud nos introduxit. — Revocant illa in memoriam haud multum absimile quiddam apud Comicum Nostrum, MOLIÈRE, le *Médecin malgré lui*, act. I, sc. v: « MARTINE, *rêvant à part, se croyant seule*: Ne puis-je point trouver quelque invention pour me venger..... Oui, il faut que je m'en venge, à quelque prix que ce soit. » — *Vero* pro interjectione ponitur stomachantis Chremetis, quia subsequitur ancilla passibus non æquis.

912. *Te nutrix*. Both. *nutrix*, *te*: et dicit correctoris esse *te*, *nutrix*; « male autem, inquit, enclíticum primo versu ponitur. » — Ms. in Bibl. reg. Par. *move vero ocyus genetrix*. Guelf. 2 *tu nutrix* — Antesign. notat quosdam legere *mea nutrix*. — *Moveo*, sub. *me*. — *Nil promoves*. Te movendo, nihil procedis. Scilicet moram fert impatienter Chremes, quæ sororis agnitionem retardet. Nutrix autem non re celerabat, sed studio. Ita et Barce, Virgil. Æneid. IV, 641, ubi vide.

913. Br. *An* pro *Jamne*. — *Jamne ostendisti*. Hæc ad Chremem. — *signa*, quæ ad Sophronam monstratum ivit, vid. supra, vs. 806. — *Nutrici*. De nutrice Pythias interrogat, nec nutricem ipsam, quæ procul adhuc distat, dum jam Chremes propior ancillæ accesit.

914. *Ac memoriter* Guy. *ea me noverit*. Ms. Pal. 2., *ac me norit*. Præstat lectio vulgata. *Wester*. — *Amabo*. Eodem sensu quo, *Dic, quæso*. — *Cognoscitne?* Exhibetur spectatori, quid post scenam gestum fuerit, i. e. agnitio puellæ. D. — *Ac*. Particula *ac* intendit orationem, quasi dicas, *vel, etiam, et quidem*. Andr. 338. *Perl.*. — *Memoriter*. « Quasi si, dedita opera, omnia mandasset memoriæ. » Plus igitur intulit, ut ait Donatus, quam interrogabatur. Nam magna sunt signa, in quibus anilis memoria non errat. »

915. *Ædepol*. De varia lectione vide sup. vs. 866.—*Bene*, jucunde.

916. *Vos exspectat domi*. Chre-

Virum bonum eccum, Parmenonem incedere
Video. Vide ut otiosus sit, si Dis placet.
Spero me habere, quî hunc excruciem meo modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam;
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

mes et Sophrona eunt ad hæc intro.

917. *Eccum*, pro *ecce eum*. Construe: Ecce video eum Parmenonem, virum bonum, incedere.

918. *Vide*. Delph. *viden*.—*Otiosus sit*. Zeun. Valp. Both. *otiosus it*. Notat Eug. « attende ut securus Parmeno ambulat et otiosus. » — *Vide*. Formula est, qua alicujus attentionem excitare solemus, quaque etiam, ab hoc usu paulo detorta, utimur, quum nemo adest quem compellemus. — *Otiosus*, securus, sicut Andr. vs. 843, pag. 109. — *Si Dis placet*. Exclamatio indignantis qua Romani utebantur sæpe. In eo autem hic indignatio versatur quod res videtur tam iniqua, aut tam incredibilis, ut fere nefas sit eam vel commemorare, nonnisi Deorum pace implorata. Ejusdem fere generis est locutio gallica : *Dieu me pardonne*. Et hunc locum non male redderes : « *Mais, voyez donc! il n'en est pas plus troublé, Dieu me pardonne.* » Exclamationi autem locum dedit conspectus Parmenonis, qui, licet omnis mali auctor, per furtivam Chæreæ admissionem, securus tamen incedit, quasi nullius malefacti sit sibi conscius.

919. *Qui hunc excruciem meo modo*. Variat ordo *hunc meo excruciem modo; meo qui hunc excruciem modo*. — *Spero me habere*. Credo me invenisse. Ne intelligas autem hic : *Spero me inventurum*. Quia hæc quæ sequuntur, indicant eam omnia disponere ut consilium *jam inventum* ad finem perducat : *Ibo. . exibo*, etc. —*Quî*, quomodo.—*Meo modo*, ut volo, i. e. violento modo.

920. *De cognitione* : i. e. An Pamphila soror Chremetis agnoscatur, nec ne. — *Certum sciam*. Comperiar aliquid certum, ut certior fiam.

921. *Exibo*. Both. *exeo* : « Faernus, dicit, eleganter dedit pro vulgato *exibo*; (et se confert ad Heauson vers. 834.) Similiter Græci, velut Aristophanes, Equ. 431, Ἐξειμι γάρ σοι λαμπρὸς ἤδη. » — *Hunc perterr. sacrilegum*. Parmenonem significat, quem ob injuriam sibi et heræ illatam flagrat ulcisci. Est autem *sacrilegus* inter convicia.—Tunc exit aliquandiu Pythias, et redit, paulo ante versum 940 sq.

SCENA QUARTA.

PARMENO.

PARM. Reviso quidnam Chærea hic rerum gerat.
Quod si astu rem tractavit, Di vostram fidem!
Quantam, et quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut omittam, quod ei amorem difficillimum et
Carissimum a meretrice avara, virginem
Quam amabat, eam confeci sine molestia,
Sine sumptu, sine dispendio; tum hoc alterum,
(Id vero est, quod ego mihi puto palmarium,)

922. *Gerat.* Guelf. 3. *agat.* — *Reviso*, pro *redeo visum.* — *Quidnam rerum*, pro *quam rem.*

923. *Quod si.* Guelf. 1, *qui se.* — *Astu*, pro *astute*, callide, prudenter. — *Rem* a nobis præparatam, quum eum pro Eunucho admisi. Vide supra, vs. 470 sq. pag. 193.

924. *Quantam.* Leun. *quantum.* — *Et quam veram. Et* delet Both. — *Laudem*, decus. Male vertit Dacieria: *Combien de* louanges *en recevra Parmenon.*

925. *Omittam.* Sic Antesign. Perl. Omnes alii, *mittam.*

926. *Avara.* Mark. addit *surripui*, quod et Rivius a se inventum merito glossam vocat. — *Quod ei amorem difficillimum*, etc. Hæc omnia, per appositionis adjumentum explicamus: « Nam ut omittam quod confeci ei sine molestia, sine sumptu, sine dispendio amorem difficillimum et carissimum ab meretrice avara, nempe confeci eam virginem quam amabat. — *Amorem*, possessionem personæ amatæ. — *Difficillimum.* Quia huic possessioni obstabant et Thais et Thraso. — *Carissimum*, quia, si Thais flecti potuisset, nonnisi multo auro copiam virginis fecisset.

927. *Quo amabat.* Sic reposuit Perl. pro *quam* vulgato. — *Eam confeci.* Sic Bent. pro *eam* vulgato. Recte inquit Perl.; nam non *virginem*, sed *amorem conficere* accipi oportet. — *Sine molestia.* C. G. m. subjiciunt *ut potiretur* quod alii quoque addunt. — *Confeci*, procuravi. — *Sine molestia*, hoc spectat ad *difficultates.*

928. *Sine sumptu*, sine impensis pecuniarum. — *Sine dispendio*, sine fortunarum damno. — *Tum*, Præterea; quod opponitur τῷ *ut omittam.* — *Hoc alterum* sub. exstat. — *Hoc*, scilicet *me repperisse.*

929. *Quod ego mihi.* Antesign. delet *ego.* — *Palmarium.* Adjectivum est; et intellige, *quod est palma et triumpho dignum.* Græce ἀξιονικον.

Me repperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere,
Mature ut quum cognorit, perpetuò oderit.
Quæ dum foris sunt, nil videtur mundius,
Nec magis compositum quidquam, nec magis elegans.
Quæ cum amatore quum cœnant, ligurriunt.
Harum videre ingluviem, sordes, inopiam;
Quam inhonestæ solæ sint domi atque avidæ cibi;
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent:

930. *Me repperisse quo modo.* Ordo grammaticus est, *me repperisse modum, quo modo*, etc.

931. Guelf. 2, legit *meretricium.* — *Meretricum ingenia et mores.* De artibus *meretricum* vid. Lucian. Dialog. Meretric. *Perl.*

932. *Quum cognorit.* Br. *quum cognoverit.* Guelf. 2 *tum cognosceret.* — *Mature ut quum*, etc. ὑπερβατῶς, pro, *ut, quum cognorit mature.* — *Mature*, cito et ante tempus. *Don.*

933. *Nil videtur mundius.* Alii, *nihil videtur mund.* — *Dum foris sunt*, sive apud amatores, sive in publico.

934. *Nec magis*, etc. Both. *neque magis*; Bip. *nec mage.* — *Compositum*, concinnum. — *nec magis elegans*, nec elegantioribus moribus.

935. *Cum amatore.* Antesign. Zeun. Valp. *amatore suo.* — *Ligurriunt.* Ita olim per duo *r* secunda producta; alii *liguriunt*, brevi secunda syllaba. Guy. et Bent. versum hunc stultitiæ arguunt, ut ingestum, et in Morboniam ablegant.—*Ligurriunt.* Ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, quod secundum Græcos *suave* intelligitur. *Ligurrire* dicitur, qui cum elegantia suaviora quæque delibant. Oppositum τῷ *ligurrire* est *devorare*, sicubi Cic. Verr. III, 76. *Perl.* — *Ligurrire* fusius explicat Lucianus in dialogo Crobylam inter et Corinnam, et totum hunc locum sibi optime sui juris fecit, ut adnotat domina Dacieria: agitur scilicet de meretrice quadam cui magna erat fama: ἦν δὲ πότε καὶ ἀπέλθῃ ἐπὶ δεῖπνα, λαβοῦσα μίσθωμα, οὔτε μεθύσκεται, καταγελάστον γάρ, καὶ μισοῦσιν οἱ ἄνδρες τας τοιαύτας, οὔτε ὑπερεμφορεῖται τοῦ ὄψου ἀπειροκάλως, ἀλλὰ προςάπτεται μὲν ἄκροις τοῖς δακτύλοις. Σιωπῇ δὲ τας ἐνθέσεις οὐκ ἐπ'ἀμφοτέρας παραβύεται τὰς γνάθους, πίνει δὲ ἡρέμα, οὐ χανδὸν, ἀλλ'ἀναπαυομένη.

936. *Ingluviem.* Varie scribitur *inglaviem*; alii, *illuviem*; Bent. *inluviem.* — *Videre ingluviem*, etc., *Nosse omnia hæc, est salus.* — *Ingluviem*, voracitatem.

937. *Solæ sint.* Both. *Sint solæ.* — *Solæ.* Id est, sine amatore. — *Quam inhonestæ. Inhonestas domi* eleganter dixit Terentius, quæ mundæ et compositæ, et eleganter foris conspiciuntur.

938. *Ex jure.* Linacer *cum jure* legit. *West.* — *Hesterno.* Antesign. notat Vallam legere *pridiano.* — *Ex jure hesterno panem.* Hic proprie intelligitur panis quem interdum

Nosse omnia hæc salus est adolescentulis.
PYTH. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus! 940
Ulciscar; ut ne impune in nos illuseris:

SCENA QUINTA.*

PYTHIAS. PARMENO.

Pro Deum fidem! Facinus fœdum. O infelicem adolescentulum!
O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit! PARM. Quid est?

leviter in jus immersum esitabant. Sic apud Varronem, *panis ex aceto*, qui est panis madidus ex aceto, infusus in acetum. Idem, *brassica ex aceto*, supple *madida*. Et apud Græcos Aristophanes χρέας ἐκ ζωμοῦ, et Homerus πυρὸν ἐξ ὕδατος. *Dacieria.* — *Atrum*, ex farina unde furfures non sunt secreti. *Perl.* — *Vorent.* Nota quod contrarium est, *ligurriunt*, vs. 935.

939. *Salus est.* Both. *Saluti est*, ex Bentleio qui contendit lectionem quam recepimus vix bene latine dici. — *Adolescentulis.* Mallet Guyetus in Scholiis Mss. *adolescentuli*: ut ad solum Chæream referatur. *West.* — *Adolescentulis.* Bene usus est Noster deminutivo. Nempe quo tenerior est ætas, eo minus parata debet esse adversus meretricum illecebras.

940. *Ego pol te*, etc. Mss. Lips. dat. *Pol pro istis te dictis.* West. — *Ego pol te pro istis*, etc. Ita Plaut. Amphitr. I, 1, 29: «Ego pol te istis tuis pro dictis ac malefactis, furcifer, Accipiam.» *Bæclerus.*

941. *Ulciscar*, etc. Mallet Guyetus in Scholiis Mss. aliter interpungi: *Ulciscar: ut ne impune in nos illuseris.* — Pythias, regressa modo in scenam, ultimaParmenonis verba audivit, et postquam secum submissa voce de ultione pauca dixit, clare alloquitur, jam aggressa artificii præparati partes.

*SCENA QUINTA. Novam hic incepimus scenam cum G. m. cum Antesign. Dacieria, Valp. At sequentibus conjungunt Bentl. Zeun. Both. Perl. et interp. gall. *Lemonnier.*

942. *Pro deum fidem!* Sic Br. Eug. Bent. Bip. — Dant, *Pro fidem Deum!* Antesig. Z. Valp. Both. — *Pro Deum fidem*, etc. Hæc Pythias dicit quasi nunc tantum a Thaide exeat, et quasi nova re, quam ad ultionem Parmenonis confixit, summe perterretur. — *Facinus fœdum.* Quid sit hoc *fœdum*, vid. vs. 956. Quod pudor prohibet mulieri dilucidius demonstrare. *Perl.*

943. PARM. *Quid est.* Ad hæc verba, fit attentior Parmeno, jam trepidans quid rei acciderit.

PYTH. Miseret me: itaque, ut ne viderem, misera huc effugi foras.
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna! PARM. O Jupiter!
Quæ illæc turba 'st? Numnam ego perii? Adibo. Quid istuc, Pythias?
Quid ais? In quem exempla fient? PYTH. Rogitas, audacissime!
Perdidisti istum quem adduxti pro eunucho adolescentulum,
Dum studes dare verba nobis. PARM. Quid ita? Aut quid factum 'st? Cedo.
PYTH. Dicam: virginem istam, Thaidi hodie quæ dono data 'st,

944. *Ut ne viderem.* Br. et Rom. cod. *ut ne id viderem.* Perl. — *Miseret me.* Hæc omnia secum loquitur, et quasi nesciat Parmenonem hic adesse. — *Misera* pro *misere*, et est quod vim verbi augeat. Sic vividius pingitur fuga paventis et miserantis.

945. *Quæ futura.* Alii *quæ futura esse*; sed perperam. *Antesign.* — *Indigna.* Post *indigna*, interrogant Z. Valp. Maxima distinctione usus est Both. — *Quæ futura*, etc. Construe: quæ exempla indigna dicuntur futura esse in eum. — *Exempla.* Graves pœnæ quæ possunt cæteris documento et formidini esse *exempla* dicuntur.

946. *Quæ illæc.* C. G. m. gl. *illa hæc.* Itid. C. Hal. in textu. Perl. — *Istuc.* Br. *istic.* — Both. levissime pungit post *Pythias.* — *Quæ illæc turba est?* Hæc perturbatio Pythiadis. Sic supra Andr. vs. 235. — *Numnam ego perii.* Num de me actum est. Timet nempe Parmeno ne, deprehenso Chærea, ipsi res male cedat, qui talis flagitii ministrum se præbuit.—*Quid istuc*, sub. quod dicis.

947. *Quid ais?* Minus hoc recte dici asserit Bothius, ut infra, vs. 977: *Quid trepidas?* Scribit ergo ex duobus Bentl. codd. *Quod ais?* — *Rogitas.* Br. *Rogas.* — *In quem.* Ut initium loquendi habeat, et ut præterea se rei omnino alienum indicet, per hanc interrogationem incipit, quasi nesciat, ex omnibus quæ dixit Pythias, de Chærea agi.

948. *Perdid. istum.* Both. *Perd. illunc.*

949. *Quid ita?* Virgula tantum hic Bothius interpungit. — *Dum studes* pro *dum studeres.* De mutatione temporis vid. Andr. vs. 823, in not. — *Quid ita* dicis? — *Cedo*, vid. Andr. vs. 150, pag. 28; ubi vocem fusius explicuimus.

950. *Hodie quæ dono.* Sic Ant.

Scis eam civem hinc esse, et fratrem ejus esse apprime nobilem?

PARM. Nescio. PYTH. Atqui sic inventa 'st. Eam iste vitiavit miser.

Ille ubi id rescivit factum frater violentissimus...

PARM. Quidnam fecit? PYTH. Colligavit primum eum miseris modis. PARM. Hem!

Colligavit? PYTH. Et quidem orante, ut ne id faceret, Thaide.

PARM. Quid ais? PYTH. Nunc minatur porro sese id quod mœchis solet,

Br. Delph. Both. Perl. Aliter collocant Z. Valp. *quæ hodie dono.*

951. *Scis.* Ita legunt Ant. Zeun. Perl. Valp. Sed Both. exhibet *scisne;* Delph. et Bip. *scin'.* — *Eam civem hinc esse.* Ponunt *hinc* ante *civem* Antes. Zeun. Delph. Valp. Both. *hinc esse civem*, omisso *eam.* Eugr. *Scis istum civem.* — *Fratrem ejus.* Ant. *ejus fratrem.* Both. *fratrem ei.* — *Esse* non exhibet Antesignanus. — *Scis*, interrogat, ut affirmet. — *Fratrem ejus*, etc. Hæc ad terrorem et gratiam aucta sunt. Nam primo *virginem* posuit, post *civem*, ad ultimum *nobilis cujusdam sororem. Don.* — *Apprime*, inter primos. — *Nobilem*, genere et auctoritate valentem.

952. *Inventa 'st.* Both. omittit *est.* — *Sic*, talis qualem dico; i. e. *virgo, civis, soror viri nobilis.* — *Inventa est.* Verbum *invenire* proprie in usu est de liberis recognitis. Heautont. 991. — *Iste*, Chærea. — *Miser*, «ob supplicium ferendum.» Magnum horrorem incutit audienti, non accusando, sed miserando Chæream.

953. *Id rescivit fact.* Alii *hoc rescir. f.* Nonnulli *id* vel *hoc* omittunt. — *Factum.* Guelf. 2, 3, *esse factum.* — *Ille frater violentissimus.* De fratre quodam, supposititio et item violentissimo fit quoque mentio, et longe quidem festivius apud nostratem MOLIÈRE, *Les fourberies de Scapin*, act. II, sc. VIII, init. ubi SCAPIN. « J'ai donc été trouver le frère de cette fille, etc. »

954. *Miseris modis.* Ms. Lips. *miseris modis.* Sed erasa prima parte τοῦ *m.* Westerhovius. — *Hem.* Particulam hanc quæ a compluribus abest, alii præponunt versui sequenti, alii etiam rejiciunt post alterum *colligavit.* — *Hem*, exclamatio horrentis.

955. *Colligavit?* Guelf. 2, *colligavit eum?* Guelf. 4, *eum ligavit.* — *Et quidem orante*, etc. Antes. Zeun. Valp. *atque equidem.*

956. *Minatur.* G. E. M. Delph. *Minitatur.* Westerhovius. — *Sese id.* Addunt *facturum* Mss. Lips. Ed. II, Guelf. 1. — *Nunc minatur.* Consulto dicit *minatur*, ut succurri possit ei qui non sit passus.

Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. PARM. Qua audacia
Tantum facinus audet? PYTH. Quid ita tantum? PARM. An non hoc maxumum 'st?
Quis homo unquam pro mœcho vidit in domo meretricia
Prehendi quemquam? PYTH. Nescio. PARM. At ne hoc nesciatis, Pythias,

Et scilicet ea spes erit qua Parmeno ad Thaidem coget intrare senem; et demum per senem nuptiæ confirmabuntur.—*Porro*, præterea.—*Sese* sub. *facturum*. — *Solet*, sub. *fieri*. — *Quod mœchis*, etc. Deprehendi mœchis capitale erat Athenis. Usitatissima pœna καυλοκοπη, ut indicant Horat. lib. I, sat. 2, v. 44; Juv. Sat. 10; Plaut. Miles gloriosus, sc. ultima, vers. 5, et in Pœnulo, Act. IV, sc. 11, v. 40. Erat præterea παρατιλμὸς, quum pilos singulatim mœcho evellerent, et denique ῥαφανίδωσις, propter cunei formam qui magna vi in corpus per clunes intrudebatur. Vide cæterum Aristophan. interpret. Diod. Sicul. I, 78; Val. Max. lib. VI, c. 1, num. 13; Martial. lib. III, epigr. 85; De quo vid. Edit. nostr. vol. I, pag. 351.

957. *Qua audacia*. Ed. Tarv. junctim, *qua audacia facere tantum facinus audet*. West. — *Neque velim* sub. *videre*. Nimirum quod dedecet feminam. *Perl.* — *Qua audacia*, quam audacter.

958. *Tantum facinus audet*. Ien. et Venet. *facere*. Non inepte; cf. 644. *Perl.* — *Audet*, admittit. Et ita interpretare: «Quam audax est, qui audeat.» — *An non hoc maxumum est*. Z. Valp. *an non hoc tibi max.* — *Quid ita tantum*. Omnia supplendo, lege: *quid*, cur dicis *ita*, sc. *tantum*? — *Maxumum*, omnium facinorum.

959. *Q. homo unq. pro mœcho*. Aliter disponitur *q. hom. pro mœch. unquam*. — *Pro mœcho prehendi*, sc. prehendi, tanquam adulterii manifestum. — *In domo meretricia*. Lege quadam Solonis cautum fuerat, ne quis pro mœcho prehenderetur in ea quæ vel in lupanari, vel publice prostabat. Et hanc quæstionem agitat Quintilianus, tum in Institutionib. Orat. VII, 3; tum in Declam. CCCLXXXV.

960. *Prehendi*. In libb. antiqq. *Deprehendi*; alii *deprehendi*, alii *apprehendi*. Both. et Bip. *Prendi*. — *At ne*. Guelf. 2 et Z. *anne*. — *Nescio*. Pythias, quum dolo omnem hanc scenam instruxerit, candorem et simplicitatem morum verbis vultuque præfert; sed dum quasi ingenue se fatetur nescire, callide evitat quod illecontra diceret. *Bœcl.* et *Perl.* — *Hoc*, sc. quod sequitur, *juvenem hunc herilem esse filium*. Quia Pythias respondit *nescio*, Parmeno propter hanc securitatem subiratus, repetit idem verbum quod ad rem aliam tranfert. Est quasi diceret: «Licet quidem tibi profiteri ignorationem tuam de adulterii controversia; at saltem, non dices *te nescire*, quod jam dicturus sum. — *Nesciatis*. Plurali hoc numero com-

Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium. PYTH. Hem,

Obsecro, an is est? PARM. Ne quam in illum Thais vim fieri sinat.

Atque adeo autem cur non egomet intro eo? PYTH. Vide, Parmeno,

Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas: nam hoc putant,

Quidquid factum 'st, ex te esse ortum. PARM. Quid igitur faciam, miser? 965

plectitur Thaidis familiam, et eos qui vitiatæ virginis partes sustinent.

961. *Edico vobis.* C. G. m. *et edico tibi.* — *Dico, edico vobis. Dicere* simpliciter est *rem loqui; edicere*, rem declarare, non sine quadam pronunciandi celebritate. — *Illum*, quem dicis fuisse comprehensum. — *Nostrum herilem filium.* Nostri heri filium.

962. *An is est.* Delph. *Quis est.* — *In illum.* Videtur Eugr. legisse *in eum.* — *Vim fieri.* Both. *fieri vim.* — *Obsecro, an is est.* Bœclero assentimur conjicienti hæc verba non insultantis omnino esse, sed callidæ ancillulæ, quæ vultum attonitum consulto præfert, et quæ in admirationem se miserabunda componit. «Quæ res tacite quidem vim insultandi habere potest, non palam; id enim agitur, ne insultari videatur.» — *Ne quam in illum*, etc. Intentat minas, si vis Chæreæ inferatur.

963. *Atque adeo*, atque etiam. — *Autem.* Quæ quum ita sint, i. e. quum vis tanta heri filio imminеat. — His verbis Parmeno corrigit quod modo dixit, et meminit se ipsum posse præsenti ope, non minus quam minis, periclitantem Chæream defendere. — *Vide*, attende.

964. *Ne neque illi prosis.* Alii omittunt *neque*, sed perperam. *Antes.* — *Hoc putant.* Guelf. 1, *hoc ita p.* — *Quid agas.* Quid cogites. — Parmeno ab introitu absterretur, ut seni, ad promovendam fabulam, aut ad solvendum errorem adducto, suos de Chærea, metus indicet. *Bœcl.* — *Ne neque illi prosis. Neque* pro *et non.* Quod *et* respondet ad *et tu pereas;* ita ut prius *et* significet *non solum*, et respondeat ad posterius *et*, quod sonat quasi *sed etiam.* — *Tu pereas.* Res tibi male cedat. — *Putant*, ii qui in ædibus Thaidis adsunt. — *Hoc*, quod sequitur, *quidquid*, etc.

965. *Ex te.* Br. et Both. ex Bentleio, *a te.* — *Ex te*, ex tua auctoritate. Consulto Pythias vult eum a Thaide arcere, ubi primo aspectu omnia falsa esse agnosceret, quæcumque ipse dixit; et quo facilius a proposito revocet servum, callidissime terret imminentis periculi repræsentatione. — *Quid igitur faciam miser?* Deliberat secum Parmeno, utrum discedere debeat, an intrare ad Thaidem.

Quidve incipiam? Ecce autem video rure redeuntem senem.
Dicam huic? An non dicam? Dicam hercle, etsi mihi magnum malum
Scio paratum. Sed necesse est, huic ut subveniat. PYTH. Sapis.
Ego abeo intro; tu isti narra omnem rem ordine, ut factum siet.

966. *Rure.* Guelf. 3, *de rure.* — *Quidve incipiam.* Quidve aggrediar. Jam supra vidimus, Andr. vs. 494, 725, verbum *incipere* sumi eo sensu. — *Senem*, Lachem, Parmenonis herum, et patrem Chæreæ simul et Phædriæ.

967. *Dicam huic? an non dicam?* Sic interrogamus post Bent. Both. Perl. et tertio ponimus *dicam*, ante *hercle*. Antes. Z. Valp. *Dicam huic, an non? dicam hercle.* — *Etiam* post *hercle* Guelf. 3. — *Dicam huic?* filii factum, et ejusdem periculum. — *Malum*, pœnam. Proprie scilicet de servis illa vox dicitur. Vid. Andr. vs. 432, pag. 62.

968. *Sapis.* Guelf. 2, *si sapis.* — *Scio paratum.* Bene *paratum;* usu enim didicit semper præsto adesse servilis supplicii instrumenta; quæ nunc reformidat, utpote sibi conscius ministerii herili filio præstiti. — *Huic*, Chæreæ. — *Subveniat*, Laches. — *Sapis.* Dum Pythias servum bona mente videtur approbare, eum impellit in insidias quas ipsa modo præstruxit.

969. *Omnem rem ordine.* MSS. M. et Lips. *omnem ordinem.* Faern. proponit *omne ordine*, quod admittunt Bent. et Both. et disponunt, *ordine omne.* — *Narra.* Guelf. 1, 3, Delph. *narrato.* Bip. *narrato ordine, ut*, omissis *omnem rem.* — *Tu isti narra omnem rem ordine.* Ancilla propositum finem assecuta est, et invenit quomodo se ipsum Parmeno accusaret, et ultro sese herili vindictæ offerret. — *Ut factum siet.* Notetur hic post *rem* sequi diversum genus. Nam rectius diceretur, *ut facta siet.* Sed poeta, genere quod prius adhibuerat omisso, scripsit subinde *factum*, quasi supra posuisset *negotium.* — Præterea animadvertendum est Græco more constructam esse sententiam hanc; quam vero si ad latinæ linguæ genium revocare volueris, habebis: *tu isti narra ordine ut* (quomodo) *res omnis facta sit.*

SCENA SEXTA.

LACHES. PARMENO.

LACH.* Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? Et certe ipsus est.
Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?
PAR. Quis homo 'st? Ehem, salvum te advenisse gaudeo.
LACH. Quem præstolare? PARM. Perii! Lingua hæret metu.
LACH. Hem, quid est? Quid trepidas? Satin' salve? Dic mihi.

970.* Laches loquitur non viso primum Parmenone.—*Hoc commodi*, quod explicat subinde.

971. *Percipit*, capit.

972. *Satias*. Edd. Tarv. Med. *Satietas*. West. — *Commuto locum*. Mark. *Simul comm. loc.* — *Satias*, satietas. — *Commuto locum*. Supple *Alterum altero*. — Dacieria, ex Donato, ingeniose subjicit in notis : « Voici un vieillard paisible qui n'a aucun souci dans la tête, qui ne soupçonne rien de mal, et qui ne pense qu'à la commodité qu'il y a d'avoir une maison de campagne, qui ne soit pas trop éloignée de la ville : et cela est fort bien ménagé, afin que ce bonhomme sente plus vivement la nouvelle que Parmenon va lui apprendre, et que ce changement d'état soit mieux marqué, et divertisse davantage les spectateurs. »

973. *Sed estne ille*, etc. In Reg. Bib. Par. *est* omittitur. *Lind.*

974. *Præstolare*. C. G. m. sup. script. extrem. syllab. *ris*, ut legatur *præstolaris*. — *Ante ostium*. Edd. Tarv. med. *Ante ostium Thaidis*. — *Præstolare*, secunda persona indicativi ab *præstolor*, *præstolaris*, *præstolare ;* verbum hoc dicitur de eo qui ante stando ibi, quo venturum excipere vult, moratur. — *Hic ante ostium*, quasi esset, *ante hoc ostium*, quod est Thaidis.

975. *Ehem*. Delph. *hem*.—*Salvum te advenisse*. Antes. Z. Valp. *Salvum te advenire*, *here*, *gaudeo*. — *Quis homo est*. Ita interrogat, quasi de improviso respiciens ad herum, jam ante (vs. 966) sibi visum. *Perl*. — *Ehem*. Vox agnoscentis, quam consulto adhibet servus.

976. *Perii!* etc. Hæc secum Parmeno, sed non ita submisse, ut Laches non turbam servi trepidantis deprehendat.

977. *Hem*, *quid est ? quid trepidas?* Bothius, ut supra, vs. 947,

PARM. Here, primum te arbitrari id, quod res est, velim:
Quidquid hujus factum 'st, culpa non factum 'st mea.
LACH. Quid? PARM. Recte sane interrogasti: oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quemdam Phædria
Eunuchum, quem dono huic daret. LACH. Cui? PARM. Thaidi.
LACH. Emit? Perii hercle. Quanti? PARM. Viginti minis.

H. quid est, quod trepidas? — *Satin' salve.* Par. ed. Delph. Both. *salvæ.* sc. *res.* — *Satin' salve* sub. *omnia se habent.* Modus loquendi apud veteres ellipticus et brevior, quum, ubi quid turbati erat, interrogabant an satis salve omnia se haberent. —Legitur hic *salve* adverbialiter; et eam lectionem præposuimus, auctoritate Plauti et Sallustii. Apud posteriorem hunc: «Inde ortus sermo, percontantibus utrimque, *satin' salve*, quam grati ducibus suis, etc.»

978. *Id, quod res, est.* Sic Bentl. et post eum Delph. Bip. Both. Perl. Alii non exhibent *id.* — *Arbitrari*, pro certo tenere. — *Id*, sc. culpa non factum esse mea. — *Quod res est.* «Quod est res ipsa, ut evenit. Est quasi parenthesis, qua servus commendat quod subsequitur.» —Præmunitio et excusatio præpostera male conscii animi se purgantis, antequam accusetur. Sic Heautont. 623: «Primum hoc te oro, ne quid credas me adversum edictum tuum Facere esse ausam.» Ubi servus: «Nescio quid peccati portat hæc purgatio.» *Farnab.* et *Bœcl.*

979. *Quidquid hujus f.* etc. Both. *Hujus quidquid f.* — *Hujus* sc. negotii. Cf. supra vs. 202. Alludit ad rem de qua se purgare cordi habet.

980. *Quid.* Guelf. 2, *Quid id est.* — *Quid?* Nondum enim audivit rem ipsam; nam servus trepidans obscure loquitur, ita festinat se excusare antequam narraverit de qua re sermo sit. — *Recte sane interrogasti.* Apte Parmenoni convenit illa correctio; quia supplicis est in omnibus probare eum cui preces admovet; et præterea, corrigere tentat quidquid suspicionis heri animo sua ipsius prima perturbatio ingerere potuit. — *Oportuit*, pro *oportuisset.*

981. *Prænarrasse.* M. et Guelf. 2. *Prænarrare.* — *Prænarrasse.* Antequam me excusarem.

982. *Huic.* Ita vivide res sibi repræsentat, ut fere credat herum quoque scire de qua hic agatur. Donatus censet nomen consulto a Parmenone omitti, ne senex offendatur meretricis commemoratione.

983. *Emit? perii hercle.* Avarus senex ad hanc vocem *emit*, quasi ad inopiam redactus esset, reclamat, vel antequam sciverit *quanti* emerit. — *Viginti minis.* De Veterum monetis ad hodiernam et Gallicam æstimationem redactis, vide tabulam quam dedit Vir doct. *Letronne*, ad calcem Martialis classicæ hujus Bibliothecæ. vol. I, pag. 497. — Tantumdem dederat Phædria pro Eunucho et ancilla Æthiopica, ut ex vs. 169, constat. Servus hic compendio agit: Fatetur summam;

LACH. Actum 'st. PARM. Tum quamdam fidicinam amat hinc Chærea.

LACH. Hem, quid? Amat? An jam scit ille, quid meretrix siet?

An in astu venit? Aliud ex alio malum.

PARM. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.

LACH. Omitte de te dicere. Ego te, furcifer,
Si vivo... Sed istuc quidquid est, primum expedi.

et Eunuchum nominat solum, unde occasio periculi commissi ad alterum filium, Chæream, profecta est. *Bœcl.*

984. *Amat hinc.* Sic post Bentl. legunt Both. Perl. pro *hic* vulgato. — *Actum est.* Verbum viri omnino desperantis. — *Tum*, præterea. — *Quamdam fidicinam. Fidicinam* et insuper *quamdam* dicit, non *virginem* et *civem*, ut attenuet indignitatem facti, quod mox confitebitur. *Fidicinæ*, (quæ fidibus canunt) apud Atticos vili erant in pretio. — *Hinc*, jungi debet cum *fidicinam*; quæ est ex hac domo; et indicat ædes Thaidis.

985. *Hem* reponitur in versu præcedenti apud Bothium. — *Jam scit ille.* Aliter quoque disponitur: *scit jam ille.* — *Quid meretrix siet.* Quia fidicina meretrix est.

986. *An in astu*, etc. In aliis legitur uno tenore, *An in astu venit aliud ex alio malum?* sed depravate, ut notat Antesign. — *An in astu venit*, ex Piræo ubi custos publice est. Vid. supra, vs. 290, pag. 167. — *In astu.* Athenienses urbem suam *astu* vocabant. Cicero, de Leg. I: « Theseus, inquit, eosdem migrare ex agris, et in *astu*, quod appellatur, omnes se conferre jussit. » Cæterum Athenæ in duas divisæ erant partes: Urbem, quæ dicta ἄστυ; et portum, qui Πειραιὺς vocatus est. Eas autem partes unus complectebatur ambitus; sed ita ut plebeii et democratiæ fautores in regione Piræi agerent; elegantiores nobilioresque astu incolerent. A potiori igitur parte et ad portus discrimen ἄστυ et ἀστικοὺς nominabant urbem et urbanos. *Ed. Delph.* — *Aliud ex alio malum*, sub. *oritur.* Prius malum, quod fidicinam amet; alterum, ex hoc ortum, quod suam stationem deseruerit. *Juvenc.*

987. *Hæc non facit.* Mark. *Hoc non f.* West. — *Here, ne me spectes.* Conscientia trepidus Parmeno heri vultum terrore et iracundia plenum non sustinet, et purgationem priorem repetit. *Bœcl.* — *Hæc facit.* Amat feminam, et abest a Piræo.

988. *Furcifer.* Vide supra Andr. vs. 619, pag. 82. — *Si vivo.* Formula minandi quam explicuimus, Andr. vs. 867, pag. 112. Hic autem est aposiopesis; sub. *ulciscar.* — *Quidquid est*, quodcumque est. Causa inventa cur supplicia differantur, donec uxorem ducat Chærea, et purget Parmenonem; secundum argumenta quæ sibi ipse prospexit, causaturus Chæreæ jussa. *Don.*

PARM. Is pro illo eunucho ad Thaidem huc deductus est.
LACH. Pro eunuchon'! PARM. Sic est. Hunc pro mœcho postea
Comprehendere intus, et constrinxere. LACH. Occidi.
PARM. Audaciam meretricum specta. LACH. Numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,
Reliquum? PARM. Tantum est. LACH. Cesso huc introrumpere!
PARM. Non dubium est, quin mî magnum ex hac re sit malum;
Nisi, quia fuit necessus hoc facere, id gaudeo,

990. *Ad Thaidem huc deductus est.* Lib. antiq. *ad Thaidem hanc ded. e.* Fa. omittit cum l. Bemb. et item Zeun. Valp.

991. *Pro eunuchon'!* Non interrogat, sed exhorrescit. *Don.*

992. *Comprehendere.* Both. *Comprendere.* — *Hunc pro mœcho postea Comprehendere intus.* Specta quam oratorie omiserit mentionem vitiatæ virginis. *Don.*

993. PARM. *Audaciam meret. specta.* Totum versum Lachi dat Bothius. — *Audaciam meretricum specta.* Oratorie avertit iram senis a se et a Chærea, atque derivat in meretrices.—His paucis verbis resumit, quidquid de meretricibus modo dixit; sed Laches tanta ingruentium simul malorum mole oppressus, existimat aliquid majus et gravius superesse, quod *meretricum audaciam* apertius indicet.

994. *Mali*, pertinet ad hoc, quod Chærea pro mœcho intus est deprehensus et ligatus; *damni* ad illud, quod est a Phædria emptus Eunuchus. *Donat.*

995. *Reliquum.* Conjicit Erasmus legi debere *relictum*, quod defendit quoque Bothius, ob accentum. — *Cesso.* Delph. *Cesson'.* — *Introrumpere.* Alii *intro irrumpere.* — *Tantum est.* Formula abrumpendi sermonem, pro, *nihil præterea.* Itidem Plaut. Cas. Prol. 87 : « *Tantum est*, valete. » *Perl.* — *Cesso.* Formula se ipsum adhortantis, et suam sibi cunctationem exprobrantis. —*Huc*, in Thaidis domum.—*Introrumpere*, irrumpere, irruere. Simul intrat ad Thaidem Laches, ingenti formidine correptus.

997. *Necessus.* Sic lib. Bemb. In antiq. *necesse.* Be. *necessum.* Perl.— *Nisi, quia fuit*, etc. Consideratio est, qua pensitat malum quod prævidet : « Omnia, post hujus modi confessionem, lugere debeo, nisi quod, in tali rem omnem declarandi necessitate, gaudeo propter id, sc. *aliquid mali*, etc. » —*Necessus*, nomen est substantivum masculini generis, ut *necessitas* in feminino genere. — *Hoc facere*, totam rem expedire.

Propter me hisce aliquid eventurum mali.
Nam jam diu aliquam causam quærebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret iis; nunc repperit. ....

SCENA SEPTIMA.

PYTHIAS. PARMENO.

PYTH. Nunquam ædepol quidquam jam diu, quod magis vellem evenire,
Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
Mihi solæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam.
PARM. Quid hoc autem est? PYRH. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.

998. *Eventurum.* Antes. Z. Valp. *esse eventurum.* Mark. *venturum.* Disponit Bothius: *Me propt. aliq. hisce event. mali.—Propter me,* Per me.—*Hisce.* Meretricibus. Et ea indignatione complectitur Thaidem, Pythiadem et Pamphilam.

999. *Jam diu,* etc. Infestus meretrici, propter corruptum ab ea Phædriam.

1000. *Aliquid faceret iis.* Sic Z. Both. Perl. Dat Valp. *his.* Alii scribunt *is,* et jungunt cum *repperit: faceret; is nunc repperit.* — Pro *Insigne* Bentl. indicat legi posse *ægre.* — *Insigne aliquid faceret iis,* sc. genus animadversionis gravissimum, et notabile.

1002. *Quam quod modo senex intro.* Both. *Quam sen. quod int. ad n. modo.* Maximam distinctionem dat Br. post *modo.*—*Errans.* Non gressu *errans* nec via, sed animo et opinione. *Don.* — Vera enim esse credit quæ commentita est Pythias per Parmenonem. *Perl.*

1003. *Sciebam.* Bent. Bip. Both. *Scibam.* — *Solæ.* Regulariter *soli* dicitur: *Solæ* non recte, sed antique, ut alibi, Heautont. 271: « Hoc ipsa in itinere *alteræ* Dum narrat, forte audivi. » — *Quæ, quid tim. sciebam.* Sciebat scilicet Pythias nihil esse quod timendum haberet Laches; et ideo senis timor ancillæ ridiculus erat.

1004. *Id prodeo.* MS. Lips. *id exeo. West* — PAR. *Quid hoc autem est,* supple, *quod loquitur* Pythias. — *autem.* Miratur Parmeno, quod in tali, ut putat, heri infortunio, Pythias rideat; et secum hæc dicit, non videnti ipsum ancilla.—*Id prodeo,* ob id.

Sed ubi, obsecro, is est? PARM. Me quærit hæc. PYTH. Atque eccum video. Adibo.
PARM. Quid est, inepta? Quid tibi vis? Quid rides? Pergin'? PYTH. Perii!
Defessa jam sum misera te ridendo. PARM. Quid ita? PYTH. Rogitas?
Nunquam pol hominem stultiorem vidi, nec videbo. Ah,
Non possum satis narrare, quos præbueris ludos intus.
At etiam primo callidum ac disertum credidi hominem.
Quid? Illicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?

1005. *Ubi, obs. is est.* Omittunt *is* Antesign. Br. Bent. Zeun. Both. Delph. — *Me quærit hæc.* In antiquis libris sic legitur affirmative. Item nos, ex Perleto. Valp. interrogat, *Men' quærit hæc?* — *Obsecro.* Adverbialiter positum, nemine interrogato. De hac formula, vide Andr. vs. 801, in notis, p. 103. — *Adibo.* Cachinnatur rursum, et movet bilem Parmenoni qui increpat in versu sequenti.

1006. *Quid est, inepta?* Both. *Quid inepta, id est?* Et ait sic versum poscere. — *Perii.* MSS. Markian. et Bœnd. cum edd. vetustissimis, *Ah, ah, eh, perii.* Fere similem in modum exclamant Guelf. 1, 2. Nullus autem ex recentioribus. — *Pergin'?* Post *quid rides,* aliquantisper restitit Parmeno, exspectans responsum, et quum Pythias in cachinnos nihilominus eruperit, interrogat: *Pergin'?* — *Perii.* Proprie hic verbum est aptum, quasi sit lassa ridendo.

1007. *Te ridendo.* Alii, ut notat Antesign. *de te ridendo.* Guelf. 3, *deridendo.* — *Rogitas.* MS. Lips. *Rogas.* — *Defessa jam sum misera.* Ego misera sum defessa. *Miseram* autem se dicit, dum ad lassitudinem solam attendit. — *Quid ita,* supp. *est:* cur es defessa ridendo?

1008. *Nunquam pol.* Antesign. *nunq. edepol.* — *Stultiorem.* Br. *Stulticiorem.* — *Vidi.* M. et Bœnd. *te vidi* scribunt. *Wester.* — *Stultiorem,* quam te.

1009. *Non possum satis narrare.* In his variant editores. Alii, *non pote satis narrare*: alii *non potest sat. narrari.* Alii *non satis pot. narrarier.* — *Quos præb. lud.* Alii disponunt, *Quos lud. præb.* — *Quos præbueris ludos intus.* « Quam nobis ridendi materiem suscitaveris. » Ad id Pythias alludit, quod ex Parmenonis confessione acciderit tota senis turba, eo ridiculior quod erat citra causam.

1010. *At etiam.* Both. *at te etiam,* et *te* vulgo nimis recte abesse censet; vocem hanc *te,* post *credidi* subjicit Guelf. 3. — *Callidum ac dis.* Legitur etiam *callid. et dis.* — *Primo.* Ante hanc confessionem — *credidi,* subaudi *te;* quod etiam dat Bothius in textu. — *Disertum.* « Prudentem in loquendo. » Stoliditatem ridet ancilla servi qui temere crediderit, et loquacitatem, qui falsa pro veris narraverit. *Farn.*

1011. *Quid? illicone.* In Ante-

An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis tum animi fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? Quid est? Jam scis te periisse.
PARM. Hem! Quid dixisti, pessuma? An mentita es? Etiam rides?
Itan' lepidum tibi visum est, scelus! nos irridere? PYTH. Nimium.

signano *quid* Parmenoni tribuitur: PARM. *Quid.* PYTH. *Illicone*, etc. — Guelf. 3 legit *illico nec reddere.* — *Illico*, statim.

1012. *An pœnitebat*, etc. Pro *an parvum videbatur?* Cic. ad Attic. I, XX, ubi Leusing. Ad hoc Ernesti: *Pœnitere* nos ejus rei dicimus eleganter, quæ parva est, qua contenti non sumus. Vid. insuper Nostrum, Heautont. vs. 72. — *Quod fecisset*, etc. Simplicius explicaveris *quod* per pronomen relativum: sed subjunctivi ratio minus redderetur. Quapropter hellenismum hic, ut sæpius, suspicamur inesse: « an tu parum contentus eras (quod attinebat ad commissum flagitium) quia adolescens fecisset illud te auctore? » — *Auctore*, suasore.

1013. Bothius disponit: *Miser. pat. ni insup. etiam.* — *Ni*, pro *nisi.* — *Miserum*, juvenem ipsum, Chæream. — *indicares*, declarares, ut facti sontem.

1014. *Tum animi.* Alii *animi tum.* — *Illi*, Chæreæ. — *Quid animi*, quales sensus.

1015. *Quid est.* Bent. *est* omisit, et sic Both. — MSS. Mark. Bœnd. et quidam editi vetusti: PAR. *Quid est?* PYTH. *Jam scis te periisse?* Præstat autem utrumque tribuere Pythiadi. *Westerhov.* — *Periisse.* Bent. Bip. Both. dant *perisse.* — *Vestem illam*, Eunuchi. — *Quid est? Jam scis te periisse.* Ita stupefecit Parmenonem totus hic Phædriæ sermo, ut quasi omnino securus audire videatur. Ergo suscitat eum ancilla, et ait: « Quidnam est, quod videaris ita ignarus omnium? — *Jam scis te periisse.* Interrogatio pro affirmatione. « Nunc demum scis, opinor, et intelligis certum esse supplicium tuum et exitium, actum de te esse. » Hoc ita dicit ancilla ut eam ridere, ac se delusum esse Parmeno intelligat. *Juvenc.* — Post hæc, Pythias denuo in risum effunditur.

1016. Pro *hem* dant *ehem* Delph. Bip. Both. — Censet Bentleius fortasse *hem* priori versui apponendum; et tum legatur, *quid dix. pessuma? an ment. es?* etc. — *Quid*, Guelf. 2 *qui.* — *Dixisti.* Codd. quidd. Bent. *dixti.* — *An mentita es*, quum dixisti herum meum constrictum fuisse miseris modis, etc. Vid. supra. — *Etiam rides.* Apparet eam, ex hujus stomacho, vehementius cachinnare. *Donat.*

1017. *Scelus! nos irridere?* Eugraph. videtur legisse *nos irridere sce-*

PARM. Si quidem istuc impune habueris. PYTH. Verum?
PARM. Reddam hercle. PYTH. Credo.
Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minare.
Tu jam pendebis, stulte, qui adolescentulum nobilitas 1020
Flagitiis, et eumdem indicas. Uterque in te exempla edent.
PARM. Nullus sum. PYTH. Hic pro illo munere tibi honos est habitus. Abeo.

lus. — Par. p. var. *illudere* et *nimirum.* — *Scelus,* scelesta. — *Nimium,* magnopere, ut supra vs. 597, pag. 211.

1018. *Reddam hercle.* Quidd. libb. addunt *vicem*, sicut est in Ovid. Am. I, VI, 23. — *Verum.* Non interrogant post hanc vocem Both. Perlet. — *Si quidem*, etc. Supple ex præcedentibus: *Poterit lepidum tibi videri nos irridere, si modo*, etc. — *Istuc impune habueris*, hoc impunitum feres. — *Verum?* Irridentis interrogatio: «Itane est? an ex animo loqueris.» *Juvenc.* — *Reddam*, scil. vicem, h. e. par pari referam. *Perl.*

1019. *Minare.* Antesign. et alii antiq. libb. *minitare.* — *Istuc quod minare.* Minæ tuæ. — *est in diem*, scilicet futurum, eumque remotum. Intellige, *in longam dilationem*; unde *dilatio* dicta *diei prolatio.* Don.

1020. *Stulte.* Sic Bentl. Both. Perlet. qui posterior: « Vulgo *qui stultum adolescent.* Non recte. Nam non tam Chærea, ut Anglus censet, pro stulto poterit indicari, quam potius servus, qui pro flagitiis pendeat.» — *Adolescentulum.* Eugr. videtur legisse *adolescentem.* — *Nobilitas.* MSS. Markian. et Bœnd. cum quatuor Pall. et codd. veterib. *denobilitas.* — *Pendebis*, h. e. « Pendens virgis cæderis, vel loris.» Scilicet solebant servi vapulantes *suspendi* ad trabes. Phorm. vs. 202. *Perlet.* — *Nobilitas*, scilicet a *nobilis*, hoc est, qui noscitur. Verbum autem *nobilitare* significat *notum facere*, et in utramque partem accipitur.

1021. Pro *et eumdem indic.* Bentl. legi vult. *et patri indicas.* « Nisi enim, ait, *patri* retineas, quid hic faciet *uterque*, et filius et pater, quum unus tantum nominetur.» Bentleium omnino sequitur Both. — *In te exempla.* Bent. Bot. *exemp. in te.* — *Edent.* Delph. *edet.* — *Uterque*, pater et filius: Laches, quod filio morem gesseris; Chærea autem, quod amores patri indicaveris. — *Exempla*, nova ac mira tormenta. Quæ pro *exemplis* narrentur, aut quæ documenta sint cæteris, ne delinquant, *Exempla* dicuntur.

1022. Guyeto versus hic subditivus videtur: credo, quia parum intellexit. *Bent.* — *Nullus sum.* Perii. — *Munere*, Eunucho. — *Hic honos. Honos* pro *præmio*, *mercede*, uti græce τιμή. Cic. ad Div. XVI, 9: «Medico *honos* haberetur.» — *Abeo.* Profert codicis sui lectionem Bruns. *Habitus ab eo*, et explicat *a Chærea.* Item C. G. m. *a patre.* Perleto autem longe videntur aberrare.

PARM. Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perii.

SCENA OCTAVA.

GNATHO. THRASO.

GN. Quid nunc? Qua spe, aut quo consilio huc imus? Quid inceptas, Thraso?
THR. Egone? Ut Thaidi me dedam, et faciam quod jubeat. GN. Quid est? 1025

1023. *Egomet meo indicio*, etc. Proverbium in eos, qui ipsi se produnt, more soricis. Quia sorex non facile caperetur, nisi emitteret vocem noctu. *Perl.*

1024. *Quid nunc?* Par. MS. *facis.* Quod glossema censeo esse. *Perlet.* — *Qua spe, aut quo cons.* etc. MS. Lips. *Qua spe huc imus? aut quo consilio?* — *Quid inceptas.* Bentl. Both. *cœptas.* — *Quid nunc*, sub. *agimus.* — *Qua spe aut*, etc. Comicæ figuræ genus, interrogationes multiplicare, et rem unam interrogando diffundere. *Bœcler.* — *inceptas*, moliris. — Reminiscere hunc esse, qui supra, vs. 810, militi dixerit de Thaide: *Jamdudum te amat;* et rursus: *Jam tibi hæc aderit supplicans ultro.* Et hinc videbis quos exitus habeat assentatio. Nam idem militi auctor est summæ desperationis. Et animadverte quod semper a mensa Gnatho invitus abstrahatur: nam et supra, quum ad litem venitur, ex verbis Thrasonis manifestum est et Gnathonem invictum sequi, ubi dicit: *Hanccine ego ut contumeliam*, etc. Et bene: *Qua spe, aut quo consilio;* tanquam omnia expertus, et nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. *Donat.*

1025. *Quid est?* Bentl. hoc *est*, pro sua licentia, emisit ac substituit *ais*, ut monosyllabum. Sed *quid est*, ut supra, vs. 427, Thrasonicum nobis videtur. Quamquam ego in G. primo inveni, *quid dicis?* Quod Angli sane attingeret conjecturam. *Perl.* Bentleium Bothius sequitur. — Hæc verba *quid est* plures miranti Gnathoni tribuunt. — *Egone*, supple, *qua spe aut quo consilio huc* veni. — *Ut*, subaudi, *ego veni.* — *Me dedam.* Verbum *dedere* de iis, qui bello victi se tradunt victori. Post indictum bellum et pugnam instructam, quid sequatur, nisi deditio superatorum? *Donat.* — Vide quam subito illa militis magniloquentia ad timiditatem eam animi reciderit, ut mulieri se dedat; quam vero timiditatem suam iste gloriosus exemplo Herculis ipsius excusat. *Perl.* — *Quid est?* Verba parasiti mirantis tale consilium.

THR. Quî minus quam Hercules servivit Omphale? GN. Exemplum placet.
Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.
Sed fores crepuerunt ab ea. Perii! THR. Quid hoc autem 'st mali!
Hunc ego nunquam videram etiam. Quidnam hic properans prosilit?

1026. *Quî.* Par. p. var. *quid.* Totum mavult G. Fabricius dici a Gnathone. At ego Thrasoni tribuo, quippe qui, uti supra, Pyrrho, itid. hic Herculi ipse se confert. P. — *Minus quam Herc.* Muret. legit, *minus huic quam*, etc. — *Omphalæ.* Eugr. *Omphale.* — *Qui minus, quam Herc.* etc. sub. *serviam* et me dedam Thaidi. — *Quî*, cur. — *Omphale.* Omphale Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit. *Donat.* — *Exemplum placet.* Approbat Gnatho. Itidem, adulator ille, apud Plutarch. Οὐ παῖς, inquit, Ἀχιλλίως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ. *Perl.* — Potest hoc dictum videri militi approbando applaudendoque (quod mihi potius placeat), vel ad spectatores seorsum. Sequens certe versus spectatoribus, non militi dicitur. *Bœcler.*

1027. *Tibi comm.* Abest *tibi* a G. E. M. *West.* et Guelf. 3. — *Commitigari.* Tundendo deprimi atque deponi eleganter dicitur duri militis caput. Adelph. 277. *Perl.* Sic item Hercules παιόμενος ὑπὸ τῆς Ομφάλης χρυσῷ σάνδάλῳ. Vid. Luc. Dialog. Deor. XIII. — *Sandalic. Sandalium* est soccus, vel calceus muliebris, quo etiam puerorum nates cædere solebant. Vid. Casaub. ad Pers. Sat. V, ubi versus sonat: « Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra. » Quod exponit Pulmannus, eum vapulaturum sandalio meretriculæ. *Perl.*

1028. *Perii.* In collocanda hac voce Perletum sequimur qui: « τὸ *perii* aptius ego cum Erasmo Gnathoni perturbato exclamandum do, quam, quod vulgo fit, Thrasoni, qui causam tantum stuporis illum rogitat, ipse non obstupefactus. » — *Crepuerunt.* Legitur etiam *crepuere.* — Dat Delph. *Sed quid? fores crepuere ab ea: quid autem hoc est mali?* — *Fores crepuerunt ab ea.* De hac formula loquendi vid. Andr. vs. 683, p. 90. — *Perii.* Eunuchi habitu Chærea, sed virili confidentia prosilit, et militem velut novi rivalis terret aspectu. *Don.* — *Quid mali.* Quam calamitatem afferre possit in amore. — *Hoc*, adventus alterius hujusce hominis.

1029. *Etiam.* Antiq. lib. dividunt *et jam.* Item Zeun. *et jam hic quidnam properans.* — *Hic*, pronomen esse monet Bentl. non adverb. Al. *hinc.* C. G. M. *hic*, sed ab secunda manu insertum. — *Nunquam etiam*, nondum. — *Hic*, pro pronomine accipit Perletus.

SCENA NONA.

CHÆREA. PARMENO. PHÆDRIA. GNATHO. THRASO.

CHÆR. O populares! Ecquis me hodie vivit fortunatior?
Nemo hercle quisquam : nam in me plane Dî potestatem suam
Omnem ostendere, cui tam subito tot contigerint commoda.
PARM. Quid hic lætus est? CHÆR. O Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium

1030. *Ecquis me hodie vivit fort.* Ex codicibus suis præter duos universis, Legit Bentl. *hodie vivit.* Sic Perl. et sic Both. qui dat, *fortunatior? hercle Nemo quisquam : nam in me plane Di potestatem suam omnem Ostenderunt, cui tam subito tot congruerint commoda.* — Exultationem hæc scena habet quod Chærea consilium complere potuerit suum : est ergo hic allocutio gaudentis. Laudat Parmenonem, se, atque fortunam : Parmenonem, quod consilium dederit; se, quod aggressus sit; fortunam, quæ cuncta complerit. Mox ea quæ intus acta sunt narrat, et sibi esse sponsam, et illam cognitam civem: et meretricem tantum fratris esse Phædriæ, et militem exclusum. *Eugraphius.* — *O populares!* Bene Poeta adolescentem, qui supra vs. 550 sqq. nimia levitate exultaverat, nunc honestiore lætitia delibutum inducit. Suntque hæ ἐκφωνήσεις τῶν εὐχαριστούντων ad catastropheu factæ. Compara Phorm. 822 sqq. *Bœcl.* — Patet præterea ex alio Terentii loco, Adelph. vs. 156, formulam hanc fuisse, qua cives suos in partem seu lætitiæ, seu infortunii advocare solebant. — *Vivit*, eleganter dictum pro, *est.*

1031. *Potestatem.* Pa. p. var. *potentiam.* Perl. — *In me plane Dî*, etc. Descriptio est summæ felicitatis, qualis illa, Andr. 960 sqq., pag. 123. — *Commoda*, quæ ipse infra explicat.

1032. *Subito.* Guelf. 3, legit *cito.* Perl. — *Contigerint.* Sic Perl. Valp. Aliis placet *contigerunt;* aliis *contigere.* Præfert Faernus *congruerint*, quod recipiunt Delph. et Both.

1033. *Quid hic læt.* Guelf. 2, *qui* pro *quid.* — *O Parmeno mi.* Both. *o mi Parmeno.* — PARM. *Quid hic lætus est.* Hæc secum Parmeno paulo remotior. — *Quid hic lætus est*, ob quid, cur.

Inventor, inceptor, perfector. Scin' me, in quibus sim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? PARM. Audivi.
CHÆR. Scis sponsam mihi?
PARM. Bene, ita me Dî ament, factum. GNATH. Audin' tu illum? Quid ait? CHÆR. Tum autem Phædriæ
Meo fratri gaudeo esse amorem omnem in tranquillo: una 'st domus.
Thais patri se commendavit in clientelam et fidem;

1034. *Scin'.* Alii *scisne.* — *Inventor,* qui prior de tota re excogitavisti. — *Inceptor,* qui rem exsequendam aggressus es. — *Perfector,* qui eam ad felicem exitum adduxisti. — *Scin' me,* etc. Græca locutio.

1035. *Scis Pamphilam.* Br. *Scin. Pamph.* — *Inventam civem.* Both. *civem inventam.* — *Inventam civem.* Agnitam fuisse pro cive. — *Audivi,* a Phædria, vid. supra — *Sponsam.* In matrimonium promissam. Participium, non nomen est.

1036. *Bene, ita me Di ament, factum.* Guelf. 3, *amabunt.* Ed. Prima, *ament, bene factum.* Ms. Græv. et Br. *Dii bene ament, factum.* — *Audin' tu illum? Quid ait?* Ms. Græv. Edit. Tarv. Don. *Audin' tu hic quid ait?* Quod probant Faern. et Bentl. Sic etiam Guelf., 1, 2, 3; Br. Bot. Bip. — GNATH. *Audin' tu illum.* Hæc parasitus submisse Thrasoni. — *Tum autem.* « Præterea. » Pergit Chærea, non audito Gnathone.

1037. *Amorem omnem,* etc. Sic B. Bip. Perl. *Omnem amorem esse* Both. — *Esse amorem omnem in tranquillo.* Quasi « esse ex omni parte in tranq. » — Bene *in tranquillo,* quia mari et tempestatibus amicæ mobilitas et instabilitas comparatur. Sic Horat. Carm. I, v, 5: « Simplex munditiis heu quoties fidem Mutatosque Deos flebit: et aspera Nigris æquora ventis Emirabitur insolens, Qui te fruitur credulus aurea. » — *Una 'st domus,* sc. patris et Thaidis, post Pamphilæ nuptias.

1038. *In clientelam et fidem.* Par. in marg. *in;* ita ut exhibeat *In client. et in fidem.* Totam autem sententiam sic vult distinguendam Bentleius: *Thais se patri commendavit: in clientelam et fidem nobis dedit se.* Quæ distinctio est in Bip. Both. et sic in Delph. — *Thais patri se,* etc. Id προστάτην νέμειν Atticis dictum. Qui vero cives non essent, sed inquilini, patronum autem non haberent, eo nomine in jus vocabantur, idque judicium ἀποστάσιου δίκη appellatum. Turneb. Advers. XII, 10. *Perl.* — *In clientelam et fid.* Itidem Livius XXXVII, 54. Scilicet ex jure applicationis se quis *in clientelam* cujus commendabat. *Clientela* est autem defensio et patrocinium, quib. et feminæ gaudebant; aut si quis peregrinus, se in civis alicujus Romani, quasi patroni, *clientelam* ac

Nobis dedit se. PARM. Fratris igitur Thais tota 'st. CHÆR. Scilicet.

PARM. Jam hoc aliud est, quod gaudeamus: miles pellitur foras.

CHÆR. Tum tu, frater ubi ubi est, fac quam primum hæc audiat. PARM. Visam domum.

THRAS. Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?

GNATH. Sine dubio, opinor. CHÆR. Quid commemorem primum, aut laudem maxume?

Illumne? Qui mihi consilium dedit, ut facerem; an me qui ausus sim

fidem dedebat.» Vid. Calvin. Lexic. Jur. Ead. locut. Cic. p. Rosc. A. 37, ubi v. Ernest. clav. *Perl.*

1039. *Nobis dedit se.* Nostræ domui totam se devovit. — *Tota est.* Bene *tota:* ut ne ex parte quidem sit militis. *Donatus.* — Mirum videri poterit, quod pater eam in patrocinio admittat meretricem quam filius amat; ita ut illegitimo amborum amori faciliorem sic ipse locum ultro præbeat. Sed hæc æstimari sane debent non ex nostris moribus, sed e consuetudine veterum, et ibi Atheniensium; ubi civis poterat sine probro meretriciam consuetudinem cum muliere una habere, modo non esset civis, nec Attica. — *Scilicet*, Ita est, ut dicis.

1040. *Miles pell. foras.* Par. ex duobus MSS. citat, *quia mil. pell. foras.* — *Pellitur.* Br. Bip. Both. *pelletur.* — *Jam hoc aliud est*, etc. Ex eo quod dixit Chærea Thaidem totam esse Phædriæ, servus, etiam non experte edoctus, colligit nullum jam fore locum Thrasoni; et est quod dicit. — *Foras*, a Thaide.

1041. *Tu* pro *tum tu* Bent. Zeun. Both. *Visam domum.* Editores bene multi, *vis. domi.* — *Tum*, In tali rerum statu. — *Frater* sub. *meus.* — *Ubi ubi.* Ubicumque. — *Hæc*, quæ modo narravi. — *Visam domum.* «Ibo domum, visurus num ibi sit.» Simul abit Parmeno. — *Perpetuo.* In omne posterum, sine ulla spe.

1042. *Dubitas.* Both. *tu dubitas.* — *Quin ego nunc.* Quidam delent *nunc.* — Cum voce *sine* claudunt versum 1042 Delph. et Bip. editores. — *Perierim*, de meo amore actum erit.

1043. *Aut laudem.* Delph. et alii, *aut quem laudem.* — *Sine dubio, opinor.* Ita consuevit Parasitus militi in re qualibet assentiri; ut, vel se victum fatentis sententiam amplectatur; et illud comicum est quod malit sincerior videri, quam non in omnibus militi dicenti morem gerere. — *Quid commemorem*, etc. Secum loquitur solus Chærea, felicitatem sibi gratulabundus.

1044. *Illumne.* Bem. Br. *Illum.*

Incipere; an fortunam collaudem? Quæ gubernatrix fuit,
Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem;
An mei patris festivitatem et facilitatem? O Jupiter!
Serva, obsecro, hæc bona nobis.

SCENA DECIMA.

PHÆDRIA, PARMENO, CHÆREA, THRASO, GNATHO.

PHÆD. Di vostram fidem! Incredibilia
Parmeno modo quæ narravit. Sed ubi est frater? CHÆR. Præsto adest.
PHÆD. Gaudeo.... CHÆR. Satis credo. Nihil est Thaide hac, frater, tua

Guelf. 3, *An illum.* — *Qui mihi consilium dedit.* Both. delet *mihi;* ita quoque Br. Z. Bent. Bip. Delph. — *Qui ausus sim.* Bent. et Both. *qui id ausus sum.* Bip. Delph. *Qui id ausus sim.* — *Illum*, Parmenonem.

1045. *Gubernatrix.* Guy. mallet *gubernator.* MS. Lips. *congubernatrix.* — *Incipere*, exsequi. — *Collaudem*, in partes laudum admittam.

1046. *In unum.* Par. p. var. *in hunc.* Perl. — *Tot res.* Bene *tot res*, quasi enumeret, Eunuchum, pro quo duceretur, commendationem virginis, absentiam meretricis, occasionem vitii inferendi, patris interventum in nuptias. — *In unum conclusit diem.* Intra unius diei spatium concessit.

1047. *An* rejiciunt in vs. 1046 Delph. et Bip. — *Facilitatem.* Guelf. 1, *felicitatem.* — *Festivitatem.* Amœnitatem quam vultu et verbis præferebat, re audita. Contrarium est *morositas.* — *Facilitatem*, quacum orantibus nobis veniam concessit.

1048. Novam hic scenam incipimus, nec tamen novum versum, ut in pluribus et præcipue in Both. — *Incredibilia.* Guelf. 3, addit *sunt;* quod quidem verbum necesse est subaudi, si exclamationem tollas ut Perletus, quamvis in plurimis inveniatur, minus fortasse convenienter genio linguæ latinæ.

1049. *Præsto adest.* Guelf. 3 et Delph. *præsto est.* — *Parmeno modo quæ narravit.* Quum scilicet supra, vs. 1041, Parmeno ivisset quæsitum Phædriam. — *Præsto adest.* Ita se ipsum indicat.

1050. *Th. hac, frater, tua.* Alii *Th. hac tua frater.* — In nonnullis deest *hac frater.* — *Gaudeo*, supple: quod res tam feliciter tibi cesserit. Hæc sunt verba incipientis gratu-

Dignius, quod ametur. Ita nostræ est omni fautrix familiæ.
PHÆD. Mihi illam laudas? THR. Perii! Quanto minus spei
est, tanto magis amo.
Obsecro, Gnatho, in te spes est. GNATH. Quid vis faciam?
THR. Perfice hoc,
Precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud
Thaidem.
GNATH. Difficile est. THR. Si quid collibitum 'st, novi te.
Hoc si effeceris, 1055
Quodvis donum, præmium, a me optato, id optatum
feres.

lari; non autem licet pergere per Chæream, qui, præ gaudio, respondere festinat. — *Satis credo;* abunde tuis gratulationibus fidem facio.

1051. *Dignius.* Vocem hanc reponunt in versu præcedenti Antesign. Zeun. Valp. — *Ita*, adeo, per epiphonema. — *Omni fautrix familiæ.* Hoc nomen cum eodem casu junctum, quem amat verbum, unde ipsum derivatur. Hoc idem nomen verbale, Hecyr. 32.

1052. *Mihi illam laudas.* Adscribitur *mihi* versui 1052 apud Antesign. Bentleius ex libris suis, *hui, mihi il. laud.* Sed omittunt *hui* Fa. West. Lind. Alii *Quanto minus spei est.* Delph. *quanto spei est minu'.* Dat Both. *quanto spe minus*, omisso *est.* — *Mihi illam laudas.* Scilicet amatori ejus. Et *mihi* pronuntiatione juvandum est. *Donatus.* — Secedunt ambo fratres in unam partem theatri; in altera colloquitur Gnatho cum Thrasone. — *Perii!* De meo amore actum est. Quod jam supra dixerat, 1041. — *Quanto minus*, etc. Insani militis amor insanissimus. Amor spe intenditur, metu crescit et flagrat. *Farnab.*

1053. *Quid vis faciam?* Perletus distinguit *quid vis? faciam*, et notat vulgo legi *quidvis faciam.* — *In te spes est*, supple *mea.* In te spem meam repono.

1054. *Ut hæream in parte aliqua.* Both. *in parte ut hæream aliqua;* Delph. *aliqua in parte tamen.* — *Ut hæream in parte aliqua.* Non penitus excludar; ut saltem aliquo me apud se in loco et numero esse patiatur. *Jav.* — *Apud Thaidem.* In Thaidis animo et voluntate.

1055. *Collibitum est.* Sic Donatus. In libris antiquis *collibuit:* ita et Zeun. Valp. — Duo Leidd. et Bœud. *si quid collibuit tibi, est facile, novi te.* — *Novi te.* Deest *Perficis.* Sed ubique plura gestu significat miles, utpote infantissimus. *Donat.* — *Hoc*, quod peto, sc. ut hæream, etc.

1056. *Quodvis donum, præmium*, etc. Alii, inter quos Zeun. Valp. *quodvis donum et præmium.* In aliis, *donum a me et præmium optato.* West. Dat Both. *quodvis donum præmio a*

GNATH. Itane? THR. Sic erit. GNATH. Si efficio hoc, postulo, ut tua mihi domus,
Te præsente absente, pateat; invocato ut sit locus
Semper. THR. Do fidem, futurum. GNATH. Accingar. PHÆD. Quem hic ego audio?
O Thraso! THR. Salvete. PHÆD. Tu fortasse, quæ facta hic sient,
Nescis. THR. Scio. PHÆD. Cur ergo in his ego te conspicor regionibus?
THR. Vobis fretus. PHÆD. Scin' quam fretus? Miles, edico tibi,

me. — *Donum*, ut a largo homine; *præmium*, ut a bene grato. — *Id optatum feres. Optare* est eligere. *Ferre* est accipere.

1057. *Si efficio hoc.* Delph. *hoc si efficio.* Br. distinguit virgula post *efficio.* — *Ut tua mihi domus.* Zeun. Valp. et alii invertunt, *ut mihi tua domus.*

1058. *Te præsente, absente.* Ed. prima *te pr. te abs.* West. Exhibet Guelf. 3 *et absente.* — *Te præsente, absente.* Proverbiale est, ut *sursum deorsum, ultro citro*, et cætera hujusmodi. *Don.* — *Invocato*, mihi non vocato ad cœnam. *In* etenim auget et minuit dictionem. *Don.* — Vid. Nep. Cim. 4 : « ut quos *invocatos* vidisset in foro, omnes devocaret. » Plaut. in Capt. I, 1, 2 : « *Invocatus* semper adesse soleo in convivio. »

1059. *Do fidem futurum.* Libri antiqui *ita futurum.* Quod quia non in Bembino est, Fa. delevit. — *Hic ego.* Br. Bip. Both. *ego hic.* — *Do fidem.* Promitto. — *Accingar.* Rem aggrediar.

1060. *O Thraso.* Both. *Eho Thraso.* — *Quæ facta hic sient.* Legitur quoque *hic sint.* In Guelferbytano 3, *scient.* — *O Thraso.* Hæc Phædria cum indignatione, agnito Thrasone, quem suspicabatur ad Thaidem redire velle. — *Salvete.* Hic Thraso a sua magniloquentia descendit ad humillimam salutationem, et ea complectitur ambos fratres, quorum pariter iram reformidat. — *Tu fortasse*, etc. Dicit hæc minaciter adolescens ac superbe. *Perl.* — *Quæ facta hic sient.* Alludit Phædria ad pactum, quo Laches Chæream Pamphilam uxorem dedit, et quo Thaidem, Phædriæ gratia, in tutelam et fidem accepit.

1061. *Conspicor.* Br. et alii *conspicio.* — *In his regionibus.* In hac parte urbis. Sunt autem *regiones* partes, in quas urbes dividi solent. Gallice, *en ces quartiers.*

1062. *Vobis fretus.* Fortasse legendum *vobis fretum* adnotat Bentleius. — *Scin'.* Quidam *scis.* Guelf. 3, addit, *O miles.* — *Vobis fretus*, sub. *huc venio*; et intellige, « confidens me vestra opera in gratiam cum Thaide redituram. » — *Scin' quam fretus?* subaudi, *nobis esse debeas.*

Si te in platea offendero hac post unquam, quod dicas mihi :

« Alium quærebam, iter hac habui », peristi. GNATH. Heia, haud sic decet.

PHÆD. Dictum 'st. GNATH. Non cognosco vestrum tam superbum. PHÆD. Sic erit.

GNATH. Prius audite paucis : quod quum dixero, si placuerit,

Facitote. PHÆD. Audiamus. GNATH. Tu concede paulum istuc, Thraso.

Principio ego vos credere ambos hoc mî vehementer volo,

1063. Post τὸ *unq.* in Mss. Pall. teste Pareo, sequitur *nihil est.* — *Quod dicas mihi.* Libb. antiqui *nihil dicas.* — *Post*, postea. — *Quod dicas mihi.* Hic *quod* significat, ut vulgo dicitur, *quantum ad id quod.* Quasi dixisset : « quantum ad id quod dicere possis mihi, *alium quærebam, iter hac habui*, periisti. » Ut sit sensus : « omnia hæc quibus prætexere poteris adventum huc tuum, nihil proderunt tibi, quin statim pereas. » — Eumdem modum loquendi et in Adelphis poeta usurpavit, v. 991, « ut id ostenderem, *quod* te isti festivum et facilem putant, Id non fieri ex vera vita, (in eo quod attinet ad creditam festivitatem, etc.) » *Faernus.*

1064. *Heia.* Sic Br. Bent. Both. Perl. Alii *eia.* — *Heia, haud sic decet.* Serio videtur loqui Parasitus, dum militem deridet. Fere eadem, sed multo magis comice expressit MOLIÈRE, *les Fourberies de Scapin*, acte III, sc. 11 : « Je veux le faire mourir sous les coups de bâton. *Scapin.* Oh! Monsieur, les coups de baton ne se donnent point à des gens comme lui, et ce n'est pas un homme à être traité de la sorte. »

1065. *Non cognosco vestrum.* Mss. Pall. tres *vostrum genus.* — *Dictum est.* Formula comminandi et asseverandi. Eadem significatione, *dixi*, Phorm. 421. — *Non cognosco vestrum tam superbum.* Id est non cognosco vos tam superbos. Græcorum hæc imitatione dicuntur : nam sic illi τοῦμόν, τὸ σὸν, pro ἐγὼ, σύ. Cf. Plaut. Trin. II, IV, 44. *Both.* — *Sic erit*, ut dixi.

1066. *Audite paucis.* Supple, *in paucis.* Scil. audite me pauca dicturum. — *Quod.* Intellige, *quod dicere volo.*

1067. *Istuc.* Guelf. 2, *huic*, omisso *istuc.* — *Facitote*, quod dixero, si illud vobis placuerit. — *Concede paulum istuc.* Recede in hanc partem, ubi nunc es. Vid. supra pag. 227, Eunuch. vs. 75. — Id autem facit Gnatho, ne miles se vituperari audiat; et abire jubet volentem, qui rem sibi confieri aliena opera malit, quam sua.

1068. *Vos credere ambos.* Antiqui libb. et Donatus collocant *vos am-*

Me hujus quidquid faciam, id facere maxime causa mea:
Verum si idem vobis prodest, vos non facere, inscitia 'st.
PHÆD. Quid id est? GNATH. Militem ego rivalem recipiendum censeo. PHÆD. Hem!
CHÆR. Recipiendum? GNATH. Cogita modo. Tu hercle cum illa, Phædria,
Et libenter vivis; et enim bene libenter victitas.

bos credere. — *Volo.* Exhibent *velim* Antesign. et alii.

1069. *Faciam.* Sic Both. Perl. Sed *Facio* legitur in Antes. Zeun. Valp. — *Me hujus quidquid*, etc. Post *hujus*, supple *negotii*, et intellige : Me facere causa mea illud quodcumque *faciam in hoc* negotio, sc. in consilio quod vobis proponam. — His autem verbis callide sibi audientiam facit, dum affirmat se de suis tantum commodis acturum fore, nec ullo modo militi consulere, quem scit duobus fratribus odiosum.

1070. *Si idem vobis.* Plures alii, *idem si vobis*, etc. Lectionem quam recipimus dant quoque Br. Bent. Zeun. Bip. Perl. — *Idem.* Hoc est, *illud quod facio maxime causa mea*, vs. 1069.

1071. *Quid id est?* Delent τὸ *id* Zeun. Br. Bip. — *Mil. ego rivalem.* Antesign. *rivalem ego.* — *Rivalem recipiendum.* Admittendum esse, pro rivali, tanquam sit rivalis apud Thaidem. — Explicabit autem infra sententiam, vs. 1074 sq. — *Censeo*, non *peto;* tanquam illis modo consulat, neque pro milite agat. *Don.*

1072. CHÆR. *Recipiendum?* Lib. antiqui : PHÆD. *Hem recipiendum.* « Hanc orationem sic a Be., ut supra, inter duas personas contra omn. codd. divisam ac distinctam, recepi quidem in textum; sed parum abest, ut ab ingenioso viro tam scite persuadente ad vulgat. lectionem recedam. » Hæc Perletus, quem sequi non dubitavimus. — *Recipiendum*, supple *censes.* — *Cogita.* « Tecum reputa, te cum Thaide libenter vivere, etc. » Phædriam hic, ut amicum Thaidis, compellat Parasitus, non Chæream, etsi novissime locutum. — *Modo*, tantummodo. — *Cum illa.* Cum Thaide.

1073. *Et lib. vivis.* Bent. ex uno codice *ut*, pro *et.* — *Et enim* disjunximus post Faernum et Perl. — *C. ill. et libenter vivis, et enim*, etc. Prius *Et* significat fere *primum*, posterius *secundo.* Affirmantis est *enim*, pro *vero* : « Primum libenter apud Thaidem versaris; secundo, apud eamdem libenter quoque genio et epulis indulges. Hæ sunt causæ, cur magnifico amatori ad eam permittas aditum. Quia primum Thais illius donis contenta, tui, pauperis sc. amasii, fastidium non concipiet; et insuper laute cum ea victitabis, milite sumptus suppeditante. » — *Victitare*, est, vesci, et quasi *victu uti.*

Quod des, paulum 'st; et necesse est multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori suppeditare possit sine sumptu tuo.
Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo,
Nemo est. Principio et habet, quod det; et dat nemo largius.
Fatuus est, insulsus, tardus; stertit noctesque et dies;
Neque tu istum metuas, ne amet mulier. Facile pellas, ubi velis.

1074. *Paulum 'st.* Zeun. *Paululum est.* Antesign. *Paululum*, omisso verbo. Post *Thaidem*, Both. reponit punctum. — *Quod des*, quod dare potes. — *Paulum.* Adjectivum est, ut jam nonnunquam vidimus.

1075. *Suppeditare.* Alii legunt *suppeditari*, perperam. *Westerh.* — *Sine sumptu tuo* distingu. We. et Mur. Recte. Alii continuant sermonem perplexe. *Perl.* Dat Delph. *sine sumptu tuo; ad omnia hæc magis.* Dat Bothius: *Tuo ut amori suppeditare possint sine sumptu tuo omnia, magis opportunus, nec magis*, etc. — *Ut tuo amori suppeditare possit.* Ut tibi suppeditet unde amor tuus sé habeat: scilicet, unde cum ea vivas, et quidem laute victites.

1076. *Magis opportunus*, quod ad tempus spectat. — *Magis ex usu tuo*, i. e. utilior, quod ad rem ipsam attinet.

1077. *Nemo est.* Ms. Lips. *Nemo Potest.* Sic et Br. *Westerh.* — *Nemo potest esse* Guelf. 2. — *Nemo est*, quam iste Thraso. — *Habet, quod det*, ut dives. — *Dat nemo largius.* Quia est liberalis.

1078. *Tardus.* Bent. *bardus*, quam conjecturam Ruhnk. elegantem dicit, non necessariam. *Perl.* — *Noctesque et dies.* Lindenb. adnotat *que* abesse a Regia Bibl. codice. — *Fatuus est*, etc. Hæc est secunda pars sententiæ, cujus initium fecerat, *principio*, in versu præcedenti. — Ingeniose, ut nobis videtur, opponit Donatus ad hunc locum, quæ sunt in Æneid. lib. IV, initio: « Sic intelligendum est, ait, ut ea vitia videatur Gnatho dicere quæ inamabilem faciant etiam divitem largumque amatorem. Nam aut verba commendant, ut: *Pendetque iterum narrantis ab ore;* hic *fatuus* depingitur. Aut sapientia gratum facit, ut: *Multa viri virtus animo*, etc. Hic *insulsus* est. » Adeo non facile Venerem explicat, ut contra somno, et quidem gravissimo, usque sit sepultus. *Tardus; stertit*, etc. Quæ res meretricibus odiosa inprimis. — Quum superiora valeant plurimum (nam quia dives et liberalis, potuit obesse rivalibus) hæc omnia in milite corrumpuntur, quod *fatuus*, etc. *Don.*

1079. *Neque tu istum*, etc. Abest *tu* a Guelf. 2, et Antesign. Et etiam a Br. Bent. Bip. Dat Both. *Ne istunc metuas ne*, etc. — *Facile pellas.* Delph. *Pellas facile.* — *Metuas, pellas.* Subjunctivus futuri vim hic habet.

PHÆD. Quid agimus? GNATH. Præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto :
Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.
CHÆR. Mirum ni illoc homine quoquo pacto opu 'st.
PHÆD. Idem ego arbitror.
GNATH. Recte facitis. Unum etiam hoc vos oro, ut me in vestrum gregem
Recipiatis : satis diu jam hoc saxum volvo. PHÆD. Recipimus.
CHÆR. Ac lubenter. GNATH. At ego pro isto, Phædria, et tu, Chærea,

1080. *Quid agimus?* Hæc Chæreæ tribuendum censet Bentleius; frustra, ut ait editor Bipontinus. — *Quid agimus ?* Vox deliberantis. *Juv.* — *Præterea hoc etiam*, supple, *negotium accedit.* — *Quod ego*, Parasitus scilicet. *Don.* — *Vel primum*, supple *esse*, et intellige, etiam primas partes occupare.

1081. *Hominem.* Sic lib. antiq. In Be. codd. 900 annorum, *homo nemo.* Lectionem hanc recipiunt Bip. Both. — *Nemo melius prorsus.* Bent. Bip. Both. *Nemo prorsum melius.* — *Accipit.* Est hoc, ut *excipere*, verbum convivale. Hor. Sat. II, VIII, 67 : « ut ego *Accipiar* laute. » Virg. Æneid. III, 355 : « Illos porticibus rex *accipiebat* in amplis. » — *Melius* apparatum, *prolixius* copiam indicare adnotat Donatus.

1082. Ex Bentleio, post Both. et Perl. priorem versus partem damus Chæreæ, posteriorem Phædriæ; qui, ut Thaidis amator, ad consensum tardior esse debet. Neque aliter Donatus. — Plane contrario legunt Antes. Zeun. et Valp. *Idem ego arbitror.* Delph. omittit *ego.* — *Mirum ni*, etc. Res esset nimium miranda, si non opus esset; i. e. profecto opus est. — *Quoquo pacto*, utcumque res se habeant.

1083. *Hoc vos oro*, etc. Adnotat Bent. ab edd. vett. abesse *hoc*; recte, ut ait. Omittit et Br. — *Recte facitis.* Recte vobis prospicitis. — *Gregem*, sodalitatem.

1084. *Jam hoc saxum.* Sic ed. Prima et Perl. Alii *hoc jam.* — *Satis.* Bip. *sat.* — *Volvo.* Alii *verso*, *vorso.* Variat etiam eadem lectio, vel apud alios; Cic. Tusc. Quæst. I, 5; et Virg. Æneid. VI, 616 : « Saxum ingens volvunt alii ... » Ubi vide Edit. Nostr. vol. III, pag. 169. — *Satis diu jam hoc saxum volvo.* Velut Sisyphus apud inferos. Proverbium in eos qui inexhausto quopiam labore fatigantur. Nec inconsulto præterea *saxum* dicit de stulto milite.

1085. *Isto.* Antes. Zeun. Valp. Both. *istoc.* — *Ac lubenter.* Particula *ac* continuat orationem, quæ tota esset, *recipimus te, ac lubenter.* Perl. — *Pro isto* vestro beneficio.

Hunc comedendum et deridendum vobis propino. CHÆR. Placet.

PHÆD. Dignus est. GNATH. Thraso! Ubi vis, accede. THR. Obsecro te, quid agimus?

GNATH. Quid? Isti te ignorabant; postquam eis mores ostendi tuos,

Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas,

Impetravi. THR. Bene fecisti: gratiam habeo maxumam.

Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

1086. *Deridendum.* Ms. Lips. legit *bibendum.* Both. edidit *ebibendum*, post Bentl. cui *deridendum* non videbatur parasiticæ vitæ bene idoneum. — *Propino.* Muretus vellet legi *præbeo*, quem Faber et Dacieria, tanquam familiaris odii instinctu, acerrime confutant. Idem tamen hoc *præbeo* exhibet Delph. Datque Br. *præbebo.* — *Hunc comedendum et deridendum vobis propino.* Phrasis est parasitica. Similit. Plaut. IV, VII, 25: «Jamne illum *comesurus* es? » Est enim *comedere* aliquem, pro, alicujus absumere bona. Heaut. 463. Huc pertinet Juven. Sat. I, 28 sq. « una *comedunt* patrimonia mensa. Nullus jam parasitus erit. » *Perletus.*—*Propino.* Mos fuit in conviviis prægustandi vinum, priusquam poculum alteri traderetur: unde προπίνειν et *propinare* dicuntur. Propinantes autem poculum ostentabant, nominantes cui essent illud tradituri.— Adnotat Dacieria dici apud Platonem de Saturno, eum τοὺς υἱεῖς καταπίνειν. In eo autem verbi comica vis inest, quod de solidis usurpatur, dum de liquidis vulgo. Nec omittendum est quantum habeant protervitatis verba Parasiti, tum erga Thrasonem, tum erga duos fratres. « Quem jam satis ego voracitate mea exhausi, cavillationibus meis delusi, trado vobis, postquam ample hominem prægustaverim. »

1087. *Dignus est.* Br. *Ita dignus est*, et omittit *te.* — *Ubi vis, accede.* Both. *Acc. ubi vis.* — *Dignus est* sc. qui deridendus propinetur. — *Ubi vis*, quando libuerit. — *Quid agimus?* Quomodo res agitur, de admissione nostra.

1088. *Postquam eis*, etc. Guelf. 2, 3, legit *sed* ante *postquam.*—*Quid?* supple *agimus.* Et repetit interrogationem, cui respondeat. — *Te ignorabant.* Ignorabant quis sis. Et in verbi ambiguitate est cavillatio.

1090. *Bene fecisti.* Reponit *fecistis* Bent. quem sequitur Both.— *Impetravi*, ut reciperent. — *Gratiam habeo maxumam.* Hoc comice non parum dicitur; quod miles iis qui se illuserunt, *habet gratiam*, eamque *maxumam.*

1091. *Amarent.* « Omnes fere nostri, ait Bent., cum vett. Edd. *amarint.* Recte. » Sic Br. — Both. *me omnes quin*, etc. — *Fui*, versatus

GNATH. Dixin' ego in hoc esse vobis Atticam elegantiam?
PHÆD. Nihil prætermissum est. Ite hac. Vos valete et plaudite. 1093

sum. — *Nunquam usquam*, pro *non usquam*, i. e. *nusquam*.

1092. *In hoc esse vobis.* Ms. Mark. et interpretes Gallici *vobis in hoc esse.* Sed vide infra. Valp. *inesse.* — *Elegantiam.* Ex eis quos habemus, Antesign. Zeun. *eloquentiam*, quod præterea exstat in Donat. *Br.* — *Dixin' ego in hoc esse vobis*, etc. Hoc servato ordine, dure admodum restitues: « Dixin' vobis in hoc esse. » Quem, quidem posteriorem ordinem admittunt plures, quos jam diximus. Si vero genuina sit Terentii lectio, *Dixin' ego in hoc esse vobis*, etc., melius erit fortasse τὸ *vobis* quasi ad leporem positum existimare, ut in hoc Horatiano: « *Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.* » — *Atticam elegantiam.* Scilicet *elegantia* morum et sermonis Athenis erat maxima. Hæc igitur ironice dicuntur, ut et quæ præcedunt.

1093. *Prætermissum.* Juvencius, Zeun. Both. *Præter promissum est.* Sic et Mur. et G. Fabric. — *Ite hac.* Antesign. et alii libr. antiqui addunt *omnes.* — *Vos valete et Plaudite.* Ante hæc verba, in pluribus Edd. legitur Ω, et in fine, CALLIOPIUS RECENSUI. De his vide quid adnotaverimus, ad Andriæ versum 982 et ultimum; hujus voluminis pag. 123. — *Nihil prætermissum est.* Incertus est hic Donatus quomodo interpretetur. Eugraphius autem hæc notat: « Omnia quæ dixisti, invenimus in milite. » Vertit Dacieria: « *Rien n'y manque,* » cum nota addita: « Phædria veut dire, il ne manque rien au portrait que tu nous as fait de lui; nous trouvons en lui tout ce que tu nous en as dit. » *Perletus.* — *Ite hac*, commessatum apud Thaidem. Phædria, Parasiti argumentis devictus, veniam Thrasoni concessit adeundi ad Thaidem, et etiam nunc jubet eum ad illam intrare cum Chærea et Gnathone. Incertum est apud commentatores, num intelligendum sit, *commessatum apud militem.* Sed quum plura apud Thaidem de nuptiis et de fœdere sint conficienda, melius creditur de Thaidis domo hic agi; quam satis præterea indicat adverbium *hac;* ita ut scenæ locum ubi est meretricis domus, digito Phædria indicare videatur. — *Vos*, ad spectatores. — *Plaudite.* Vid. Andr. in fine.

N. B. Exstat, ut nemo ex litteratis nescit, imitatio Eunuchi quam scripsit Nostras LAFONTAINE, et quam eodem Eunuchi nomine inscripsit. Postquam aliquandiu hæsitaverimus, placuit nihil citare de hac imitatione, quam eximius ille Nostras fabularum scriptor fere ad verbum expressit, et ideo non satis amœne, ut sese habent mores nostri. — Terentium imitandi cupido felicius successit duobus aliis scriptoribus,

Brukis et Palaprat, quibus *Metum* pro *Eunucho* in scenam adducere ingeniosissime venit in mentem. Et ea est illorum scriptorum fabula quæ, præter hanc Eunuchi mutationem, omnes Terentii personas, totumque fabulæ nodum fideliter repræsentat. De cæteris quæ possunt extare Terentiani Eunuchi imitationibus videre est ad Notitiam literariam, quam hujus voluminis initio præfiximus. Sed nusquam alibi satius erit, quam hoc loco, referre quomodo primam fabulæ scenam, pag. 13, imitati fuerint in satiris suis Horatius et Persius.

Horatius, lib. II, Sat. III.*

Porrigis irato puero quum poma, recusat.
Sume, catelle; negat. Si non des, optat. Amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum[1], est, an non,
Quo rediturus erat non accersitus, et hæret
Invisis foribus? Nec nunc quum me vocet[2] ultro,
Accedam? An potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat, redeam? Non, si obsecret[3]. Ecce
Servus non paulo sapientior. O here[4], quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore hæc[5] sunt mala, bellum,
Pax rursum. Hæc[6] si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi; nihilo plus explicet, ac[7] si
Insanire paret certa ratione modoque.

Persius, Sat. V, vs. 161:**

Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc). An siccis dedecus obstem
Cognatis? An rem patriam, rumore sinistro,

* Recurrere sane libuerit ad Horatii versionem quam dedit V. C. P. Daru, Unus e XL Academiæ Gallicæ. Qui quum cætera sui auctoris, tum præcipue hoc quod citamus, fideli admodum et eleganti carmine expressit.

1. Quid igitur faciam? Non eam. Vs. 46.
2. Quum arcessor ultro. Vs. 47.
3. Non si me obsecret. Vs. 49.
4. Here, quæ res in se neque consilium, etc. Vs. 56, sq.
5. In amore hæc omnia insunt vitia, etc. Vs. 59, sq.
6. Incerta hæc tu si postules, etc. Vs. 61, sq.
7. Quam si des operam, ut cum ratione insanias. Vs. 63.

** De toto hoc fragmento, vide Editionem Nostram Persii, p. 190 sq.

Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores, exstincta cum face canto?
— Enge, puer, sapias: dis depellentibus agnam
Percute. — Sed censen' plorabit, Dave, relicta? —
— Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra.[1]
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus et violens: at si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? Ne nunc, quum accersor, et ultro
Supplicat, accedam? Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc.

1. Vide Eunuch. vs. 1027, pag. 285.

PUBLII TERENTII AFRI

HEAUTONTIMORUMENOS.

HEAUTONTIMORUMENOS TERENTII.

**Acta Ludis Megalensibus, L. Cornelio Lentulo et[1] L. Valerio Flacco Ædilibus Curulibus. Egerunt[2] L.[3] Ambivius Turpio, et[4] L. Atilius Prænestinus. Modos fecit[5] Flaccus Claudii [filius][6]. Græca est Menandru. Acta primum tibiis imparibus[7], deinde[8] duabus dextris[9]. Acta III[10]. Edita[11] M. Juventio[12] et Ti.[13] Sempronio[14] Consulibus.

* Heautontimorumenos. Hæc Fabula Græca Menandri, Latina facta a Terentio, nomen Græcum retinuit, ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id est, *se ipsum puniens*, quemadmodum ait senex, in hac ipsa fabula, vs. 81, et vs. 1138: «Illi *de me supplicium dabo.*»

** Hanc Epigraphen incipiunt Bent. et Both. ab illis verbis: «Græca est Menandru.»

1. *Et L. Valerio Flacco.* Zeun. Both. Valp. omittunt *et.*

2. *Egerunt.* Br. *Egere.* Legunt *Egit* Bent. Bip. Both. Delph. qui omnes omittunt, *et L. Atilius Præn.*

3. *L.* nesciunt Bent. Bip. Both.

4. *Et* omittit, Br. qui verba sequentia τὸ *Prænestinus* sic exhibet: *Græca Menandri prima, acta secunda. Modos fecit Flaccus Claudi tibiis duabus dextris, M. Junio, T. Sempronio consulibus.*

5. *Flaccus.* Vox illa omittitur in editione Perleti, errore typographico, sane.

6. [*Filius*]. Vox illa in omnibus nostris abest, et etiam in Perleto. Restituimus autem, ut nobismet constaremus; et vide in Andriæ titulo, quid de hoc dixerimus.

7. *Tibiis imparibus.* Id est, tibia dextra et tibia sinistra, quarum prior gravem, posterior acutum edebat sonum.

8. *Deinde.* Hoc est secundum. Nam modo *primum* præcessit.

9. *Duabus dextris.* Id est mixta modulatione in seriam. — Animadvertit Dacieria fabulam hanc, sic mutata sonorum concordia, duabus dextris agi debuisse, in temporis occasione quadam vel admodum seria, vel luctuosa.

10. *Acta III.* Delph. *Acta etiam III.* Bip. *Acta etiam tertio.*

11. *Edita* omittunt Bent. Bip. Both. Delph.

12. *M. Juventio.* Alii scribunt *Juvencio.* Bip. ordinem consulum intervertit: *Ti. Sempr. M. Juventio.*

13. *Ti. Sempronio.* Alii *M. Sempr.* «Male; nam *Ti.* cognomen in antiquis lapidibus exstat.» *Perl.* — Pro *Ti. Sempronio*, in titulo, ait Erasmus, *C. Cornelio* legitur.

14. Hos exstitisse consules anno

ab Urbe condita 590 notat Petitus; anno 590 Dacieria; anno autem 540, Perletus, sed typographico errore; et dum scribi debuisset, DXC, admissum est, DXL.—Inscriptio sic videtur Goveano legenda: *Publ. Terentii Afri Heaut. Græca est Menandru. Acta L. M. L. C. Lent. L. V. F. Æ. Cur. Egit L. A. T. Modos fecit Clau. Flaccus, Clau. filius tibiis paribus. Acta deinde duabus dextris. Acta etiam tertio. Edita T. Sempronio Graccho, M. Juventio Helua Coss.*

DRAMATIS PERSONÆ.

CHREMES, senex, pater Clitiphonis. A χρέμπτεσθαι, screare, quod senes screare[1] solent.

CLITIPHO, adolescens, filius Chremetis. A κλειτὸς, inclytus, et φῶς, lux : claritas lucis.

SYRUS, Pædagogus[2] Clitiphonis. A patria Syria dictus.

MENEDEMUS, senex, Cliniæ pater. A μένος, robur, et δῆμος, populus : robur populi. — Hic est *Heautontimorumenos*.

CLINIA, adolescens, Menedemi filius. Vel παρὰ τὸ κλεινὸν, a celebritate; vel a κλίνω, inclino, quod fugiendo declinaret morositatem patris; vel a κλίνη, lectus nuptialis; nam Antiphilam uxorem duxit.

DROMO, servus Menedemi; a δρόμος, cursus. Servi cursitant. Gallice, *Galopin*.

SOSTRATA, Chremetis uxor. A σώζω, servo; ut quæ filiam exponi jussam conservavit.

BACCHIS, a Βάκχος, quod significat, vel furore percitum, vel Liberum patrem; quasi dicas, vel furibundam, vel temulentam. In hac comœdia Bacchis est artium meretriciarum peritissima atque perdocta.

ANTIPHILA, virgo, Cliniæ amica. Ab ἀντὶ contra, et φίλη, amica. Contra et vicissim amans.

PHRYGIA, ancilla. A patria nominata.

NUTRIX.

PERSONÆ MUTÆ.

ARCHONIDES, senex. Ab ἀρχὴ, ἀρχαῖος, vetulus.

CRITO, senex. A κριτὴς, judex.

PHANIA, senex. A φαίνομαι, qui est inclytus.

PHANOCRATES, senex. Φανερὸν τὸ κράτος, manifestum, seu illustre robur.

PHILTERA, femina anus. Φιλτέρα, quæ magis amatur.

SIMUS, senex. A *Simo* naso nominatus.

Scena est in pago suburbano, prope Athenas[3].

1. Aliam daremus originem, si juveni nomen imponeretur; ut in Eunucho, ubi vide.

2. Vide vs. 594.

3. Sic locum scenæ constituimus ex Dacieria; et inde multa loca lucem aliquam in hac Fabula accipiunt. Veluti, vs. 191, Clitipho dicit Patri *se servulum misisse in urbem* : Syrus, 587 sq. Clitiphoni ait, *vah, quasi desit locus. Abi sane istac, istorsum, quo vis.* Et 732, occurrit villa, quæ dicitur proxima *fundo huic*, ubi Bacchis erat, etc.

C. SULPITII APOLLINARIS

PERIOCHA

IN

TERENTII HEAUTONTIMORUMENON.

In militiam proficisci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox, ut reversus est, clam patrem divortitur*
Ad Clitiphonem. Is amabat scortum Bacchidem.
Quum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servulæ
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. Hic technis Syri
Decem minas meretriculæ aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

* Al. *devertitur.* Perl.

PUBLII TERENTII AFRI

HEAUTONTIMORUMENOS.

PROLOGUS.*

Ne cui sit vestrûm mirum, cur partes seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium,
Id primum dicam; deinde, quod veni, eloquar.

* Prologus concitatus : nam et se purgat, et adversarium acriter terret. Auctor quoque, ex commodo suo, cur hanc comœdiæ actionem susceperit, causas affert. *Calphurn.*

1. *Cur partes*, in C. G. m. Perletus legit additum *præcipuas*. — *Partes quæ sunt adolesc.* Intellige, provinciam recitandi Prologi; quæ scilicet adolescentibus committi solebat, ut ex hoc loco conjicere licet. — *Seni*, sc. mihi, qui vos nunc alloquor. Hic autem *senex* totius actorum gregis erat dux et dominus, ut indicant versus, 44, 45 : *Laboriosa si qua est*, etc. Igitur, absque dubio, versatur nunc in scena ipse L. Ambivius Turpio, primarum hic etiam partium actor. Vid. Andriæ titulum, not. 4.

2. *Adolescentium*. Br. contrahit *adolescentum*.

3. *Id primum dicam; deinde*, etc. Palmerius legit : *Id dicam deinde; primum q. v. el.* Guyetus e Goveano : *Id deinde dicam; primum*, etc. Uterque inverso ordine. « His lectionibus, ait Antesign., evitatur hysterologia, quæ, si vulgata lectio remanet, in sequentibus conspicitur; nisi sex sequentes versus per parenthesin legantur. » — *Quod. v.* Par. in marg. ex Pall. *quo;* Ed. prima *quid.* — *Id*, sc. cur Terentius mihi partes prologi dederit. — *Deinde.* Postquam illud edixero, quod attinet ad novitatem senis prologum recitantis. — *Quod veni, eloquar.* Id ipsum eloquar, quod in animo habeo dicere, quum venio. Duplex ergo agitur quæstio : primo quidem, *senis interventus;* deinde, *quid dicat ille qui intervenit* (omissa jam senectutis mentione). — Hanc autem partitionem diligenter servat. Quod primo proposuerat, *Cur partes seni Poeta dederit, quæ sunt adolescentium*, primo item solvit, vs. 11, sq. *Oratorem esse voluit me, non prologum; Vestrum judicium fecit, me actorem dedit.* Quod autem

Ex integra Græca integram comœdiam
Hodie sum acturus, Heautontimorumenon:
Simplex quæ ex argumento facta est duplici.

dixit, *quod veni eloquar*, illud est vs. 16 : *Nam quod rumores distulerunt malevoli, Multas contaminasse Græcas, dum facit Paucas Latinas, id esse factum hic non negat.* Ergo ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo servatus. Sed tamen, antequam ad solutionem accedat, pauca attingit de fabula ipsa, et quasi obiter, a versu quarto ad nonum; ita ut hi sex versus, *ex integra Græca*, etc., usque ad *nunc quamobrem*, etc., non male intra parenthesin includerentur.

4. *Ex integra Græca integram comœd.* i. e. « comœdiam unam quæ tota desumpta est ex una comœdia græca. » Græcam fuisse *integram* dicit prologus, quia Terentius nec ei adjecit quiddam ex alia comœdia; nec ex ea detraxit aliquid, dum verteret in latinum. *Integra* est autem latina, quoniam non est ex duabus comœdiis confecta, ut Andria. In qua scilicet adversarius crimini dederat Perinthiam et Andriam contineri. — Placet plurimis interpretum explicare *ex integra Græca* « a nullo tractata, nunquam e Græco traducta. » Sed obstare huic interpretationi videtur τὸ alterum *integram*; quod eumdem sensum non posset tunc accipere; nec tamen aliter res se habere debet. — *Comœdiam ex integ.* Ponitur hic propositio *ex* post substantivum, a quo videtur pendere; ut supra, Eunuch. 938, pag. 269, ubi vide.

5. *Heautontimorumenon.* Etiam cæteras, ut hanc, Terentii comœdias græce habemus inscriptas; hæc latino quoque *se ipsum cruciantis* titulo citata passim obvenit. *Perletus.* — *Hodie sum acturus.* Singularis hic numerus qui adhibetur, indicat eum qui recitat fuisse totius gregis dominum. Quivis alius actor dixisset, *sumus acturi;* vid. in Eun. vs. 19, hujus Volum. pag. 134.

6. *Simplex quæ ex argumento facta est duplici.* Sic Bentleius, et post eum Both. Perl. Variat in aliis: Antes. Eug. Z. Valp. *Duplex..... simplici.* Proponit Lessing. *Simplex .....simplici.* — *Simplex quæ ex argumento facta est duplici.* Quamvis in hac latina comœdia Terentius fecerit argumentum duplex, (nimirum in ea sunt duo filii-familias amatores, duæ amicæ, duo senes, duo servi, quæ omnia in Menandro non geminabantur), tamen affectus et eventus, ita varii, arte poetæ sic copulantur et contexuntur, ut in unam simplicem fabulam coalescant. — Hujus loci difficultatem auget varietas in legendo; sed, quamcumque editores lectionem receperint, eumdem summatim sensum admittunt, et illud solum interest, quod si admiseris *duplex facta est*, etc., spectaveris potissimum ad actum ipsum multiplicandi affectus fabulæ; si admiseris ut Nos, *simplex facta est...*, alluseris tantum ad artem, qua plurima in *simplex duntaxat et unum* redegit poeta. — Neminem vero prorsus sequitur Scaliger, et aliter explicat, Poet. lib. VI, cap. 3. « Data, in-

Novam esse ostendi, et quæ esset; nunc qui scripserit,
Et cuja Græca sit, nî partem maxumam
Existimarem scire vestrûm, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem esse voluit me, non prologum;
Vestrum judicium fecit, me actorem dedit.

quit, et acta est fabula ludis Megalensibus; dimidium fabulæ actum vesperi, nox ludis transacta est; alterum fabulæ dimidium editum sub lucem : *una igitur quasi duæ.* Hinc actus tertius, vs. 410, ducitur ab his verbis, *lucescit.* »

7. *Nunc qui scripserit.* « Suspectum mihi semper visum est τὸ *nunc*, tanto magis, quia, vs. 10, sequitur, *nunc quamobrem has partes didicerim.* Crediderim fere Poetam scripsisse, *nam si s.* Optimo, si quid video, sensu. Firmat conjecturam Guy. in Glossis. » *West.* Ita quoque habet Bothius. — *Novam esse ostendi.* Scilicet quæ possit haberi nova, quando quidem omnia geminavit Terentius. — *Quæ esset*, h. e. quo nomine vocetur. — *Novam* ostendit, quum dixit *simplex quæ*, etc.; *quæ esset* ostendit, quum nominavit *Heautontimorumenon*, vs. 5. — *Qui scr. Qui* pro *quis*, uti multoties apud Terentium. *Perl.* — *Nunc qui scripserit.* Latine scilicet Terentius. « Nam etiam Latini scriptoris nomen in prologo interdum dicebant; quem alioqui pars magna spectatorum ignoraverit. » *Bent.* — Juvencius vult intelligi Menandrum, qui græce composuerat.

8. *Cuja Græca sit.* Cujus auctoris græci ea sit.

9. *Id*, sc. qui scripserit, et cuja græca sit.

10, 11. *Esse voluit.* Alii *voluit esse.* In Br. τὸ *esse* deest, et τὰ *paucis dabo* versum incipiunt. — *Nunc, quamobrem*, etc. Redit ad partitionem supra collocatam, cur partes adolescentium senex sumpserit. *Eugr.*—*Has partes didicerim.* Has partes agendi apud vos susceperim, et hanc orationem recitandam didicerim. — *Dabo.* Docebo, dicam. Virg. Buc. I, 29 : « Iste Deus qui sit, *da*, Tityre, nobis. » Cf. ipse Noster, Phorm. 858. — *Oratorem esse voluit me, non prologum.* Ut apud vos agerem causam et hunc defenderem ab adversariis; non officio fungerer Prologorum. Prologi enim aut argumentum narrant, aut Poetæ personam commendant, aut audientiam postulant : nunc autem ego apud vos acturus sum causam, et defendam, si quid fuerit in Terentium ab adversario, loco criminis, intentatum. *Eugr.* — *Prologum.* Hic est ipse actor qui recitat, dum sæpius dicitur *prologus* pro præfatione quæ recitatur.

12. *Vestrum judicium fecit.* Fecit ut judicium, libertas judicandi, esset *vestra*, esset penes vos. Judices vos constituit. — *Me actorem dedit.* Me recitatorem, advocatum, causidicum pro se vobis exhibuit. Id enim *actor* in foro sonat, quo hic sensu ponitur. *Juv.*

Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit
Paucas Latinas, id esse factum hic non negat,
Neque se id pigere, et deinde facturum autumat.

13. *Sed hic actor.* Pro *sed* legendum censet Bentleius *si*, quod probat Both. Quærit Westerh. num per interrogationem sit legendum: *Sed... dicturus sum?* — *Hic actor.* Ego, qui proloquor. — *Poterit a facundia* : « Propter eloquentiam valebit. » Propositio *a* eleganter ponitur pro « quod attinet ad. » *Turselin.* — *Tantum poterit quantum*, etc. « Eam recitando benevolentiam obtinebit, quam mereri possunt ea quæ Terentius cogitavit et scripsit. » Ingeniosus est dicendi modus, per quem actor profitetur Terentius ea cogitavisse quæ ipse dicturus est, et per quem præterea sibi melius audientiam parat. Attamen volunt quidam commendationem esse sumptam a persona actoris et poetæ, et fere explicant: « Non degenerabo ab eo qui cogitavit. »

14. *Commode.* Bene, eleganter. Noster Hecyr. 108. Cornel. Nepos, Præfat. « Saltare *commode.* »

16. *Nam quod.* Formula transeundi et connectendi, ut ad Attic. III, 10; et Terent. Adelph. 15. Nil scilicet mirum inceptam fuisse ab illa particula orationem. Aliquando enim abrupto sermone sic incipiebatur, ut adnotat Faber: *Quod enim; nam quod.* Græci ad eumdem modum, τί γὰρ ἄλλο, καὶ γὰρ, etc. — *Rumores distulerunt.* Id est in diversum disseminarunt. Elegans admodum locutio quæ reperitur apud Lucilium : « Gaudes, quum de me ista foris sermonibu' *differs.* » et Varr. de vita Pop. Rom. « Rumores famam *differant* licebit, nosque carpant. » — *Malevoli.* Numero plurali utitur pro singulari, sc. veteris poetæ. Vid. Andr. 6. Ne autem referes *malevoli* ad *rumores*, ut fieri posse indicat Eugraphius.

17. *Dum facit pauc. Latin.* Sensus, ait Zeun. videtur commendare lectionem Faerni, quam Bent. quoque secutus est, *facit*, pro *fecit.* — *Multas contaminasse Græcas.* E Græco comœdias alias aliis miscuisse. Hic quoque, ut And. 16, apparet nihil acerbi latere sub verbo *contaminare*, nec innui confusionis malum, sed agi solum de ipsa comœdiarum mixtura. Si quid nempe mali esset, non fateretur Terentius *id esse factum a se.*

18. *Id esse factum hic non negat.* Sic Br. et Perl. Ordinat Valp. *fact. hic esse id non neg.* Bothius, *factum id esse hic. n. n.*

19. *Neque se id pigere.* Ejecit *id* Faernus, recte, ut ait Bent. qui præterea vult aliud etiam mutari, et legit *factum iri*, pro *facturum.* — *Et deinde facturum autumat.* Terentio cordi est, ne credatur ipsum adversariis morem gessisse, quum

Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicûm ingenio fretum, haud natura sua,
Arbitrium vestrum, vestra existimatio
Valebit. Quare, omnes vos oratos volo,

ederet Heautontimorumenon, quam vocat *ex integra græca integram comœdiam*. Itaque profitetur se adhuc *contaminaturum esse græcas*, quamvis nunc non faciat. — *Autumat*. Non putare tantum, sed et publice profiteri est *autumare*. West. Plaut. Menechm. V, II, 8; A. Gell. XV, 3.

20. *Habet bonorum exemplum*. Sic And. 19. — *Bonorum*, videlicet *Plauti*, *Nævii*, Ennii, quos auctores Terentius habet, ut in Prolog. Andr. fatetur. *Calph.* — *Exemp. quo exemplo*. Hujus modi repetitio nominis cum relativo pronomine familiaris. Item Cæs. Bell. Civ. II, 18: «Loci natura, *quem locum*.» *Perl.*

21. *Licere id facere*. Eunuch. 42, sq.

22. *Tum quod*, etc. Aliud crimen est, quod objectum nunc diluit. — *Malevolus vetus poeta*. Vid. Andr. 6, 7, ad not. Agitur hic de Luscio Lanuvino.

23. Legit Bentleius cum suis fere omnibus, ut ait, et edd. vett. *R. a. s. se a. hunc m.* — *Hunc*, Terentium. — *Se applicasse*, curas intendisse. — *Repente*. Nullo exercitio præparatum. — *Ad studium musicum*. Ad studium poeseos. Nam litteras etiam antiqui vocabant *Musicen*. Quintil. Inst. Orat. I, 10: «Nam quis ignorat, Musicen.... tantum illis jam antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iisdem Musici et vates et sapientes judicarentur?» Et ille apud Aristoph. Ἱππ. 188, dicit, se *Musicen* nescire, præter litteras. Musicam appellat orbem doctrinæ, litteras, prima elementa. *Calph.*

24. *Amicûm* (amicorum) *ingenio fretum*. Lælii scilicet ac Scipionis, quorum amicitia ac favore Terentius maximopere usus est. Et ab illis viris fama erat Nostrum in scribendo adjutum. Adelph. 15. *Perl.* — Vide quemadmodum hanc quæstionem, de collata Lælii et Scipionis opera attigerimus in præfatione nostra. — *Natura*, indole et ingenio.

25. *Arbitrium vestrum, vestra*, etc. Vos quid verum sit judicabitis, et vestro arbitrio stabit Terentius. *Juv.* — Scilicet objectum hoc crimen non curat dissolvere; rem ad populum defert; et dicit tantummodo: «Vestrum judicium est et vestra existimatio.»

26. *Quare omn. vos*, etc. Sic Ed. prim. Bem. Bent. Perl. Sed Valp. et alii *quamobrem*. — *Valebit*, prævalebit, pondus et auctoritatem habebit. — *Quare omnes vos oratos volo*. Hic jam sequitur officium prologi, ut benevolentiam petat: Quæ benevolentia et in adversarios odium concitat.

Ne plus iniquûm possit, quam æquûm oratio.
Facite æqui sitis; date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis; ne ille pro se dictum existimet,
Qui nuper fecit servo currenti in via

27. *Iniquûm*, iniquorum. — *æquûm*, æquorum, sc. bonorum et justorum. Sunt vero *æqui* faventes, *iniqui* adversarii. Guyetus *iniquûm* genit, quidem plur. putat vero τὸ *æquum* recto casu singul. Priscianus lib. VIII, utrobique concisionem agnoscit, explicatque. *Bœclerus.*

28. *Facite æqui sitis.* Curate ut ex æquitate vestra hanc rem judicetis. — *Date crescendi copiam.* Facitote potestatem ut augeatur et incrementum capiat fama et favor eorum, qui, etc. Terentianum illud imitatus est Virg. Ecl. VII, 25: «Hedera crescentem ornate poetam.»

29. *Novarum qui*, etc. Hæc præcedentibus jungenda sunt; et explicandum est: «Date copiam crescendi iis qui vicissim faciunt vobis copiam spectationis novarum fabularum sine vitiis. — *Copiam spectandi novarum.* Pro verbo *spectandi*, supplevimus, in explicando τὸ substantivum, *spectatio.* Ita enim loqui Latinos adnotat Faber, et dicit eos tum illud gerundivum pro verbali nomine adhibere. — Potest explicari, quasi quis suppleat: « qui faciunt copiam spectandi spectaculi fabularum. » Semper enim hic subaudiunt nomen verbi (seu verbum infinitum pro nomine acceptum) qui participia existimant illa, vulgo pro verbis gerundis habita. Qua de re Scioppius, in Paradoxis Litterariis, Ep. 2. *Bœcl.*

30. *Ne ille.* Mss. et editi quidam, *nec ille.* — *Sine vitiis*, quibus ita innuit scatere comœdias Luscii Lanuvini. — *Ne ille pro se dictum existimet.* Quum vos oratos volo et benevolentia propensos in auctores qui scribunt sine vitiis, non est quod ille Lanuvinus existimet hæc in suam defensionem dicta, quia nempe vitiosas admodum fabulas edit; dum scurriles servorum discursiones, et insanus turbas populo ostendit.

31. *Qui nuper fecit*, etc. Non ita multo antehac fecit in suo poemate, ut populus decederet, et locum daret servo discurrenti per plateam. — *In via.* Intelligit vias sive semitas quæ inter ordines theatri singulos erant positæ. *Juv.*—Non ea potuit esse Terentio mens, ut eos promiscue perstringeret, qui inducunt in scenam servos currentes dum decedit populus. Hoc nempe fit apud Plautum, Amphit. Act. III, sc. IV, ubi Mercurius dicit concitate currendo: « Concedite atque abscedite omnes, a via decedite. » Crimen solum intentat, si qui, ut Lanuvinus, in hoc præcipuam fabulæ partem versant. Quum enim comœdia illud potissimum tractare debet, quod ad moralitatem videtur esse conjunctum, vehementer erravit Lanuvinus, qui extra hæc comœdiam instituit; et idem tamen audet alios reprehendere.

Decesse populum. Cur insano, serviat?
De illius peccatis plura dicet, quum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo; date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium,
Ne semper servus currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem imprudens,

32. *Decesse populum.* Editi vetustissimi ex Mss. quibusdam *Decessisse.* Omnino aliter legendum proponit Runhken. in Dictatis : « Verissima est, inquit, Perizonii emendatio *Dixisse pop.* Nam Terentius Luscium Lanuvinum carpit, quod populum in scenam induxerit cum servo loquentem. » Approbat Bentl. —*Serviat.* Westerh. notat quosdam legere *serviam*, sed nescit quo sensu. —*Cur insano serviat?* Nempe Terentius. Cur vos oret pro inepto isto poeta, ut ei faveatis scilicet, ac detis crescendi copiam?

33. *Illius*, malevoli poetæ.

34. *Nisi finem maledictis facit.* Hujus modi comminatio est, in Andr. 22, 23.

35. *Adeste æquo animo.* Cf. Andr. 24, not.

36. *Statariam*, sub. comœdiam. Ad hanc vocem plane intelligendam, res ab origine repetenda est. Græci, ex Chori versibus, alios *Statarios* faciebant, στάσιμα μέλη, quia Chorus eos recitabat, non mutato loco; alios autem reponebant inter *motorios*, παροδικὰ μέλη, quia Chorus eos recitabat saltabundus, et mutata sede. Inde venit mos Latinis dividere, non jam fabularum partem, sed fabulas totas, in comœdias, quarum alias vocabant *statarias*, in quibus fere stabant actores, non discurrebant, non tumultuabantur; ubi omnia erant sedatiora; alias autem *motorias*, ubi se rapidius commovebant. Tertium denique genus *Mixtas* comprehendebat, ubi partim quies, partim tumultus ac trepidatio. — Placuit nonnullis interpretum, et inter eos Fabro, credere personam hic cum persona comparari, non comœdiam aliquam cum aliqua comœdia, i. e. totum cum alio toto. Sed si illud admittitur, quæ poterit reddi ratio versus 45?— Denique Engraphius quem laudat Bœclerus, explicat : « Ut perpetuo et stabiliter agatur hæc comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur. » Eligat Lector.

37, 38. *Iratus senex.* C. G. ch. ab his dictionibus incipit versum sequentem. — *Ne semper servus currens*, etc. Quæ nunc adferuntur vel enumerantur in sequentibus, ea videntur propria esse personarum. Nam servi est currere. Plaut. Pœnul. III, 1, 19; Nost. Hecyr. 448; est senis irasci, ut videre fuit jam Simonem, Lachem, Chremetem; de parasitis agitur affatim in Eunucho; de sycophanta, And. 816, 920; Avarum Lenonem repræsentat Sannio in Terent. Adelph. — *Sycophanta*, hanc vocem explicatam vide, Andr. 816, pag. 105.

Avarus leno assidue agendi sint mihi
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui scribunt, nil parcunt seni.
Si qua laboriosa est, ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio. Experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.

39. *Ag. sint mihi.* C. G. m. *seni.* Itid. C. Hal. omisso *mihi.* Sed illa vox *seni* aut pro glossa primo fuisse, aut deinde in textum irrepsisse, aut denique per incuriam librarii e versu 43 huc reducta videtur. *Perl.*—Ms. Lips. E. P. E. T. et E. V. I, cum quibusdam aliis exhibent etiam *seni.*—*Agendi sint mihi.* Sint a me in scena repræsentandi.

41. *Mea causa causam hanc justam esse*, etc. Ordo est : inducite animum, persuasum habetote, mea causa, in meam gratiam, qui senex sum ; eam causam seu rationem petendæ vestræ attentionis et silentii, esse justam.

43. *Nil parcunt.* Alii scribunt, *nihil parc.* — *Seni.* Libri quidam scripti et impressi, *mihi.* — *Seni*, mihi veteri actori.

44. *Si qua lab.* Mureti lectionem *Laboriosa si qua est*, laudat Fr. Fabric. Dat Bemb. *si quæ lab.* et sic post eum Bentl. metri causa. Promiscue autem dici, *si qui*, *si quis; si quæ*, *si qua*, adnotat Runhk. in Dict. et mittit ad interpr. Cic. ad Att. IV, 2 ; et ad Bent. in Hor. Ep. II, 6. — *Curritur.* Mss. quidam et impressi vetustiss. *decurritur.* — *Si qua*, etc. Si qua fabula multiplicis sit argumenti, ut quæ multum laboris desideret. *Farnab.*

45. *Si lenis est.* In codd. Be. et in aliis, *sin len. e.* Imo et in quibusdam *Sin levis est.* — *Si lenis est.* Si facilis est actu, si non motoria est, sed stataria. — *Gregem.* Hæc vox intelligenda de tota actorum turba, cujus erat dominus actor qui loquitur ; non vero de quibusdam ipsius hujus gregis actoribus.

46. *In hac.* In hac stataria comœdia ; quæ vero est Heautontimorumenos. — *Pura est oratio.* Quoniam supra dixerat laboriosas potius comœdias ad se deferri, leves ad alium : ne præjudicium huic comœdiæ fecisse videretur, adjecit, *in hac pura*, etc. — Dacieria : « Ce n'est pas sans raison que Térence loue le style de cette pièce ; il n'y a rien au monde de plus pur ni de mieux écrit. Ce grand poète voyant qu'elle était dénuée d'action, s'est efforcé de réparer cela par la vivacité et par la pureté du style ; et c'est à quoi il a parfaitement bien reussi. »

47. *Experimini*, etc. « Periculum facite, tam in comœdiis lenibus, ut hæc est, quam in laboriosis, quæ sint ingenii mei vires in utrisque

Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vestris commodis;
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi.

recitandis.» Quasi diceret: «Quoniam semper in asperioribus comprobastis, nunc quoque levioribus favere debetis.» — *In utramque partem.* In comœdia tum stataria, tum motoria.

48. *Pretium arti meæ.* Scil. pretium, quo vendi solent fabulæ magistratui.

49. *In anim. ind. maxumum.* Ed. Tarv. et Ed. Med. *In anim. ind. meum.*

51. Hunc et sequentem versum Guyet. addititios vocat; immerito, ut videtur Westerhovio. — *Exemplum statuite in me.* Facitote possim fieri exemplum, quo incitentur actores. — *Adolescentuli*, adolescentes, qui in comœdiis partes suas acturi sunt posthac.

52. *Quam sibi.* Quam suis commodis studere: malint eas agere fabulas, ubi plus capiatis voluptatis, quam alias ubi plus quæstus ipsi faciant, minus autem vobis placeant.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.*

CHREMES. MENEDEMUS.

CHREM. Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum 'st,
Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit;
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,

* Chremes vicinus, quum conspiceret senem eumdemque olim divitem, graviter laborare ac tota die in opere consistere, accedit interrogans : et, ut oportet apud ignotum, longa utitur oratione, simulque sibi etiam quæstionem facit, et quasi sibi ipse respondet. Menedemus autem, qui est Heautontimorumenos, tanquam alienum alloquitur, ut illi et otium esse dicat, et tantum otium a rebus suis ut aliena curet. Tandem, instante Chremete, fatetur Menedemus se merito plecti, propterea quod ipse filium suum, amantem adolescentum more, miserit in militiam duram, sæpius accusando : inde sibi juste imponi has ipsas quas implet gravissimas pœnas.

53. *Nuper notitia.* Muretus et alii *nupera notitia.* — *Quanq. hæc inter nos*, etc. Intellige : « Quamquam hæc notitia est inter nos a tempore nuperrimo. » Placuit Perleto conjungere *nuper-notitia*, et explicare per græcismum, uti *semper-lenitas* in Andr. vs. 175, pag. 30. Minus fortasse simpliciter. — *Hæc*, notitia quam deinde explicat.

54. *Inde*, ex ea causa. — *Adeo.* Fere idem hic sonat, quod *præsertim, potissimum.*

55. *Nec rei.* Both. *nec re.* — *Nec rei fere*, etc. Restitue hic *quamquam*, et intellige: «Et quamquam non aliquid amplius inter nos fuit rei, ex quo facilius jungeremur. »

56. *Vicinitas.* Quidam Mss. *mea vicinitas.* — *Virtus tua.* Honeste laborem et calamitatem nominat *virtutem.*

Quod ego esse in aliqua parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam et familiariter,
Quod mihi videre præter ætatem tuam
Facere, et præter quam res te adhortatur tua.
Nam, pro Deûm atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quæris? Annos sexaginta natus es,
Aut plus, ut conjicio. Agrum in his regionibus
Meliorem neque pretî majoris nemo habet;
Servos complures : proinde, quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.

57. *Quod ego esse in aliqua parte amicitiæ.* Nos ex Eugraph. ut videtur, et ex Bentleio post Perletum recepimus *aliqua*, non *propinqua*, quod dant omnes lib. quos habemus. Novissima scilicet hæc lectio obscura est. Both. legit *propinqui*, et affert litteras *a* et *i* sæpius permutari inter se in Mss. — *Quod* negotium.—*In aliqua parte amicitiæ.* Sic Ovid. Metam. IV : « Notitiam primosque gradus *vicinia* fecit. »

58. *Familiariter.* Br. *Familiaritate.* — *Familiariter.* Ut proprium est amici.

59. *Quod*, quia. — *Videre*, vel *videris.* — *Præter ætatem tuam.* Ultra quod sinere debet ætas tua senilis.

60. *Facere*, « te gerere ; » et innuitur defatigatio quotidiana Menedemi, de qua vide infra, 69, 70. — *Et præter quam*, etc., magis quam fortunæ tuæ postulant.

61. *Pro Deum atque hominum fidem!* Hac exclamatione prægravi et quodam modo solemni utitur, ut majorem habeat auctoritatem. — *Quid vis tibi?* Quid animi tibi est? Fere eadem exprimit, nec tamen proposita imitatione, nostras Lafontaine, in fabella quam inscripsit *Le Vieillard et les trois jeunes Hommes* : « Car, au nom des Dieux, je vous prie, Quel fruit de ce labeur pouvez vous recueillir? »

62. *Quid quæris?* Mss. quidam *aut quid quæris*, haud male, censente Both. — *Quid quæris?* Quorsum id facis? — *Annos sexaginta natus es.* Hæc refer ad, *ætatem tuam*, vs. 59.

63. *Aut plus.* Delemus *eo* post Bent. Perl. Exhibent autem omnes alii. — *Ut conjicio.* Ed. prim. non agnoscit τὸ *ut.*

64. *Agrum*, prædium. — *Meliorem*, natura. — *Pretî majoris*, cultura. — *Neque nemo.* Duplex negatio Græcorum more. Menand. Ἀγρὸν εὐσεβέστερον γεωργεῖν οὐδένα εἶναι. Sic Hor. Epist. I, 14, 5.

65. *Servos complures.* Reponunt Guyetus et Both. *servi complures*, quasi subintelligatur *sunt tibi.* Vult secum Bentleius reponi *servos non plures.* Br. legit *quam plures.* — *Proinde*, et tamen, quum res ita se habeant. — *Quasi nem. siet ita.* Ita quasi, perinde ac si. — *Nemo*, sc. servorum.

66. *Ita tute attente.* Antesign.

Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre; denique
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio.
At enim dices «me, quantum hic operis fiat, pœnitet.»
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
MEN. Chreme, tantumne ab re tua 'st otî tibi,

Ita attente tute. — *Illorum off.* alii, ut notat Antesign. *horum*, dissyllabos. — *Fungere.* Guelf. 2, *et fungere.* — *Tute*, tu ipse. — *Attente*, impigre. — *Illorum officia.* Quæ in eos tantum cadere debent. — *Fungere*, fungeris.

67. *Vesperi.* Muretus *vespere.*

69. *Aut aliquid ferre.* Bent. *facere*, ex edd. veteribus et uno codice suorum. Itidem Eugraph. sed *ferre* citat Cicero De Fin. I, 1. Dat quoque Both. *facere.* — *Ferre; denique.* Alii *ferre denique.* Abest *denique* Guelf. 2. — *Fodere*, *aut arare.* «Chremes illum non ab industria, sed ab illiberali labore deterret.» Sic et plurib. Cic. de Finib. I, 1, judicat de hoc loco.

70. *Nullum remittis tempus.* Nullum relaxas tempus, quin semper te fatiges. — *Neque te respicis.* Nullam rationem tui habes. Spectat ad illud quod senex est, vel dives. *Perl.*

71. *Voluptati tibi esse.* Tò *tibi* vituperat ed. Bip. et delet Both. sed defendunt Bent. et Faern. — *Hæc non voluptati*, etc. Recte suspicatur quod infra patet, vs. 149.

72. *At enim dices*, etc. Detracta voce *dices*, Mureto hæc videtur objectio tacita ac locutio perpolita. Hoc idem probatur Bentleio. — *Me quant. hic op. fiat, pœn.* Piget me videre quantulum hic promoveant opus meum servi pigri et cessatores. — *Quantum operis*, qualem mensuram operis, i. e. quantulam.

73. *Quod in op.* Guelf. 1, 2, *quid*, etc. — *Quod in opere*, etc. Respondet sibi nunc Chremes, postquam modo ipse sibi quæstionem fecit, et diluit quod objecit. —Totum hoc construe: «Si sumas in servis exercendis illud operæ tuæ quod consum. in op. fac.» —*Opera* est actio, et etiam sæpius persona ipsa quæ opus peragit. *Opus* finis est et fructus operæ. Nonnunquam *opus* pro *opera* videtur accipi. Virg. Æn. VIII, 415: Mollibus e stratis *opera* ad fabrilia surgit. *Calph.*

74. *Illis*, servis. — *Exercendis*, ad opus incitandis. Est *exercere* verbum rusticum. Virg. G. I, 210: *Exercete*, viri, tauros. *Perl.* — *Plus agas.* Plus proficias, magis utilitati tuæ prospicias.

75. In Valp. hæc verba collocata sunt, *tant. est ab re tua*, etc. Sed in Bem. et aliquot aliis libb. legitur ordo quem recepimus. Ita et in Bent. Bip. Perl. Legit Bothius,

Aliena ut cures, ea quæ nihil ad te adtinent?
CHR. Homo sum : humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum 'st, ego ut faciam; non est, te ut deterream.
MEN. Mihi sic est usus; tibi ut opus facto 'st, face.

Tantumne ab re tua tibi est oti, Chreme. Cicero citat ad Attic. XII, VI : CHR. Tantumne ab re tua *est otii tui.* — *Tantumne ab re tua 'st otî tibi.* Tantumne tibi vacat a tuis negotiis, post tua negotia rite curata. Cicero, Epist. Att. XII, 6, proverbiali schemate induit hanc sententiam : ex familiari usu Terentianæ lectionis. Vid. præterea Horat. Sat. II, III, 19.

76. *Ea, quæ nihil ad te.* Sic omnes codd. Bent. Br. Bænd. cum edd. vett. et Perl. Both. Alii *eaque, nihil quæ ad te att.* Abest *ea* Guelf. 2.— *Aliena ut cures.* Ut de alienis negotiis sollicitus sis.—*Ea quæ nihil*, etc. Explicant hæc fusius vocem unicam *aliena.* — Hæc, inter alia, exprimuntur e Menandro : ἃ μὴ προσήκει, μήντ' ἄκουε, μήτ' ὅρα.

77, *Humani.* Mss. Græv. *Humanum.* — *Nihil a me.* Br. Græv. Both. *a me nihil.* — *Humani nihil a me alienum puto.* Nihil ex calamitatibus quæ unicuique homini accidere possunt, ad me ipsum non pertinere arbitror. — Cicero hanc quoque sententiam, ut apprime probam, et quamdam quasi naturæ vocem, ad societatem civilem colendam accommodat, De Legib. I, et De Officiis, I, 19. Cui versui narrat Div. Augustinus, Ep. 51, theatra tota, *plena stultis indoctisque*, applausisse. His etiam laudibus succensent Seneca, Epist. 95; Ambrosius de Officiis, lib. III, cap. 7; Pont. Paulin. Epist. 31, Johan. Sarisb. Epist. 197, et 229. — Calphurnius putat eam esse sententiam Platonis « Ortus nostri partem patriam vindicare, partem amicos. »

78. *Vel me*, etc. Abest *vel*, Guelf. 2.—*Monere.* In quibusdam Mss. *movere.* Sic And. v. 922. Præstat autem *monere.* West. — *Vel me monere hoc*, etc. Hos versus intellige : « Vel monendi causa, vel inquirendi, me hæc tibi dicere puta : inquirendi causa, ut, si hoc quod facis rectum est, ego quoque sic faciam; monendi causa, ut, si rectum non est, id facere tibi dissuadeam. » Sic, *ego ut faciam* refer ad *percontari;* et, *te ut deterream*, ad *monere.*—Est autem *percontari*, diligenter inquirere. Dicitur, auctore Donato, a *conto*, quo nautæ utuntur ad loca inquirenda, navibus opportuna.

79. *Rectum 'st, ego ut faciam; non est, te ut deter.* Legunt plurimi, Both. Bip. Valp. per interrogationem, *Rect. est? ego ut faciam : non est? te ut det.* — *Ego ut f.* In Guelf. 2, deest *ego.*

80. Br. legit et disponit, *tibi ut est opus facto.* — *Mihi sic est usus.* Hic indicat Menedemus se ea nolle detegere quæ postulat Chremes. Et breviter respondet, *sibi sic expedire*, ita consuetudinem non habeat in animo mutare; nec præterea vult

CHR. An cuiquam est usus homini, se ut cruciet? MEN. mihi.
CHR. Si quid laboris est, nollem; sed quid istuc mali est? Quæso, quid de te tantum meruisti? MEN. Oi, ei!
CH. Ne lacrima: atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam.
Ne retice, ne verere; crede, inquam, mihi, 85
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

se ipsum Chremeti tanquam exemplum proponi. Cæterum hæc explicantur ab ipso poeta, vs. 92, 135, 147, 148, et a Cicerone, qui citat, Tusc. III, 27.—*Face*, fac. — *Tibi ut opus facto 'st.* Ut opus est te facere. Ponitur hic ablativus participii præteriti temporis, pro infinitivo *facere*. Sic Sallust. Bello Catil. I, « Nam et priusquam incipias *consulto*, et ubi consulueris, mature *facto*, opus est. »

81. *An cuiquam*, etc. An utile est homini. — *Se ut cruciet.* Indigitat tacite nomen fabulæ. *Westerhov.*— *Mihi.* Sub. usus est. — Non repugnat sententiæ Chremetis, sed se solum meruisse dicit, ut crucietur.

82. *Si quid laboris est*, Bentl. omittit *est*, et sic Both. post eum. Sed bis positum videtur, more Terentii. — *Laboris.* Bent. censet ferri quoque posse, si legeretur *labori.* — *Si quid laboris est, nollem.* « Si quid in animo molestiæ est, quod te habet, mœreo ob id, vellem te non affici molestia. » Scil. verbum *nollem* invenitur in Adelph., 166, cum eodem sensu: *Nollem factum*, Mœreo quod illud fecerim. — Post *nollem*, Domina Dacieria subaudit *te deterrere*, et intelligit: « Si quæ molestia ad id te cogeret, ut ita constristareris, nihil objicerem, nec te vellem a dolore distrahere. » Simplicior nobis visa est prior interpretatio, pace dixerimus doctissimæ feminæ. — *Sed quid istuc mali est?* Sed quod infortunium est istud quod pateris?

83. *Quæso.* Valp. et alii interrogationem ponunt post hoc verbum. — *Oi, ei!* G. m. et Valp. *Eheu.* Ed. Bip. *heu hoi.* Guyetus tentat *Eheu heu.* — *Quid de te tantum meruisti?* Quid adversus te peccasti, quod tantas a te pœnas sumis. — *Oi, ei!* Chremes Menedemi dolorem acu tetigit, et hic jamdum omnia fatebitur.

84. *Istuc*, quod te contristat. — *Fac me ut sciam.* Græca locutio, pro, *fac ut ego sciam*, quemadmodum sæpe jam indicavimus.

85. *Crede, inquam, mihi, Aut cons.* Punctum vult reponi post *mihi* Bentl. — *Ne retice, ne verere; crede, inquam, mihi.* Est quædam verborum αὔξησις. Ne retice secretum illud, et noli me vereri; imo et mihi fidem habe. Bentl. intelligit, *crede*, etc. « Committe mihi id secretum, quod retices. » Minus pathetice, ut nobis videtur.

86. *Juvero.* Levabo te hac molestia. — *Aut re*, « aut reipsa tibi

MEN. Scire hoc vis? CHR. Hac quidem causa, qua dixi tibi.
MEN. Dicetur. CHR. At istos rastros interea tamen
Adpone, ne labora. MEN. Minime. CHR. Quam rem agis?
MEN. Sine me vacivum tempus ne quod dem mihi
Laboris. CHR. Non sinam, inquam. MEN. Ah, non æquum facis.

operam navando. » His autem tribus adhibitis, quid amplius in vera amicitia exoptandum? Bœcl. adnotat hæc sumi ex Plauti Pseudolo, I, 1, 17: « *Juvabo aut re, aut opera, aut consilio bono.* » Et Tullium hanc sententiam esse mutuatum, Ep. Famil. VI, 10.

87. *Hac quidem causa.* Vulg. *hac causa equidem.* — *Hac quidem causa, qua dixi tibi.* « Cupio scire, propter hanc causam, quam tibi dixi, videlicet ut te juvem. » — Non curiose se interrogare, ut ab initio suspicatus erat Menedemus, sed officiose et amanter, iterum homini morose misero inculcandum duxit. *Bœcl.*

88. *Dicetur.* Guelf. 2, 3, *Dicetur tibi.* — *At istos r.* Vulgo, et in Guelf. 2, abest *at.* — *Tamen.* Guelf. 1, *tantum.* — *Istos rastros.* Dicitur *rastrum* in singulari, et *rastri*, in plurali. Sed et *rastra* dici testatur Servius. Apparet h. l. Menedemum a Chremete deprehensum esse, quum ab agro suo radendo reverteretur.

89. *Adpone.* Alii *depone.* — *Adpone* ad terram; quasi esset *depone.* — *Ne labora.* I. e. noli te curis macerare. Vulgo, inprimis ob verbum *labora*, opinantur interpretes Menedemum rastris opus fecisse in præsentia, et explicant: *Ne laborare pergas.* Sed valde placet Dacieriæ sententia, quæ ait illum ex agro redeuntem vesperi hic rastros humeris gestare. Nam, præter picturam, quæ in cod. Reg. Menedemum gestantem exhibet, sequentia quoque illam sententiam comprobant. Nam Menedemus, quamquam negat se laborem fugere et sibi parcere posse, tamen non pergit opus facere, sed ire, ut Chremes solus relinquatur. *Laborare*, ut Gr. πονεῖν, significat *sibi non parcere, se non respicere, dolere animo*, aut *se duriter habere.* Certe *labor* in vs. 82, non de opere faciendo intelligi debet, sed de causa summa ægritudinis. Denique Chremes, versu 68, dicens *ferre*, videtur hos ipsos rastros significare. — *Minime*, sub. *sum depositurus.* — *Quam rem agis.* Hoc dicto parat Chremes pergentem inhibere. Videlicet manu prehensum detinet illum, qui tum, *sine me*, etc., dicit. *Perl.*

90. *Vacivum.* Lib. Bemb. *vocivom*; mutatum postea in *vacivom.* Alii *vacuum.* — *Vacivum tempus laboris.* Tempus quo vacem a labore.

91. *Non sinam, inquam.* Hæc magis gestu exprimuntur. — *Ah, non æquum facis.* Inique agis, qui mihi laboranti impedimento sis, et velis me gaudio indulgere.

CHR. Hui! tam graves hos, quæso? MEN. Sic meritum 'st meum.
CHR. Nunc loquere. MEN. Filium unicum adolescentulum
Habeo. Ah, quid dixi, habere me! Immo habui, Chreme.
Nunc habeam, nec ne, incertum 'st. CHR. Quid ita istuc?
MEN. Scies. 95
Est e Corintho hic advena anus paupercula:
Ejus filiam ille amare cœpit virginem,
Prope jam ut pro uxore haberet. Hæc clam me omnia.

92. *Hui! tam graves hos, quæso.* Totam supple sententiam: « Hui! Siccine fers tam graves rastros, quæso? » Scilicet Chremes, dum retinet Menedemum, sua ipse manu abstrahit ei instrumenta, et admiratur pondera rastrorum quibus senex utitur. — *Sic meritum 'st meum.* Pœna, qua dignus sum, sic postulat.

93, 94, sq. *Nunc*, quum te iniquo liberavi pondere, et hic retinui. — *Ah, quid dixi.* Ms. Lips. Br. Guelf. 3, Ed. prim. Both. *At quid dixi.* Ms. Bodl. *At quod d.* — Ed. prima non agnoscit *immo.* — *Filium unicum adolesc.*, etc. Narratio hæc plane consentit argumento; etenim poeta specimen viri se excruciantis optime præbet. Et quia magno affectu res geritur, nomina quoque desiderium et dolorem indicant. *Filium*, et *unicum*, et *adolescentulum*, quod felicitatis erat, *habeo*, nisi παθητικὴ ἐπανόρθωσις in contrarium verteret quod dictum est; *Ah! quid dixi habere me!* Augeri vult dolor tractatu vulneris; *immo habui. Chreme;* (et miserum verbum est *habuisse*, ut ait Plaut. Rud. V, II, 34). Nec sufficit: *nunc habeam necne incertum est.* Bœcl.

95. *Quid ita istuc?* Abest *ita* Guelf. 2. — *Quid ita istuc?* Cur istud quod dicis ita est, ut nunc non habeas filium?

96. *Est e Corintho hic adv.* Habitat in hac urbe peregrina ex Corintho — Urbs Çorinthus (Peloponnesi, ad Isthmum inter Ionium et Ægæum mare, hod. *Corintho* et *Coranto*, Turcis *Gereme*) quasi colonias meretricum misit Athenas et alio. *West.* — Vid. Hecyr. vs. 86: Add. Lucian. in Ἑταίρας, ubi vide. *Perl.*

97. *Amare cœpit virginem.* Sic Græv. G. m. Br. Perl. Omnino aliter G. c. Bip. Z. Both. Valp. *Amare cœpit perdite.* Nonnulli, Bœnd. Ed. Tarv. Med. utrumque, *perdite virginem.* — *Ille*, filius meus. — *Fil. ill. am. cœp. virginem.* Nomen est honestius quam si dixisset simpliciter *filiam*, et tollit suspicionem vitæ meretriciæ.

98. *Prope jam ut pro uxore hab.* Adeo ut fere jam hab. eam pro ux. — De hoc cf. Andr. 146, pag. 27; ubi item est odiosa patri consuetudo cum peregrina. Sed bene observat Bœclerus accuratam poetæ nostri industriam. Nunquam hoc genere loquendi utitur, nisi de ea,

Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,
Tractare, sed vi, et via pervulgata patrum.
Quotidie accusabam : « Hem, tibine hæc diutius
« Licere speras facere, me vivo patre,
« Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
« Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
« Ego te meum esse dici tantisper volo,

quæ vere uxor futura est ejus, qui *pro uxore habuit :* summam amoris familiaritatem non magis descriptione, quam præsagitione demonstrans. — *Hæc omnia;* sub. fecit.

99. *Ubi rem rescivi.* Varie in Mss. et editis antiquis legitur, *ubi rem rescivi; ubi id rescivi; ubi rescivi.* West. — *Humanitus.* Editi vetustissimi *humaniter.* In Leid. 5, dubie scriptum *humanit.* — *Ubi rem rescivi.* Vid. Adelph. 795. — *Cœpi* refer ad *tractare.* — *Humanitus.* Humano more, clementer, cui oppositum est *via pervulgata patrum*, vs. 101.

100. *Neque ut decuit*, sub. *tractari.* — *Animum ægrotum.* Cf. Andr. vs. 193, pag. 33; ubi vid. not. — *Via pervulgata patrum.* Qui plerumque, ut et patrui et senes, sunt « laudatores temporis acti, se pueris, » et « Censores castigatoresque minorum. » Horat. art poet. vs. 173 sq. *Farnab.*

101. *Vi et via.* Monosyll. est *via.* — *Pervulgata.* Both. proponit *pro vulgata*, et delet *vi et.*

102. *Quotidie accusabam.* Explicant hæc, quæ sit via pervulgata patrum. — Egregia oratio ἐπιτιμητική, et digna, quæ comparetur per singula cum Plauti prorsus simili sed uberiore προσωποποιΐα, Mercatore I, 1, 46 et seq. « Objurgare pater hæc me noctes et dies, etc. » *Bœcl.* — *Hem, tibine hæc diutius*, etc. Accusationem suam refert. — *Hem*, interjectio indignabundi patris.

103. *Licere*, pro *liciturum.* Sic præsens pro futuro, Eunuch. 520, pag. 198. — *Me vivo patre*, me, tuo patre, vivente.

104. *In uxoris loco.* Vulgo ex lib. antiq. invertitur *uxoris in loco.* Abest *in* a Guelf. 2. — *Amicam ut habeas*, etc. scilicet : « sperasne liciturum ut habeas. » — *Amicam.* Ita dicit, ne dicat, *meretricem*, quod quidem vere sonat vox illa; ut apparet ex Eunuch. 495; « Haud convenit Una ire cum *amica* imperatorem in via. » Vid. supra, pag. 196.

105. *Si id credis*, sub. « tibi liciturum fore. » — *Me ignoras.* Nescis qui vir ego sim, indolem meam ignoras. — Vide verbum idem cum hoc sensu, Eunuch. vs. 1088.

106. *Te meum esse dici.* Te vocari filium meum. — Sic item supprimitur filii nomen, infra, 1036. — *Tantisper dum*, tamdiu quamdiu, tamdiu dum, ut dici latine adnotat Calphurnius.

« Dum, quod te dignum 'st, facies; sed si id non facis,
« Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
« Nulla adeo ex re istuc fit, nisi nimio ex otio.
« Ego istuc ætatis, non amori operam dabam,
« Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi
« Simul rem et belli gloriam armis repperi. »
Postremo adeo res rediit : adolescentulus
Sæpe eadem et graviter audiendo victus est.

107. *Facies.* Bac. conject. *facis.* Atque verum est, præsens tempus cum *dum* jungi, præsertim quum præsens item antecesserit. *Perl.* — *Te*, sc. adolescente ingenuo et libero. — *Id*, quod te dignum est.

108. *Invenero, quod*, etc. Hæc opponuntur iis quæ dixit vs. 106, *Te meum esse dici volo.* Ergo minari videtur filio abdicationem, quemadmodum fecerat Simo, Andr. vers. 89, sq.

109. *Nisi nimio ex otio.* Vulg. *nisi ex nim. ot.* Bent. reponit *nim. ex ot.* ob emphasin. Sic Nos post Perl. Legit Bothius : *N. a. ex re i. nimio nisi sit otio.* Abest *nisi* mendose Guelf. 2. — *Nulla adeo ex re istuc fit*, etc. Certe istuc quod facis, ex nulla causa nascitur, præterquam ex desidia et nimia cessatione. — Desidiam autem *nimiumque otium* amores fovere illicitos, id satis ex Ovid. noscitur, Remed. Am. 135. *Perletus.*

110. *Istuc ætatis ;* subaudi *per*, vel *circa.* Quum essem ea ætate qua tu es. — Dicit eodem modo Cicero, pro Cluent. 51, *Id ætatis*, pro, *in ea ætate.* — *Non amori operam dabam.* Plaut. Mercat. Prolog. quem jam citavimus : « Sese extemplo, ex ephebis postquam excesserit, non, ut ego, amori neque desidiæ in otio operam dedisse. »

111. *Propter pauperiem.* C. G. m. p. var. *miseriam.* — *Hinc*, ex Athenis. — *Propter pauperiem.* Est *pauperies* causa militandi etiam apud Virgil. Æneid. II, 87 : « Me..... *Pauper* in arma pater primis huc misit ab annis. » Scilicet unusquisque *indocilis* est *pauperiem pati.* Hor. Od. I, 1.

112. *Rem et belli gloriam armis*, etc. Dant Br. Bent. Zeun. *Rem et gl. arm. belli.* Eugraphius et Br. *Simul et rem et gloriam*, omisso *belli.* — *Repperi.* Recte, ut ait Perlet., non *reperi.* — *Rem et belli gloriam.* Divitias et laudem. — Junguntur enim sæpius duo hæc. Horat. Epist. III, 11, « Clarus ob id factum, donis ornatur honestis ; » et paulo infra : « Grandia laturus meritorum præmia. » — *Repperi.* Acquisivi. Eodem sensu, ut adnotat Dacieria, Græcis usitatum est verbum ἐξευρεῖν. Pindar. Od. Isthm. VIII : « Ἀέθλων ὅτι κράτος ἐξεῦρε. »

113. *Adeo.* Guelf. 1, *ad id.* — *Adeo*, eo. Res huc recidit. Id effeci meis querelis et minis.

114. *Sæpe eadem et graviter audiendo.* Audiendo sæpe easdem objurgationes, et easdem probrose et

Putavit me et ætate et benevolentia
Plus scire et providere, quam se ipsum, sibi:
In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
CHR. Quid ais? MEN. Clam me est profectus; menses tres abest.
CHR. Ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, et non instrenui.
MEN. Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii,

minaciter factas. — *Victus est.* Defatigatus. — Odiosius eadem sententia exprimitur, Hecyr. vs. 123. « Tundendo atque odio denique effecit senex. »

115. *Putavit me et ætate et benev.* Sic Br. Bent. Bip. Z. Both. Perl. Disponit Valp. *Et æt. putav. me, et benev.* Guelf. 1, scribit *benivolentiæ.* — *Ætate*, quia senex eram; *benevolentia*, quia pater.

117. *In Asiam ad Regem militatum abiit, Chreme.* Singula in pronuntiatione sunt collocanda. Nam *in Asiam*, quod dixit, intelligere debemus, in longinquum locum; *ad Regem vero*, h. e. quasi ad servitutem; *in militiam*, ubi scilicet durus labor ad periculum est. Sic in unoquoque aliquid est oneris; ipsaque appellatio, *Chreme*, affectum sive πάθως loquentis, ei, ad quem loquitur, demonstrat. *Eugr.* et *Bœcl.* — *Regem.* Significatur rex Persarum, qui et βασιλεὺς μέγας, et βασιλεὺς, κατ'ἐξοχὴν dicebatur. Vid. Eunuch. 397. Cic. Tusc. V, 12. Quidam opinantur Seleucum regem intelligi; de hoc cf. ad Eunuch. vs. citato.

118. *Clam me est profectus.* Both. ordinat, *prof. clam me est.* Valp. omittit *est.* — *Quid ais?* Admirantis potius quam interrogantis. — *Clam me est profectus.* Hic curavit quod facile poterat objici: cur ergo non retinuisti, quum proficisci videres? *Eugraph.*

119. *Etsi illud*, etc. Zeun. disjungit *et si.* — *Ambo accusandi.* Necdum tota exposita est causa. Idcirco æqualem partem accusationis suæ posuit Chremes, quod dixit, *ambo accusandi.* Quanquam inclinavit ut adolescentem defendere videatur, quum inquit, *etsi illud inceptum* videtur esse *pudentis animi signum*, et non minus *obsequentis.* Hoc est enim quod dixit, *non instrenui.* — Adnotat Bœclerus: « Libertati amici humanitas erudite miscetur. Reprehensio est, sed duplici solatio mitigata. Nam nec solius esse patitur senis culpam, qui sibi soli tribuebat; et adolescentis ingenium in ipsa culpa liberale, gratissimo scilicet miseri parentis auribus acroamate, deprædicat. » — *Illud inceptum*, quod abierit in Asiam.

120. *Animi pudentis.* Verecundi, tui reverentis.

121. *Qui fuere ei conscii.* Valp. et alii, *qui ei fuere conscii.* — *Ubi comperi*, subaudi, *eum discessisse.* — *Qui fuere ei conscii.* Quos de proposito suo monuerat.

Domum revertor mœstus, atque animo fere
Conturbato atque incerto præ ægritudine.
Adsido. Adcurrunt servi, soccos detrahunt.
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare : pro se quisque sedulo
Faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare : hem, tot mea
Solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant?

122. *Domum revertor.* Hoc dicens significat, foris se filium ubique conquisivisse. *Perl.*

123. *Conturbato.* A vett. edd. et a Faern. est *perturbato.* — *Incerto.* Codex Acad. 900 annorum *incerti* habet. Ms. Collegii Christi Corporis, *inerti.*

124. Al. *Adsideo.* Sic quoque Ms. Mark. Bœnd. Ed. Prima, Ed. Ven. — *Adsido.* Significat enim, se labore investigandi lassum atque exhaustum concidisse. *Perl.* — *Soccos detrahunt*, sub. mihi. — *Socci* sunt calceamenta humiliora et viliora, quibus maxime utebantur comœdi; sicut Cothurni proprii Tragœdorum, altiores soccis.

125. *Video alios*, etc. Be. delet *video*, quasi superfluum propter *Ubi video*, vs. 128; et vult reponendum, *Inde alii f. l. s.* Idem censet et legit Both.—*Lectos st.* Guyet. in glossis Mss. *lectom sternere*, quod scilicet solus esset Menedemus. *West.* — *Alios*, ex servis.—*Lectos sternere.* Vid. Adelph. 286, et 587. Ex consuetudine antiqua *lectis stratis* cœnabatur. De more discumbendi, de lectis, et tricliniis, etc., videndi sunt Alexander ab Alexandro, l. v. Genial. c. 21; Cælius Rhodig. Stuckius, Lipsius, III, antiq. lection. Pet. Ciacconius, Rosinus, Dempsterus, alii. *Farnab.*

126. *Cœnam apparare.* Alii: *cœnam par.* — *Pro se*, pro sua virili parte.

127. *Faciebant.* Vulgo est *faciebat.* — *Quo illam.* Guelf. 2, *Quo ut ill.* — *Faciebant, quo*, etc., subaudi *illud*, et construe, *faciebant illud, quo possent lenire mihi*, etc. — *Miseriam.* Meam de filii discessu mœstitiam.

128. Bent. post *video* distinguit. Sed alios magis commode puto post *hæc. Perl.* — *Tot mea.* In quibusdam Mss. et Ed. prim. Ed. Tarv. Ed. Venet. I, Bip. *mei*, Ita et Valla. — *Hæc*, quæ servi tam festinanter faciebant. — *Cœpi cogitare.* Ita fit, ut jure meritoque, i. e. non impetu, sed ratione, videatur Menedemus ἑαυτὸν τιμωρεῖν, se ipsum punire atque excruciare. *Bœcl.*

129. *Solliciti sunt.* Bent. Valp. *sint.* Nos sequimur Br. Z. Perl. Legit Both. *S. sint solliciti, me unum ut expl. ancillæ.* — *Mea solius causa.* Pro *mei solius causa*, per attractionem; et est constructio elegans. Cic. Pis. 6: « Juravi, remp. mea unius opera esse salvam. » *Perl.* — *Tot solliciti sunt.* Menander: βίον ὡς οἰκτρὸν ἐξαντλοῦσιν. *Farnab.* —

Ancillæ tot me vestiant? Sumptus domi
Tantos ego solus faciam? Sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est,
Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. Nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.

Expleant. Observanda est vis verbi *expleri* ad hunc sensum : « ut ne una quidem re careat dominus quam desideret. »

130. *Ancillæ tot me vestiant?* An æquum est, ut tot ancillæ vestibus mihi conficiendis occupatæ sint nendo et texendo?

131. *Sed gnatum unicum.* Perlet. et alii, *sed gn. un.* — *Tantos ego solus.* Maxima opponuntur minimis.

132. *Quem pariter uti his decuit.* Guelf. 2, *Quem par. in his dec.* — *Pariter aut amplius*, ita uti ego utor, pari modo, aut vero amplius.

134. *Eum ego hinc ejeci.* Suavior sonat hæc collocatio Bentl. quam quæ vulgo est, *Eum ejeci hinc.* — *Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.* Frequentatio verborum vere παθητικὴ : singula seorsum vim habent, nec præcipitanter exaudiri volunt. *Bœcl.*

136. *Vitam illam colet.* Variant Edd. et scribunt, *colit*, aut *incolit*; aut *incolet.* — *Si id faciam.* Refer ad vs. 131, 137; et supple : *Si sumptus domi Tantos ego solus faciam.* — *Usque dum.* Donec. — *Vitam colere* invenitur in Plaut. Mostellar. III, 11, 41.

137. *Carens patria.* Both. *Patria carens.* — *Ob meas injurias.* « Ob meam injustitiam. » Noli autem intelligere, ut quidam interp. « Ob meas contumelias. »

138. *Interea*, tamdiu. Junge præcedentibus, et supple *quamdiu vitam illam colet*, etc. — *Illi de me supplicium dabo.* « Filio absenti pœnas dabo; filii causa, mihi supplicium imponam. » — Cadit in Menedemum quod Homerus refert de Laerte, teste Tullio, Cato XV. « Homerus.... Laertem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et stercorantem facit. » *Perl.*

139. *Quærens, parcens.* Sic edd. vett. et ex codd. nostris unus : cæteri, *parcens, quærens.* Bent. — *Laborans, quærens, parcens.* De hac absoluta descriptione laboriosi senis cf. Adelph. 816, 817. — *Illi serviens.* « Scilicet conquiram et conduplicabo divitias, ut nati mei commodis inserviam, et augeam illius patrimonium. » Male, ut nobis videtur, Perletus vult intelligi : « pro illo me affligens. » Quod quidem importune h. l. reponeretur, ubi agit de commodis filii sui.

Ita facio prorsus : nil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum ; conrasi omnia.
Ancillas, servos, nisi eos qui opere rustico
Faciundo facile sumptum exercerent suum,
Omnes produxi ac vendidi ; inscripsi illico
Ædes mercede ; quasi talenta ad quindecim

140. *Ita facio prorsus : nil rel.* Ms. Græv. *prorsus nihil*, etc. — *Ita facio prorsus.* « Sic omnino feci ut cogitaveram. » Ostendit rem verba secutam fuisse.

141. *Nec vas, nec vestimentum.* Vocabant latini *vasa* omnis generis supellectilem. — *Vestimentum*, h. e. non vestes solum, sed et stragulas, tapetes. Cf. infra 904. — *Conrasi omnia.* Collegi universa quæ venderem. — Quum dicere volumus, aliquem nihil omnino tam parvum reliquisse ex rebus suis, quod non alienaverit, recte dicimus, *omnia conrasit*, quasi etiam raserit parietem. *Calph.*

142. *Opere rustico.* Linacer, *in opere r.* West.

143. *Exercerent.* Non convenit inter interpretes, *exercerent* legendum sit, an *exerceant.* Utrumque est in Mss. et editis probatiss. Possit et *exercent* legi. Muret. *exercirent.* Guyet. *exsercirent*, h. e. resarcirent, pensarent. Quod exhibent Bothius, Bentleius. Westerhovius indicat Kockertum in indice legere *victus exercerent.* Alii denique proponunt *exerciunt*, vel *exercirent.* — *Sumptum exercerent s.* « Demererentur impensas suas. » Eadem locutio invenitur, ut adnotat Turneb. apud Div. Ambr. Offic. II. « Sed direptione alicujus et amissione patrimonii in eam recedere injuriam et sumptum exercere non queat. » Si legis : *Sumptum exercirent*, explica, *opere suo impensas domini pensarent et resarcirent.* Si malueris cum Dacieria *victum exercerent*, intellige, qui possent opere faciendo lucrari unde viverent ; et firmat sensum locutio græca e Xenophonte, quam citat doctissima Mulier, ἐκπονεῖν τὰ σιτούντα, *laborare* victum.

144. *Produxi*, publice proposui, nempe venales. Eunuch. 134, pag. 147. — *Inscripsi illico ædes mercede.* « Declaravi protinus domum meam esse venalem, apponens inscriptionem ad fores. » Vult Engraphius, locationem hic, non venditionem intelligi ; sed ut adnotat Dacieria, grandior est pecunia, quam quæ ex domo tantum locata possit percipi.

145. *Ædes mercede*, etc. Bembi collocatio et distinctio simul est, *Inscripsi illico Ædeis : mercedem quasi talenta*, etc. C. G. m. et Hal. *mercede.* Guelf. 2, *talenta quindecim*, absque *quasi.* — *Quasi talenta ad quindecim coegi.* Intellige, « collegi, redegi, ex ædibus, servis, etc. ,summam quæ accedebat fere *ad* quind. tal. » Et hæc summa talentorum repræsentat circiter 37,550 libras Gallicas. Cf. cæterum ad Tabulam monetarum subjectam in calce Mart. vol. I, hujus nostræ edit.

Coegi; agrum hunc mercatus sum; hic me exerceo.
Decrevi, tantisper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;
Nec fas esse, ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.
CHR. Ingenio te esse in liberos leni puto,
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret. Verum neque illum tu satis noveras,
Nec te ille; hoc quod fit, ubi non vere vivitur.

146. *Me exerceo.* Me fatigo.

147, sq. *Decrevi tantisper*, etc. « Judicavi me minus iniquum esse et injurium in filium, interea dum in miseria versabor. » Citat hunc locum Cic. Tusc. Quæst. III, 27, et idem de Finib. V, 10.—*Decrevi.* Existimavi. Et est proprie *decernere*, de rebus magnis certam proferre sententiam. — *Fiam*, pro *sim*, ut sæpe vidimus.

149. *Nec fas esse.* Mss. quidam, *nefas*. West. — *Hic frui.* Abest hic Guelf. 2; abest quoque Br.

150. *Ille meus particeps.* Quem scilicet pariter uti his decuit, ut antea dixit. — Justinianus Imperator in Institut. Juris, lib. III, tit. 19, sic ait : « Sed quidem hæredes nati appellantur, et, vivo quoque patre, quodam modo domini existimantur. » Unde passim servi in comœdiis filios dominorum, heros minores, vocant. *Ed. Delph.*

151. *In liberos.* Multitudinis numero dixit *liberos*, quum Menedemus unicum haberet filium. Scilicet scribit Aul. Gell. Noct. Att. II, 13: « id facere antiquos oratores, historiæque aut carminum scriptores. » Item invenitur *liberos* per invidiam dici in Andr., vs. 892, ubi vid. notas. Item in Hecyr. 217, *liberos* in significatione unius filiæ dixit.

152. *Et illum obseq.* Both. reponit *et* in versu præcedenti. Ita quoque Dacieria. — *Si quis recte aut commode.* Eugraphius : « Supra accusaverat utrumque, quum diceret, *ambo accusandi* : modo utrumque defendit, quod hunc *ingenio leni* dicit, et illum *obsequentem*, si modo aliquis recte et commode tractaret. Hoc factum esse dicit quod neuter alterum satis noverit. » Hæc autem Eugraphii non accurate dicta Bœclero videntur; hic nempe proponit contra : « Absolvit hic Chremes, quod supra cœperat, atque iterum utrumque accusat; sed mitiorem facit accusationem, mixta laude aliqua. Laudat ingenium, accusat mores. » — *Recte aut commode.* Leniter et convenienter.

153. *Neque.* Alii *nec.* — *Illum tu.* Antesign. Z. Valp. *tu illum.*

154. *Hoc quod fit, ubi non v.*, etc. Antesign. *hoc ibi fit, ubi non v. v.* Zeun. Valp. *hocque fit ubi n. v. v.* Both. *hoc ubi fit, ibi*, etc. — *Hoc quod fit, ubi non vere vivitur.* Quod quidem in ea domo evenire solet, in qua pater et filius non vere, non

Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes,
Nec tibi ille 'st credere ausus, quæ est æquum patri.
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.
MEN. Ita res est, fateor : peccatum a me maxumum 'st.
CHR. Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi
Salvum adfuturum esse hic confido propediem.
MEN. Utinam ita Dî faxint! CHR. Facient. Nunc, si commodum est,

ἐκ τοῦ λόγου, vivunt, sed libidini tantum, obsequuntur, omissa ratione, ita ut vivant affectu, non consilio. Vid. Adelph. 992. — Hanc Bœcleri interpretationem, quamvis nimium elaboratam, anteposuimus sensui quem Eugraphius offert : « Ubi non integre vita ostenditur, ubi non nudatur, ut quis qualis sit, agnosci queat. » Τὸ *vere* credimus esse detortum, et Eugraphium, ut ait Bœcl. non assecutum esse mentem poetæ. — Interpretes Gallici, Dacieria, *Lemonnier*, legunt, *hoc ubi fit, ibi non vere vivitur;* et vertunt : « Quand cela est ainsi, ce n'est pas vivre. » Hic quidem vertendi modus multo simplicior, sed is est, quem Gallicæ potius quam latinæ linguæ genio convenire arbitramur.

155. *Tu illum nunquam ostendisti.* Both. *Tu nunquam illum*, etc. — *Quanti penderes*, i. e. quanti faceres. Nam antiquorum pœnæ erant pecuniariæ, quas ære vel argento pendendo luebant. Inde *pendere* dicimus *æstimare*. Donat.

156. *Credere ausus.* Both. *ausum credere*. — *Quæ est æquum patri*, sc. filium credere.

157. *Quod si esset factum.* Si tu mores tuos ostendisses, aut ille tibi qualis esset.

158. *Ita res est.* Guelf. 2, *alia*, pro *ita*. Sic ex Mss. et editis veteribus recensuit Heinsius, estque in Mss. quatuor Leidd. — *Peccatum a me maxumum est.* Mss. quidam, *pecc. meum maxim. est.* Alii, cum Bœnd. *pecc. m. maxim. est.* Tr. *maxim. meum est.* Alii, *a me maxume est.* Ita quoque Both. qui notat « vulg. *maxumum*, vitiose. » Lectionem quam recepimus dant Br. Perl. Bent. Bip. 2, Valp. — *Peccatum a me maxumum 'st.* Ea lectione accepta, ut fecimus, sensus est : « a me, i. e. a parte mea maximum peccatum invenitur. »

159. *Spero, et illum.* Edit. Bipont. et alii, omisso *et*, legunt, *recte spero illum tibi Salvum adfut.* — Pro *illum* legit Both. *eum*. — *At porro recte spero.* At certe feliciter eventurum spero. Formula consolandi. Adelph. 290. Scilicet *recte* in bonam semper partem dicitur.

160. *Confido*, fiduciam gero. — *Propediem*, brevi. OEconomiæ servit. Prædicitur, quod mox futurum est. Accidit, quo maxime exspectatur tempore. Itaque votum miseri parentis, *utinam ita Di faxint!* πάθος theatro præparat in sequentia. *Bœcl.*

161. *Utinam ita Dî faxint!* An-

Dionysia hic sunt hodie; apud me sis volo.
MEN. Non possum. CHR. Cur non? Quæso, tandem aliquantulum
Tibi parce. Idem absens facere te hoc volt filius.
MEN. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. CHR. Siccine est sententia?
MEN. Sic. CHR. Bene vale. MEN. Et tu.

tesign. - *Utinam dî ita faxint!* Bothius non agnoscit τὸ *ita*, ut etiam Calphurn. — *Nunc si commod. est.* « Omnes fere nostri, adnotat Bentl. *nunc si est commodum* : magis ex more auctoris. » Guelf. 2, *sed nunc commod. est.* — *Faxint*, pro *fecerint*, ut jam vidimus; et hic intelligendum, tanquam *faciant.* — *Si commodum est*, si opportunum et gratum.

162. *Dionys. hic sunt hodie, apud me*, etc. Alii, inter quos Antesign. Zeunius, distingunt, *Dion. hic sunt: hod. ap. me.* — *Dionysia.* Cf. infra 733. Festa Bacchi. Sunt autem Διονύσια, τὰ κατ' ἄστυ Διονύσια et majora. Vid. Theophr. Char. 4. Duplicia namque erant Bacchanalia, quæ in urbe celebrabantur, et in agris; illa verno tempore, hæc autumno, in honorem Dionysii, vel Bacchi. Quum autem rure scena versetur, de festis autumnalibus hic agitur. Male ergo intelligit Perletus, *hic* Athenis. — Dicitur autem *hic;* quia Dionysia quum plures dies occuparent, apud Atticos, nunc in hoc pago, nunc in illo celebrabantur, ut quisque commodius vicinos convivas deinceps haberet. *Faber.* — *Apud me sis volo.* Dicebant *esse apud aliquem*, pro, *cœnare.* Plaut. Stich. IV, I, II. De toto hoc adnotat Eugraphius, « esse optume factum, ut post narratam calamitatem, cui quidem præter consolationem subvenire non poterat, tamen in eo quod ex ipso auxilio esse potuisset, vult eum ad cœnam vocare. »

163. *Quæso.* Prima tantum sing. persona indicativi usurpatur; etsi Ciceroni, Fam. XI, 3, etiam pluralis, « Deos *quæsimus* », et *quæsere* lectum sit apud Sallustium.—*Tandem.* i. e. uno verbo, quod tantam vim apud te habere velim, quantam, si diu interrogassem, et illud foret ultimum. Hoc est, quod postulat Chremes. *Calph.*

164. *Idem absens facere*, etc. Tuus filius absens hoc idem a te postulat atque ego, nempe ut tibi parcas.

165. *Impulerim.* Alii post Faern. *impellerim.* Antesign. *impullerim;* quam epenthesin laudat Glar. Bentleius vult reponi, *laborem hinc pepulerim.* C. G. m. *compulerim.* Both. *impellerem.* — *Non convenit*, etc. Construe : « Non conv. me ipsum qui impul. ill. ad lab. nunc fugere laborem. »

SCENA SECUNDA.

CHREMES.

CHR. Lacrimas excussit mihi,
Miseretque me ejus. Sed ut diei tempus est,
Monère oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat; ibo ut visam, si domi est.
Nihil opus fuit monitore : jam dudum domi
Præsto apud me esse aiunt; egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores
Hinc a me? Quisnam egreditur? Huc concessero.

166. *Lacrimas excussit mihi.* Novam hic scenam incipimus cum Juvencio, et interpretibus Gallicis. — *Lac. excuss. mihi.* Me lacrimari coegit. Id est, ut fusius explicat Calphurnius, « lacrimas in sinubus oculorum meorum oboriri fecit, quæ ex oculis manarunt, ac si forent excussæ. » Nam *excutere* significat, commovendo aliquid ejicere.

168. *Ut diei tempus est.* Both. *diei ut tempus est.* « Mss. quidam : *sed, ut dixi, tempus est :* male ; vid. infr. 212. » — *Ut diei tempus est.* Quoniam dies inclinat in vesperam.

169. *Monere oportet me*, etc. Testatur Lindenbrog. τὸ *oportet* in omnibus veteribus deesse, præterquam duobus in recentissimis, qui *monere me oportet*, habent. Bentl. restituit : *sed ut diei tempus est, tempus monere me h.* etc. — *Monere*, jam scilicet antea invitatum. Veteres solebant convivas, si morarentur, per servos, qui *monitores* vel vocatores proprie dicebantur, admonere, ut ad cœnam venirent. Apulei. Met. III, 134. Martial. Epigr. VIII, LXVII. *Perl.* — *Domi*, in domo mea.

170. *Ibo, ut visam, si domo est.* Sic Antesign. Alii, *ibo visam.* Codex unus, quem citat Bentl. *Ibo et visam.*

171. *Nihil opus fuit monitore.* Hæc Chremes postquam pulsavit ostium Phaniæ, quod in conspectu erat, atque audito responso, rediit in proscenium.

172. *Apud me.* Both. *mi.* Disponunt alii, *aiunt præsto apud me esse.* — *Egomet convivas moror.* Ego ipse in mora detineo convivas quos vocavi.

173, 174. *Ibo adeo hinc intro*, etc. Integrum locum ita vult ordinari unus interpretum : *Ibo ad. h. intro. Sed quid crep. fores? Hic a me qui m.* etc. Bœnd. incipit, *ibo adeo hic intro*, et mox, *hinc a me quisnam egreditur?* West. — *Adeo* abest

SCENA TERTIA.

CLITIPHO. CHREMES.

CLIT. Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia : haudquaquam etiam cessant,
Et illam simul cum nuntio tibi hic ego adfuturam hodie scio.
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat, mittas.
CHR. Quicum loquitur filius?

Br. — Guelf. 2, et Br. *Quinam*, pro *quidnam*. — *Adeo*, ergo. — *Hinc*, ex hoc loco (scil. e scena). — *Quid crepuerunt fores Hinc a me?* Cur apertæ fuerunt ab interiore domo meæ in exterius portæ? — *Huc*, in hunc angulum. Recedam tantisper a limine. — *Concessero* pro *concedam*. Vid. Sanct. Min. I, 13.

175. *Nihil adhuc*, etc. Hæc dicuntur ad Cliniam intus, qui redux, in vicinam domum Chremetis ad Clitiphontem familiarem sibi diverterat, ut ibi amicam ex urbe arcessitam exspectaret. — *Quod vereare*, Antiphilam non venturam. — *Haudquaquam etiam cessant*. Nondum etiam illa, Syrus et Dromo servi, qui ad eam arcessendam missi sunt, nimium diu morantur.

176. *Tibi hic ego adfut. hoc.* Sic lib. antiq. et omnes nostri, præter Both. qui ordinat, *tibi hod. ego hic scio adf.* ab uno Codd. Bent. abest *hic*; a vet. Lindenbr. utrumque, *hic ego*. — *Cum nuntio*. Scilicet servulum miserat Clinia, ad arcessendam virginem ex urbe. Cf. infra, 191. — *Tibi*, refer ad *adfuturam*.

177. *Proin tu sollicit.* Guelf. 1, *proin opinionem*. — *Quæ te excruciat, mittas*. Guelf, 2, *quæ quemquam excruciet omittas*. Dant etiam *omittas* Br. Guelf. 1, Antesign. — *Falsam*, falso conceptam. — *Quæ te excruciat*. De hac sollicitudine, quæ fuerit Cliniæ, vid. infra 231, sqq. — *Mittas*, depellas animo tuo.

178. *Quicum*, pro *quocum*. — Satis magna erat causa, quæ Chremetem ad convivas properantem moraretur. Argumenti enim intererat, sciri adventum Cliniæ, antequam ingrederetur. Itaque Clitipho, ut hoc nuntiaret ei, egressus erat, neque potuit negligere occasionem Chremes, quin filium hoc exemplo ad virtutem cohortaretur : aliorum scilicet rebus intentus, suarum sedulo ignarus. Quod ipsum est εἰκονομαχόν. Quid? Quod ante cœnam omnia illa geri debebant, quæ actum secundum constituunt. Quæ moræ, scilicet plurimum ra-

CLIT. Pater adest, quem volui. Adibo. Pater, opportune advenis.
CHR. Quid id est? CLIT. Hunc Menedemum nostin' nostrum vicinum? CHR. Probe.
CLIT. Huic filium scis esse? CHR. Audivi esse in Asia. CLIT. Non est, pater;
Apud nos est. CHR. Quid ais? CLIT. Advenientem, e navi egredientem illico
Abduxi ad cœnam : nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia
Fuit semper familiaritas. CHR. Voluptatem magnam nuntias.

tionis, adeoque necessitatis habent. Quo enim differentur ista? *Bœclerus.*

179. *Quem volui*, sub. *adesse.*

180. *Quid id est.* West. credit τὸ *id* additum, ob metrum, quod præterea adnotat deesse in trib. Leid. — *Probe.* Vocem hanc Erasmus rejicit in versum sequentem. — *Quid id est*, propter quod tempestive accedo? — *Probe.* Apprime novi eum.

181, *Audivi esse in Asia.* Antesign. *Audivi in Asia esse.* Nos post Zeun. Perl. Valp. *Audivi esse in Asia.* Both. *Audivi, in Asia eum sese.* In lib. antiq. deest *esse.* Bentl. proponit legi et distingui *Audivi esse* : Clit. *In As. n. e. p.* — *Audivi eses in Asia.* Cf. supr. 117, ubi hoc ex patre illius jam Chremes audivit. — *Non est*, sub. in Asia.

182. *Advenientem, e navi egred.* Mur. *venientem e n. egred. add. illico*, rejecto *apud* in finem versus præcedentis : e quo etiam tollit *est* post *Asia.* — *Apud nos.* In ædibus nostris. — *Quid ais?* Interrogat id quod audivit, mirabundus, neque facile credens. Non est interrogantis, sed admirantis. *Calph.*

183. *Abduxi.* Lib. antiq. *adduxi.* — *Magna cum eo jam*, etc. Bentl. notat, quatuor ex vetustioribus suis non habere *magna*, et approbat. Delet quoque Bothius.—*A pueritia.* Alii, *a pueris*, quod placet Georg. Fabric. — *Abduxi*, e littore ubi mox appulerat. — *Nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia.* « Semper ex hac ætate quæ est pueritia. » *Inde*, ponitur quasi nuntiaturum *a pueritia*, et est prope expletivum.

184. Post hunc versum sequitur in utroque cod. Goth. versus, quem inscribimus 192, *Quid narrat*, etc. Confuse tamen, ut opinor, quum hic inconvenientius abruptus, illic positus aptius videatur. Sed et West. notat integrum hunc vs. in Mark. esse ante vs. 185 collocatum. Etiam itid. invenio in uno Guelf. *Perl.* — *Voluptatem magnam nuntias*, mihi, cui Menedemi dolorem levare cordi est.

Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie, amplius :
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus objicerem ei domi.
Atque etiam nunc tempus est. CLIT. Cave faxis; non est opus, pater.
CHR. Quapropter? CLIT. Quia enim incertum 'st etiam, quid se faciat; modo venit;
Timet omnia, patris iram, et animum amicæ se erga ut sit suæ.
Eam misere amat; propter eam hæc turba atque abitio evenit. CHR. Scio.
CLIT. Nunc servolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.
CHR. Quid narrat? CLIT. Quid ille? Miserum se esse. CLIT. Miserum? Quem minus credere 'st?

185. *Esset hodie.* Mur. *hodie esset.* Τὸ *hodie* ejicit Guyet. nec agnoscit Nonius Marcellus; repudiant item Br. Bent. Both. perperam, ut putat Perletus. — *Amplius*, pro *denuo*, *iterum*. Proponit Juvenc. « Invitatum præter alios invitatos : vel, justiori, quam unquam ante, hac de causa. »

186. *Primus.* Alii *primum*, mendose. *Perl.* — *Objicerem ei domi.* Abest *ei* a Bip. Both.

187. *Nunc tempus est.* Glarean. *tempus nunc est.* Reponendum monet Bent. *nunc satis tempori 'st.* Sequitur Both. — *Non est opus, pater.* Both. delet *est.* — *Atque*, αὐξητικὸν, pro *immo*. P. — *etiam*, adhuc. — *Tempus est*, denuo et vividius invitandi. — *Non est opus* Menedemum invitari.

188. *Incertum 'st etiam.* Schmied. omittit *etiam* male. — *Quid se faciat.* C. G. m. et præterea Mss. quidam et impressi *quid de se faciat.* — *Quia enim.* Ponitur *enim*, pro *videlicet*. Sic Plautus, in Truc. II, II, 11. — *Incertum 'st etiam quid se faciat.* Incertum est quid Clinia faciat de se; quo se vertat; quid capiat consilii.

189. *Et animum*, etc. « Et timet quomodo sit affectus animus Antiphilæ erga se. » Per Hellenismum sæpius notatum, dixit : *Timet animum, ut sit*, pro *timet ut sit animus.*

190. *Turba.* Guelf. 2, *turbatio.* — *Misere.* Vehementer. — *Hæc turba.* Hæc discordia inter eum et patrem — *Abitio*, profectio in Asiam.

191. *Nunc serv. ad eam in urb. misit.* Ergo in suburbano scena fuit. *West.* — *Nostrum*, servum ex nostra familia.

192. *Miserum se esse* Alii, *se miserum esse.* — CHR. *Miserum? quem*

Quid reliqui 'st, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?

Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:

Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.

Clit. Immo ille fuit senex importunus semper; et nunc nil magis

minus credere 'st? Br. habet, *miserum m. c. est?* — *Quid narrat?* Quid novi refert Menedemi filius? — *Quid ille*, supple: « Quæris, quid narrat? » — *Quem minus credere est*, supp. Miserum; sc. quam Cliniam. Aut sic: Quis minus miser credi, quam ille debet? Hanc locutionem, *credere est*, quæ idem sonat ac *licet credere*, Westerh. pro Hellenismo habet, cujusmodi obveniat Adelph. 832; et Virg. Bucol. Eclog. X, vs. 46: « Nec *sit* mihi *credere* tantum. »

193. *Quid reliqui 'st.* Guelf. 1, *q. reliquum est;* haud male. *Both.* — Ms. Lips. Bodl. Br. Guelf. 1, Ed. prima, Ed. Tarv. Ed. Ven. prim. *esse in homine.* — *Quid reliqui 'st, quin habeat.* Quid deest, ut non habeat? Interrogando negat, quasi diceret, nihil est ut non habeat, sc. omnia adsunt ut habeat. — *Quæ quidem*, quæ certe. — *In homine*, scilicet in quolibet homine, si quis homo ea possideat.

194. *Divitias.* Gov. et hic et And. 999, *ditias* legendum esse contendit, ut scilicet durior elisio evitetur. *West.* Ita quoque Par. — *Parentes*, etc. Eadem fere bona Horatius etiam enumerat, I, Epist. IV, 9, sqq.; ubi Tibullo omnia fortunæ munera gratulatur.

195. *Atque h. per.* Bothius credit *atque* poni, invita prorsus sententia, et legit *at hæc.* — *Animus, qui.* Br. *Animus est qui.* — *Atque*, attamen, nihilominus. Hæc significatio rarius occurrit, et est quam Græci vocant ἐπανόρθωσιν. — *Perinde sunt, ut illius animus*, etc. Sunt talia qualis est animus ejus qui ea possidet. I. e. bona, vel mala; grata aut ingrata. Quia scilicet externorum bonorum fructus ab animo pendet. — Ad hunc locum citat Farnabius, Aristot. Ethic. Nicom. lib. I, cap. 4, 5, 6, et interpretes ipsius; Sen. Epist. 71, 74, 76; Boët. I, III, 1; Apul. de Deo Socratis.

196. *Qui uti scit*, etc. Versus hic præcedentem explicat.

197. *Immo ille fuit sen. imp.* Both. *Immo imp. semp. f. sen. il.* — Abest *ille* a quibusdam. — *Immo.* Particula hæc est in eo loco adversativa. Clinia scilicet respondet patri qui modo dixit: *Quem minus credere est miserum?* — *Importunus semper.* Austerus, acerbus. Explicat Farnabius, quasi *portu*, i. e. quiete, carens, sibi et aliis molestus et inquietus. Vid. Andr. vs. 231.

Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.

CHR. Illene? Sed reprimam me : nam in metu esse hunc, illi est utile.

CLIT. Quid tute tecum? CHR. Dicam : ut ut erat, mansum tamen oportuit.

Fortasse aliquantum iniquior erat præter ejus lubidinem;

Pateretur : nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?

Et quod illum insimulant durum, id non est : nam parentum injuriæ

198. *Plus satis*, Asperius justo; plusquam sit satis acerbum. — *Pater* est nominativus casus, et sic refertur ad Menedemum; vel est vocativus casus, ut nos accipimus, et refertur ad Chremetem.

199. *Nam in metu esse hunc.* Both. *Nam metuisse hunc.* — *Ille ne.* I. e. dicis te timere ne senex faciat aliquid in illum! — *Sed reprimam me*, etc. Scilicet, non ostendendo ejus patris teneritudinem in eum. Hæc submissa voce protulit, ne audiret filius. — *Hunc*, filium. — *Illi*, patri. Sic Chremes defendit auctoritatem patrum, exigitque filiorum officia.

200. *Quid tute tecum?* Mss. quidam et editi : *Quid tu tecum?* — *Ut ut erat.* Bœnd. addit *pater.* — *Quid tute tecum*, sub. *ais submisse.* Interrogat filius, quia pater seorsum dixerat, *reprimam me.* — *Dicam.* Scilicet explicat in hoc ipso versu. — *Ut ut erat.* Qualiscumque fuit pater, tamen oportuit ejus indolem ferre. — *Mansum*, pro *mansisse.* Syntaxi Terentiana. Vid. infra, 247. — *Oportuit.* Tuetur patrum partes, qui omnino a filiis sunt tolerandi.

201. *Aliquantum.* Sic lib. Bemb. Valp. Sed in antiq. in Br. Both. et Bip. *aliquanto.* Alii *aliquando.* — *Præter ej. lubid.* Quidam codices, *propter*, etc. — *Iniquior.* Severior. vid. hunc sensum, Hecyr. 490. — *Præter ejus lubidinem.* Contra filii voluntatem.

202. *Non ferret.* Bœnd. *non fert.* — *Pateretur*, pro *pati debebat;* ut *faceres* sæpe pro, *facere debuisses.*

203. *Hunccine.* Scil. Cliniam. — *Erat æquum.* Ab æquo suscipit paternam defensionem. *Calp.*—Simili sententia Plaut. Cas. II, III, 45: « Illum mihi æquius est, quam me illi, quæ volo concedere. »

204. *Insimulant.* Sic Bentlei. e Bemb. cod. Recte, ut ait Perletus; scilicet non Clinia solus, sed etiam Clitipho. In antiq. lib. in Valp. Z. Both. *insimulat.*—*Quod.* Quod attinet ad id quod insimulant. — *Durum*, proprie, de patre. Infra 439;

Uniusmodi sunt ferme. Paulo qui est homo tolerabilis,
Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier,
Præbent exigue sumptum; atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.
Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,

Adelph. 64. Ovid. Am. I, II, 17: «Dum fallax servus, *durus* pater.» Menander, «Σκληρὸν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν.» *Farnab.* — *Injuriæ.* Iræ, quæ filiis quidem injuriæ videantur. *Perletus.*

205. *Uniusmodi.* Post Guyetum Bothius legit *hujusmodi*, ex codd. probatiss. — *Uniusmodi ferme sunt.* Ejusdem generis sunt, eodem omnes pertinent ac spectant, nempe ut ad virtutem liberos erudiant. *Juvenc.* — *Paulo qui est homo tolerabilis*, etc. «Si quis homo, i. e. pater, est paulo tolerabilis, i. e. lenior, commodior, et humanior erga filios, si qui sunt, inquam, hujusmodi, illi nolunt filios liberius genio indulgere.» Porro quum de uno dicere cœpisset Terentius, *paulo tolerabilis*, quasi multi essent, postea multitudinis verbum posuit, *nolunt:* quemadmodum sæpius fit apud Latinos. *Juvencius.*

206. *Scort. creb. nolunt.* Mark. et Guelf. 2, pro *nolunt* exhibent *non vult.* Lips. non agnoscit alterum *nolunt*, uti neque Editio prima. *West.* Guelf. 1, *scortari non vult, crebro convivarier.* — *Scortari crebro nolunt*, etc. Vide quam sint tolerabiles illi! Non tam *scortari* nolunt, quam *crebro* tantum *nolunt scortari* filios. *Perl.* — *Scortari*, ut Varro inquit, est *sæpius meretriculam ducere;* quæ meretrix a pelle *scortum* appellatur, quod ut pelliccula subigatur. *Scortes* enim pelles sunt arietinæ; et *scortea*, ut Festus inquit, ut similiter Varro, appellantur omnia ex pellibus facta seu coriis. *Calph.* — *Convivarier*, pro *convivari.* Deponens verbum *convivor*, aut significat celebrare convivium, aut ad convivium invitare, aut etiam frequentare convivia. Nonius etiam dicit inveniri *convivo*, pro *convivor*, pro eo, quod est, ad *convivium invito.* Pomponius Munda exemplum suppeditat: «Si calendis *convivant*, Idibus cœnant foris.» *Calph.*

207. *Atque hæc sunt tamen*, etc. Alii, *Et ea sunt tamen.*—*Præbent exigue sumptum.* Parce impensas suppeditant. — *Hæc omnia.* Sc. quod nolint filios crebro scortari, exigue sumptum præbent. — *Sunt ad virtutem*, efficiuntur a patribus, ut alant virtutem in filiis.

208. *Verum ubi animus.* Alii, quos inter Bothius; *ver. anim. ubi.* — *Verum ubi animus*, etc. Sententia est: «Etenim quum adolescens aliquis irretitus est mala cupiditate, et ejus consuetudine implicatus, necesse est ut vita omnis, actiones, consilia inquinentur hac mala ejus libidine, eamque redoleant, ex ea ut rivuli turpes ex inquinato fonte consequantur.» Ita probat recte facere patres, qui liberorum cupiditates malas severe comprimant. *Juvenc.*

Necesse est, Clitipho, consilia sequi consimilia. Hoc
Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu
siet.
CLIT. Ita credo. CHR. Ego ibo hinc intro, ut videam nobis cœnæ quid siet.
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius.

209. *Consilia sequi.* Sic C. G. m. Hæc fere unica lectio; qua simul impeditur, ne auris syllaba *conse*, *consi* ter deinceps audita percutiatur; quod fit lectione vulgari. Nisi quis id ipsum comicum esse putaverit. *Perl.* Quem sequimur. Alii scilicet, *consilia consequi.*

210. *Hoc scitum est.* Optima occasione senex, dum aliorum mores et facta demonstrat, occasionem filii corrigendi reperit, ut moneret. Hoc est prudenter factum. Et sensus est: « Elegans et egregia sententia est. » — *Periculum facere quod siet ex usu.* Tentare quod tibi prosit. — *Ex aliis.* Ex aliorum eventu. Simile est illud Menandri: βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά; et cf. Adelph. 417. — Repetitur, sententia μιμητικῶς, paulo infra, vs. 221; et cum ἐξεργασίᾳ memorabili, Adelph. 415: «Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.» Quæ paulo infra ridicule detorquentur, vs. 429, sqq. «Postremo, tanquam in speculum in patinas, Demea, Inspicere jubeo, et moneo quid facto usus siet. Citat Farnab. Tibulli lib. III, Eleg 7, 11: « Felix quicumque dolor Alterius disces posse carere tuo. » Vid. cæt. Ed. nostr. Tibulli, p. 234.

211. *Nob. cœnæ quid siet.* Alii disponunt, *Nob. quid c. siet; cœn. quid nob. siet.* — Guyetus reponit, *Nobis quid in cœnam siet.* — *Ita credo.* Arbitror esse ut dicis. — *Ibo hinc intro.* Ex hoc loco ubi sumus, in meam domum. — *Nobis cœnæ quid siet.* Quid nobis ad cœnam paratum sit.

212. *Tu, ut tempus est diei*, etc. Quæritur a plurimis litteratorum, cur Chremes non statim secum Clitiphonem ad cœnam abduxerit, cujus tempus, sub scenæ superioris finem adesse, jam dixerat? Dacieria haud male conjicit, quum ante cœnam hanc fuerint sacra quædam facienda, et forte etiam cum convivis æqualibus confabulandum, patrem noluisse his rebus interesse filium. *Zeun.* — *Ut tempus est diei.* «Prout hora diei postulat.» Vid. 168. Post hæc dicta, abit Chremes. — Ad hæc verba Eugraphius notat, nimis forsan argute: « *Tempus* non solum summum est, sed et pars partis est; sicuti hic posuit *diei tempus*, quum *temporis dies* esse videatur. » — Ultimus hic versus Actum nequaquam claudere, et cenam sequentem desiderare videtur, ut statim indicamus.

SCENA TERTIA.*

CLITIPHO.

Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices!
Qui æquum esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes;
Neque illarum adfines esse rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua lubidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.

* In plerisque Editt. incipit ad hanc scenam actus secundus. Quod quidem male divisum esse arbitramur cum interprete Gallico *Lemonnier*. Chremes scilicet abit, postquam filium monuerit. Restat autem filius, et secum reputat de iis quæ dixit pater. Hæc optime et ad naturam fiunt; dum contra, Clitiphonis soliloquium, nequaquam verisimile videbitur, si nimium discriminetur ab exhortatione quæ ei dedit originem.

213, sqq. De Cliniæ amore hactenus satis multa Menedemus pater, et postea Clitipho dixerunt: nunc indicanda est altera pars argumenti, nempe ipsius Clitiphonis amor. *Bœcler.*

214. *Nos jam a pueris.* Faernus notat nec Bemb. nec plerosque alios habere particulam *jam;* quam quidem Bentl. pronuntiat non posse sine detrimento abesse. — *A pueris.* Cf. Adelph. 495. — *Senes.* Notat Eugraphius: « Qui arbitrantur justum esse in pueritia cum moribus senum nasci. » Contra Plutarch. οὐδὲ γὰρ, inquit, τοὺς πατέρας ἔγωγε ἀξιῶ τελέως ἠλιθίους . . . ἑαυτοὺς ἀναμιμνήσκειν, ὅτι ἐγένοντο νέοι. Vid. illum de Educ. pueror. c. 17.

215. *Esse rerum.* Alii *rerum esse.* — *Quas fert.* Ms. Paris. ap. Par. *sinit.* — *Illarum rerum.* Adnotat Dacieria, quum veteres plurali uterentur, *illas res, illarum rerum*, semper eos habuisse in animo, *res amatorias.* Approbat doctissima mulier τὸ *adfines,* quod idem fere sonat hoc sensu, quod Græcorum συγγενής. — Intellige, *participes harum rerum, dediti his rebus.*

216. *Ex sua lubidine,* etc. Guyetus, præter fidem codicum, versum hunc insititium vocat. *West.* — *Nunc quæ est.* Alii, *quæ est nunc.* — *Ex sua libidine moderantur „* etc. Modum imponunt adolescentibus de moribus suis quos nunc habent, non quos in adolescentia habuerunt. *Eugraph.* — *Lubidine.* Est *Lubido* quæque voluntas temere suscepta. Apud Sallustium tamen, Catil. 7, in bonam partem capitur, « Magisque in decoris armis, et

Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre.
Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus;
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perii! is mî, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!
Nunc ait: «periclum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.»
Astutus! næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.

militaribus equis, quam in scortis et conviviis *lubidinem* habebant.» — *Nunc quæ est.* Huic illud contrarium, quod dicit Simo, in Andr. vs. 186, sqq. «Sed nunc ea me exquirere, Iniqui patris est, etc.» *Eugraph.*

217. *Næ ille facili*, etc. Mark. *Me ille facillime utetur pat.* Ms. Lips. *næ ille facillime utet p.* C. G. m. *facillimo.* Br. *Mihin' si unq. f. erit, ne ille facillime uteretur patre?* — *Næ.* Sine dubio. — *Facili me utetur patre.* Experietur me patrem benignum et mitem.

218. *Peccati.* Mss. quid. et editi antiquiss. *peccatis.* Ita et Lindenbr. — *Nam et cognoscendi*, etc. Namque ea facultas semper ei dabitur a me, ut sua mihi peccata committat, et inveniat me illis ignoscentem.

219. *Non ut meus.* Anacoluthum. Inserendum enim erat, *non ut ego meo*, sub. *patre utor.* Westerh. — *Per' alium.* Supra vs. 210, voluit Chremes filium admonitum ex aliorum exemplis.

220. *Perii*, etc. Both. *Perii, si mî ubi.* Guyet. versum hunc expungit, sed merito indignante Bœclero, quem sibi cæteroquin passim habet obsequentem. *West.* — *Perii!* Perditus sum præ nimia ejus importunitate. — *Adbibit.* Ἀόξατικὸν est τὸ *ad.* Itidem Plaut. Stich. II, II, 58. Imitatus Gellius II, 22: «Quia plus paulo adbibi.» — *Plus paulo.* Paulo largius.— «Nullam occasionem prætermisit poeta, quin demonstraret corruptæ educationis Atticæ vitia, et ex suis causis atque originibus requireret.» *Bœclerus.*

221. *Periclum.* Adnotat Faern. rationem octonarii sic exigere *periclum*, ut et in lib. Bembino est.—Br. expungit, *facito tibi quid.* Reponit Bent. *quid*, pro *quod.* Denique hic versus anteit præcedenti in Guelf. 1. — *Nunc ait: periclum*, etc. Μίμησις, recitantis sententiam patris sui. *Farn.*

222. Guelf. 1, *Narrat*, omisso *mihi.* — *Astutus!* Vere cautus est. Dicit hoc per sarcasmum. Andr. 183. Ab *astu* videlicet, quod urbem denotat, callidiores homines denotantur; quippe rustici sunt simpliciores. — *Quam mihi nunc surdo*, etc. «Certe ille non intelligit, quam ad ejus sermonem surdus sim, quasi fabulam narret.» — *Fabulæ* dicuntur res, quæ, veluti parum dignæ auditu, contemnuntur.

Magis nunc me amicæ dicta stimulant : « da mihi, atque, adfer mihi. »
Cui quod respondeam, nihil habeo : neque me quisquam est miserior.
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.

223. *Nunc*, quum amicam possideo. — *Magis me amicæ dicta stimulant.* Quanto plus a liberis amicarum fiant verba quam parentum, docet pastor apud Theocritum, Idyll. IX : « Τοῦ δὶ θέρους φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μαλεδαίνω, Ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν. » Itidem Propert. « Amor surdis auribus esse solet. » Optime ad hunc locum referuntur, quæ cecinit in Arte sua nostras Boileau, *Art poétique, Chant.* III, vs. 415, sq.

Contemples de quel air un père dans Térence
Vient d'un fils amoureux gourmander l'imprudence ;
De quel air cet amant écoute ses leçons,
Et court chez sa maîtresse oublier ces chansons.
Ce n'est pas un portrait, etc. »

— *Da mihi*, munus hoc. — *Adfer mihi*, aliquid novi.

224. *Cui quod*, etc. Aliquot exhibent : *cui quid.* Both. legit *Cui, quod respondeam, nihil habebo.* — *Neque.* Dat *nec* Guelf. 3. — *Cui quod respondeam*, etc. Ostendit inopiam. Nec enim habet vel quod respondeat vel quod det. *Perlet.*

225. *Nam hic*, etc. Vulg. *Nam Clinia hic, etsi is suarum rerum.* — *Sat agit.* Sosipater Grammaticus *satis agitat* legit. Bent. *sat agitat.* G. M. habet, *sat agit, at tamen.* — *Hic*, de quo plurimus sermo versatur. — *Suarum rerum sat agit.* Satis est occupatus rebus suis. *Westerh.* Quod Græci dicerent πολυπραγμονεῖν, ἀγονιᾷν.

226. *Habet bene ac pudice*, etc. Both. legit, *Pudice eductam et artis habet ignaram meretriciæ.* — *Bene ac pudice eductam.* Vid. Andr. 174, pag. 43. Quod nos *educare* dicimus, antiqui *educere* dixerunt. *Calph.* Sic Virg. Æneid. VIII, 44 : « Parvos *educere* gnatos. » — *Bene* et *pudice* videas sæpe conjungi cum *educere, educare.* Plaut. Cistellar. I, III, 24, 25 : « *Educavit* eam sibi pro filia, *Bene ac pudice.* »

227. *Mea est potens.* Proponit Bent. *Mea'st petax, procax.* — *Potens.* Guy. volebat *patens.* — *Potens.* Amatori imperans. Horat. Od. I, III, 1. *Perl.* — *Procax.* Dicitur *procax* ab assidue poscendo. *West.* Verbum enim est antiquum *procare*, idem quod *poscere.* Hecyr. 159. Hic ergo *procax* intellige, petax, despoliatrix. — *Magnifica*, se magnifice gerens in omnibus, quoad supellectilem, vestes et convivia. Confirmatur illud infra, vs. 449. — *Sumptuosa.* Multa impendens, et propterea multa petens. Vid. infra 450, sqq. — *Nobilis.* Spectata

Tum quod dem ei . . . recte est: nam nihil esse mihi religio 'st dicere.

Hoc ego mali non pridem inveni, neque etiam dum scit pater.

et insignis. — Vel etiam, potest intelligi *insignis* in malam partem, id est, multis nota, quia videlicet frequentes habeat amatores quibuscum familiariter admodum degit. *Calphurnius.*

228. *Tum.* « Fortasse, *dum.* » Lenzius. Construit Both. *Tum, quod dem, . . . recte est* (« *nihil* » *enim esse, religio est mihi dicere.*) — *Nam nihil*, etc. *Nihil quidem esse.* Guelf. 1. — *Tum quod dem ei . . . recte est.* Post *tum quod dem ei*, constituitur ἀποσιώπησις, ut voluerit absolvere, *tum quod dem ei, nihil est mihi;* quum tamen necesse sit, multum accipere talem meretricem. Sed reprehendit sermonem, nec absolvit : interjecta correctionis formula : *Recte est;* quasi diceret : « Sed quid dicere volui? Religio mihi est, ac debet esse ominis vitandi causa, dicere, *nihil mihi esse.* — Illud *recte est*, ita usurpari, ut dictum est, vel hæc exempla doceant. Heaut. 518 : « Chr. Quid tu istic? Syr. *Recte quidem.* » Pro *nihil est.* Hecyr. 360 : « Sostr. *Quid es tam tristis.* Pamp. *Recte* mater. » Pro *nihil est doloris.* Paulo infra, vs. 518; et Adelph. 657 : « Mic. Quid est.? Æsch. Nil. *Recte.* Perge. » — Ergo sic dicitur, quum aliquid reticemus. Et totum illud sic fere poteris gallice vertere : « Cependant, pour lui donner je n'ai . . . . . Mais non : je n'ose même pas me dire que je n'ai pas le sou. » — Novam hanc omnino interpretationem desumpsimus e Bœclero totam, et ea est, nostro judicio, quæ veram Terentii sententiam repræsentat. Alii intelligunt propemodum ut Juvencius, qui adnotat : « Nihil est mihi præter voces obsequii plenas, *recte*, *benigne;* pro donis quæ petit, do illi bona verba, respondeo illi unum, *recte.* » — *Nihil esse mihi religio 'st dicere.* « Superstitioso quodam metu impedior, ne confitear mihi nil esse quod ei dem. » Sperat enim, more amatorum, se alicunde pecunias inventurum.

229. *Hoc mali.* Sc. amorem. Potest etiam intelligi de ipsa Bacchide. — *Neque etiam dum.* Et nondum etiam.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

CLINIA. CLITIPHO.

CLIN. Si mihi secundæ res de amore meo essent, jam dudum, scio,
Venissent; sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exangeant.

230. *Si mihi secundæ*, etc. Ordinat Both. *Secundæ si de amore meo, res mĭ essent, jamdudum, scio.* — *Si mihi*, etc. Clinia, plenus desiderii et curarum, ex domo Chremetis progreditur, si redeuntes servos et amicam adventantem possit conspicere. Clitipho (quoniam hinc novum actum orsi sumus, v. s. p. 34:) egressum consequitur, nomine vocat, monetque, ut in his locis caute obversetur, unde a familiaribus patris seu Menedemi conspici posset. Sin præcedenti scena actus inchoatur, inter querelam Clitiphonis egressus Clinia, nominatim ab eo inclamatur, atque cavere jubetur, sicut dictum est. Est autem oratio Cliniæ, qualem gignit desiderium et suspicio; quæ omnia in pejorem partem conjectare solent. *Bæcl.* — *Res de amore meo.* Res, quæ ad amorem meum spectant. — *Secundæ essent*, prospere se haberent.

231. *Venissent.* Bent. reponendum putat *venisset.* Both. legit *venisset; sed v. n. mulier, me absente hinc, c. s.* — *Venissent.* Mulier et servus. Vid. supr. 191. — *Hic.* Sc. Athenis, ubi magna hominum multitudo est, luxuria diffluentium. — *Corrupta sit.* Alium amatorem acceperit.

232. *Concurrunt m. op.* Bent. reponendum monet, *C. m. opinionem hanc quæ mihi animo exaugeant.* — *Exangeant.* Alii bene multi, *exaugeant.* — *Opiniones quæ*, etc. Legit Both. *opinionem quæ mĭ hanc nimium exaugeant.* — *Exangeant*, pro *exangant.* (Torqueant.) Sic veteres loquebantur. *Claudeo*, pro *claudo; viveo*, pro *vivo; diceo*, pro *dico.* Nævius:

Occasio, locus, ætas, mater, cujus sub imperio 'st, mala.
Cui nil jam præter pretium dulce est. CLIT. Clinia! CLIN. Hei, misero mihi!
CLIT. Etiam caves, ne videat forte hic te a patre aliquis exiens?
CLIN. Faciam; sed nescio quid profecto mî animus præsagit mali.
CLIT. Pergin' istuc prius dijudicare, quam scias, quid rei siet?
CLIN. Si nil mali esset, jam hic adesset. CLIT. Jam aderit. CLIN. Quando istuc jam erit?

« Tibi dum *vivebo*, fidelis ero. » Idem : « Primum quod *dicebo*, recte. Secundum quod *dicebo*, eo melius : » *Ed. Delph.* — *Exaugeant* significationem obscuram præbet.

233. *Occasio, locus.* — Alii *locus, occasio*, ... *sub imperio cujus est, m.* — *Occasio, locus*, etc. Sic notat singula; scilicet, per *occasionem*, solitudinem Antiphilæ, utpote amantibus aptam; per *locum*, Athenas, urbem perditissimis moribus; deinde *ætas* ita dicit uti Chrysis de Glycerio, Andr. 286. — *Mater*, quippe quæ non vera (infra 270), sed putabatur tantum *mater*, etc. Cf. Heautont. 663. — *Cujus sub imperio.* Cf. infra 276, sq.; *Mala.* Ita dici ab amatore non mirum, qui anum oderit *avaram*, et ideo ad id propensam ut vendat puellam. (Juvenal. Sat. VI, 20. Tibull. II, IV.) *Perletus.*

234. *Jam.* Quasi esset, *jamdudum.* — *Hei misero mihi.* Alludit ad anxietates animi sui.

235. *Caves.* C. G. m. *cave.* Ita quoque Edit. Tarv. et Med. — *Ne vid. fort. hic.* Lib. antiq. inter quos Antesign. *Hinc.* — *A patre.* Abest præpositio *a* Guelf. 2. — *Etiam caves.* Quin autem caves? Anne etiam monendus es ut caveas. *Juv.* — *Hic*, in loco ubi sumus. — *A patre*, e domo Menedemi, tui patris.

236. *Mi anim.* etc. Valp. *mihi an.* — *Faciam*, cavebo.

237. *Quam scias.* Sic nos post Lips. Br. Bóth. Perl. Alii, Antesign. Z. Valp. *quam scis.* — *Quid rei siet.* Sic emendavit felicissime Guyetus, pro *quid veri siet*, quod vulgo exhibetur. Both. *Quid re siet.* — *Pergin' istuc*, etc. Perseveras ante hoc quasi certo judicio statuere, quam scias, quid in vero sit.

238. *Jam hic adesset. . . jam aderit.* Sic Bentleii codices omnes; sequentibus Bothio et Dacieria. Sequitur item Perletus, et adnotat : « Probe. De sola namque amica sollicitus est amator, non de servulis qui arcessitum eam missi erant. » Vulgo, *Jam hic adessent. . . jam aderunt.* — *Quando istuc jam erit.* Sic vulgatum, *quando istuc erit*, corrigit ex Bentleio Perletus, addito

CLIT. Non cogitas hinc longule esse? Et nosti mores mulierum :
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est. CLIN. O Clitipho,
Timeo. CLIT. Respira. Eccum Dromonem cum Syro una: adsunt tibi.

jam. — *Si nil mali esset.* Angitur suspicione illa, vs. 231. — *Jam hic adesset*, sc. Antiphila. — *Quando istuc jam erit?* Quando id quod tu dicis, eveniet? Et *jam* vox est impatientis.

239. *Longule esse.* Antesign. *longius abesse.* Sic Br. Pall. et Ed. Med: Tarv. — *Nosti mores mulierum.* Alii interrogant, *nostin' mores mulierum?* Quæ lectio verior videtur Westerhovio, quia interrogatio præcesserat. — *Hinc longule.* Procul ab eo loco unde veniunt, ad Chremetis domum.

240. *Dum moliuntur.* Antesign. notat quosdam legere *molliuntur.* Et quidam commentator, nomine Colvius, ita legendum esse contendit apud Plautum, Trucul. II, II, 54 : «Molliendis rem coegit.» Alii, *molendis*, passive, a *molere*, quod admittit Lindenbrog. et contendit esse significatu turpi. Merito autem vapulat a Barthio, Advers. XII, 10. Alii denique *muniendis.* — *Dum comuntur.* Sic Antesign. Par. We. Mur. Perl. Valp. codicum auctoritate muniti. Alii, sed pauci, *comantur.* De his autem interest scire quod notat Muretus, «Vetustiores *comare* dixisse, ubi posteri *comere.*» Hal. et Goth. et Zeun. et Both. *conantur.* Iid. Edd. Bent. Faerni; sed omnino est *comere* mulierum, *conari* magis virorum. Indicat denique, quasi obiter, Bentleius, *dum cunctantur.* — *Dum moliuntur.* Dum surgunt, movent se, promovent, apparant, nugantur. — Vult Bœclerus subaudi *quid rerum*, et intelligi : «dum moliuntur seu cum quodam labore apparant ea, quæ sibi ad eundum necessaria credunt.» — *Dum comuntur.* Dum ornant comas. — *Annus est.* Totus annus abit. Hyperbolice dictum, ut Eunuch. vs. 732 : *Ætatem.* Cæterum de eadem cunctatione mulierum, cf. Plaut. Mil. IV, VII, 9. *Perl.* — Cf. et idem Comicus, Stich. V, IV, 19.

241. *Ecc. Drom. cum Syr. una : adsunt t.* Hanc distinctionem recepit Perletus ex Bentleio. Br. *una adsunt, tibi.* Sed plures interpungunt, *Ecc. Br. cum Syro, una ads. tibi.* — *Timeo*, «ne quid mali sit.» Et hoc mali intelligit quod innuerat, vs. 231; ut jam indicavimus. — *Respira.* Quasi diceret : «spiritum tuum, qui præ metu compressus erat, liberius emitte.» I. e. animum recipe. — *Dromonem cum Syro.* Ambo hi servi una missi, una reversi sunt. — *Adsunt tibi.* Adsunt tibi percupienti, et in tuam exspectationem.

SCENA SECUNDA.

SYRUS. DROMO. CLINIA. CLITIPHO.

Syr. Ain' tu? Drom. Sic est. Syr. Verum interea dum sermones cædimus,
Illæ sunt relictæ. Clit. Mulier tibi adest, audin' Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum et video et valeo, Clitipho.
Drom. Minime mirum, adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum. Clin. Perii! unde illi sunt ancillæ? Clit. Men' rogas?

242. *Dum serm. cædimus.* Sic legunt plurimi, et ipse Antesignanus; qui tamen contendit depravate id legi, pro *serimus*, quod exhibent quidam.—*Ain' tu.* Prosequitur Dromonem Syrus in eundo; et servi ex abrupto colloquuntur, tanquam pergentes in incepto colloquio, quod ultro citroque in via conferebant. *Calph.* — *Dum sermones cædimus.* H. e. dum alternis loquimur. Ex ore servili. Græcos item dixisse κόπτειν λόγους auctor est Priscianus. *Perl.*

243. *Illæ sunt relictæ.* Scil. Antiphila et Bacchis, una cum turba ancillarum. *Perl.* — *Mulier tibi adest.* Sc. amica tua.

244. *Et video et val.* Pro *video* reponendum monet Bent. *vivo.* Improbat Both. — *Ego vero audio*, etc. « Ad me ipsum redeo », quasi diceret: « jam mei sensus suum mihi reddunt auxilium. »

245. Drom. *Minime mirum*, etc. Alii, ex quibus Bent. Both. Zeun. hæc verba Syro tribuunt; sed melius est dare Dromoni, ut hic Syri ultimis respondeat verbis, *Illæ sunt relictæ.* — *Minime mirum*, sc. si relictæ sunt. Respondet Syro, omissis verbis quæ dicunt seorsum et Clinia et Clitipho. — *Impeditæ sunt*, sc. ipso ancillarum grege, tum vestibus pretiosis. *West.* Præterea, ut adnotat Lindenbr. indecorum olim matronis videbatur, sine comite in publicum prodire.

246. *Perii! unde illi*, etc. Hæc dicit Clinia intuens Clitiphonem. Scilicet Antiphilæ esse gregem illarum suspicatur, quæ meretricis sunt. Quo quidem errore Cliniæ crescit suspicio, quam retulimus, corruptam esse Antiphilam. Hic autem error inductus est, ad demonstrandam ex comparatione Antiphilæ innocentiam. —*Men' rogas.* Ita Clitipho, quasi nesciat; sed se haud nescire, patet ex sup. l. 227.

SYR. Non oportuit relictas. Portant quid rerum? CLIN. Hei mihi!

SYR. Aurum, vestem; et vesperascit, et non noverunt viam.

Factum a nobis stulte est. Abi dum tu, Dromo, illis obviam.

Propera! Quid stas? CLIN. Væ misero mihi, quanta de spe decidi?

CLIT. Quid istuc? Quæ res te sollicitat autem? CLIN. Rogitas, quid siet?

Viden' tu? Ancillas, aurum, vestem, quam ego cum una ancillula

247. *Portant quid rerum!* Legit affirmative Bothius, *quod rerum*, et explicat, nulla admissa interpunctione post *relictas*, «ob id rerum quod portant.» Cum puncto legit Antesign. *quid rerum.* Nos signum exclamationis damus post Bip. Perl. Valp. Interrogant Muret. Zeun. — *Quid rerum!* «Quam multas res et magnas!» Animadvertendum est servos, quasi soli sint, sermone suo intermixto non desistere.

248. *Aurum, vestem.* Sc. *portant.* Sibi revocandum est esse Bacchidem meretricem *magnificam, sumptuosam*, ut ante dictum fuit vs. 227. — *Auri* vero nomine veniunt ornamenta muliebria. Sunt qui *aurum, vestem* per endyasin dicta putant (ut una res in duas dividatur) pro, *vestibus auro distinctis.* Ego non ita; nam singulæ voces item sejunguntur infra vss. 778, et 894. *Perl.* — *Et vesperascit.* Causa cur non oportuit relictas. Servus quidem fortuito hæc dicit, sed ex artificio poetæ, ad augendam perturbationem Cliniæ. *West.* — *Et non noverunt viam.* Hoc ideo addit, quia ex urbe arcessebantur in suburbanum. Supra, 191. *West.*

249. *Abi dum tu, Dromo.* Ms. Lips. *Abi tu, Dromo, dum.* — *Factum a nobis stulte est*, qui eas comitati non simus. — *Abi dum.* Partic. *dum* abundare videtur, et comicum est in verbis maxime imperativis. *Tursellin.*

250. *Propera.* Dant *propere* Ms. Lips. Bodl. Br. et plerique omnes Bentleii codices. — *De spe.* Alii *spe*, omissa præpos. *de.* — *Quid stas?* Quid cunctaris? — *De spe decidi.* Adnotat Perletus inveniri in Sueton. Oth. v, *spe decidere;* et in T. Liv. XXXVII, 26, *a spe decidere.*

251. *Quid istuc.* Legendum monet Bentl. *qui istuc.* — *Sollicitat.* Guelf. 1, et Ms. Mark. *sollicitant.* — *Quid istuc*, sc. est quod te agitat. — *Autem;* vox est hoc loco, quasi refellentis, et mirantis. Eumdem fere sensum habet, Eunuch. 797, pag. 246.

252. *Viden' tu? Ancillas*, etc. Sic distinguimus ex Faern. Bentl. Perl.

Hic reliqui; unde esse censes? Clit. Vah! Nunc demum intelligo.

Syr. Dî boni, quid turbæ 'st! Ædes nostræ vix capient, scio.

Quid comedent? Quid ebibent? Quid sene erit nostro miserius?

Sed eccos video, quos volebam. Clin. O Jupiter! Ubinam est fides?

Alii interrogant, aut etiam exclamant, (ut Antesign.) post *vestem*. — Guyetus proponit, *viden' ut*. Bothius, *viden'* omisso *tu*.—*Ancillula* abest Guelf. 1; Guelf. 2, habet *ancilla*.— Augendo affectui dividit: *Viden' tu? Ancillas, aurum*, etc., ut ἀποσιώπησις παθητικὴ præcidat sermonem. *Ancillas, aurum, vestem* (repetit ἐν ὑποκρίσει) memorant servi de ea, quam ego hinc abiens cum una ancillula pauperem reliqui. Unde ergo habet hæc, nisi ab amatore novo? *Bæcl.* — Plena est constructio: « Viden' tu? Ea habet ancillas, aurum, vestem, quam ego, etc. » — Si distinguis, ut bene multi Editorum, *viden' tu ancillas, aurum, vestes?* Intellige, « audin' tu, animadvertis, intelligis, ancillas, aurum, vestes memorari a servis? » Aut denique admitti potest Cliniam amore præcipitatum, sibimet ipsi videri eas prospicere, et secum ipso loqui mirabundum.

253. *Unde esse censes*. Sic Mss. et editi vetustiss. omisso *ea*. Ita Z. Both. Perl. Ex nostris, Antesign. tantum et Valp. admittunt.—*Unde esse censes*, sub. *ea*. Intellige, quasi diceret: « a quo novo amatore? » — *Nunc demum intelligo*, quæ res te sollicitet.

254. *Scio*. Verbum illud abest a Guelf. 1. — *Dî boni, quid turbæ est?* Itid. Andr. 745, 746. Ubi videt Syrus Dromonem cum mulieribus appropinquantem, miratur multitudinem comitum. *Juv.*—*Vix capient*, sc. hanc turbam mulierum. — *Scio*, pro certo teneo.

255. *Ebibent*. Guyet. *et bibent*. Guelf. 2, *bibent*. — *Sene*. Alii *seni*. — *Quid comed. quid ebibent?* Quam multum. — *Quid s. erit nostro miser.?* Hoc servus de sene more Terentiano anticipat, quod conquæstum illum infra, vs. 451, sqq. videbimus. *Perl.* — *Sene nostro*, nempe Chremete, quem tanta turba terrefaciet.

256. *Sed eccos video, quos voleb.* Sic collocamus ex Bent. post Both. Perl. Legunt alii ordine inverso, *sed vid. ecc. vol.* — *Eccos*. Ecce illos, sc. Cliniam et Clitiphonem. — *O Jupiter! ubinam est fides?* « Quonam abiit fides mihi data ab Antiphila, fore se amori nostro constantem. » Potest etiam intelligi sensu magis generali: « Ubinam invenietur fides et constantia? » Pergit autem querendo Clinia, donec Antiphilam accurata et longa narratione, infra vs. 269, sqq., exsolverit Syrus.

Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletasti te, Antiphila, et me in his deseruisti malis;
Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus sum obsequens.
Cujus nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra, neque eum potuisse unquam ab hac me expellere.
Quod tamen nunc faciam, tum, quum gratum mî esse potuit, nolui.

257. *Propter te errans.* Quia tua causa patris increpationes abeundo declinavi. — *Interea loci.* In eo rerum statu.

258. *Conlocupl. te, Antiph. et me*, etc. Bothius, ex Mss. et editis quibusdam, *Conlocupl. Antiphila, te et me.* — *Conlocupletasti te.* Andr. 798. — *Me deseruisti*, mei memoriam amisisti.—*In his malis*, dum in exilio, et in erroribus, tui causa, versarer.

259. *Et meo patri minus sum obsequens.* Alterum hoc *sum*; ex iis quos habemus, Antesign. Zeun. Perl. retinent; omittunt Both. Valp. — *Minus*, pro *minime.*

260. *Harum.* Guelf. 2, addit *meretricum.* — *Cujus*, sc. patris. — *Nunc pudet me et miseret. Pudet*, quod minus fuerim obsequens, et admiserim, quorum me pœnitet: *miseret* autem, quod multum laboris in me corrigendo et monendo frustra sumpserit. — Tali loquendi genere, *pudor patris* et *misericordia hujus* in Andria dicuntur, vs. 261, sq.; pag. 43. *Bœclerus.* — *Harum.* Stomachose dicitur. — *Cantabat mihi.* Idem quod *frequenter dicere*, sed *significantius.* Tale est Plautinum illud : « Hoc tibi quotidie canto ut caveas. »

261. *Monuisse frustra.* Reponunt *dolet* ante *monuisse*, Guelf. 1, 3, Br. Ed. Medi Alii *monuisse frustra, dolet.* — *Neque eum potuisse unquam.* Pronomen *eum*, alii omittunt, alii aliter collocant. — *Ab hac.* Guelf. 3, *ab hac re.* — *Monuisse frustra.* Plenius, *me miseret* eum *monuisse frustra.*

262. *Quod tamen nunc faciam, tum, quum.* Mur. *Quod nunc faciam, tamet quum.* In libris quibusdam *q. tandem nunc faciam.* Vulgo legitur *quod tamen nunc.* Bothius, *quod jam nunc fac*, etc. — *Quod tamen*, etc. Adnotandum *quod* regimen esse τοῦ *nolui;* et ordina : *Nolui*, tum quum, etc., illud *quod tamen nunc fac.* — *Quum gratum mî esse potuit.* Quum potuit mihi conciliare gratiam patris mei. Ne vero *gratum* intelligas, jucundum, ut cavendum admonet bene Dacieria.

Nemo est miserior me. SYR. Hic de nostris verbis errat videlicet,
Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis.
Nam et vita 'st eadem, et animus te erga idem ac fuit;
Quantum ex ipsa re conjecturam fecimus.
CLIN. Quid est, obsecro? Nam mihi nunc nil rerum omnium 'st,
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
SYR. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores: anus,
Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit.
Ea obiit mortem. Hoc ipsa in itinere alteræ

263. *Nemo est miserior me.* Both. *me miserior nemo.* — *De nostris verbis.* « Propter nostra verba. » Nam quæ conseruerant verba, non in Antiphilam cadebant, sed in Bacchidem. Ob priorem autem Clinia metuebat. *Perl.* — *Videlicet*, ut *videre licet*, manifeste. — Hæc secum Syrus; vel etiam Dromonem compellans.

264. *Aliter tuum amorem*, etc. De tuo amore, de puella amata, aliter putas quam reipsa est.

265. *Nam et vita 'st eadem*, etc. Bene partitur ubique poeta quod conficiendum est. Duo suspicabatur Clinia: ne conlupletasset se interim Antiphila, et, commutavisset parcam pudicamque vitæ consuetudinem; tum adeo ne deseruisset amores pristinos, alioque animum contulisset. Utrique errori respondetur. *Bæcl.*

266. *Conject. fecimus.* Sic Antesign. et lib. Bemb. Alii, Z. Both. Valp. *cepimus.* — *Ex ipsa re.* Ex signis quæ dicturus est. *Calph.*

267. *Quid est, obsecro?* Both. *quid id, obsecro, est.* — *Quid est obsecro*, sc. quo mihi fidem facias vitam animumque Antiphilæ manere, qualis fuit? *Bæcl.* — *Nil rerum omnium 'st.* Nihil est ex omnibus rebus. — *Hoc*, nempe Antiphilæ animum erga me mutatum esse.

269. *Hoc primum.* Guelf. 3, addit *scias* post *primum.* Ms. Par. *primum dicam.* Perl. — *Ne quid hujus rerum ign.* non audiendus Guyetus, expungens τὸ *rerum.* West. — *Hoc primum*, sub. *dicam.* — *Quid*, aliquid. — *Hujus*, Antiphilæ. Et intellige, « ut nihil ignores de rebus quæ ad illam attinent. »

270. *Antehac.* Ante hoc tempus. — *Non fuit*, ejus mater non erat. — *Ea*, sc. vetula mulier.

271. *Ipsa.* Codex Reg. *ex ipsa.* — *In itinere.* Bentl. *itere*, forma ut putat antiqua. — *Hoc.* Anum non fuisse matrem, et mortem obiisse. — *Ipsa*, Antiphila. — *Alteræ*, pro *alteri* antique dicebatur.

Ne me in lætitiam frustra conjicias. Syr. Anus
Subtemen nebat. Præterea una ancillula
Erat : ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. Clit. Si hæc sunt, Clinia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit sordidatam et sordidam?
Magnum hoc quoque signum 'st, dominam esse extra noxiam,
Quum tam negligitur ejus internuntia.

stientem comprimit. — Plerumque vocula *pax* per interjectionem prolata, idem sonat ac si quis diceret, *sile*, vel *quiesce*, ne sis sollicitus, ut infra, vs, 717.

292. *Frustra.* Supple, si falsa sunt quæ narras. — *Anus*, quam supra dixi.

293. *Subtemen.* Mark. Goth. Memb. et Ed. prim. cum Calphurn. *subtegmen.* — *Ancillula.* Al. *ancilla* — *Subtemen.* Filum transversum, quod in tela texenda stamini interseritur. — Animadvertendum est aliud esse Antiphilæ, aliud anui munus. Hæc scilicet colo nebat filum quo in subtemine texendo usura erat domina. — *Præterea*, præter anum. — *Una*, hic est adjectivum.

294. *Una*, cum Antiphila. Et est adverbium. Menander : Καὶ θεραπαινὶς ἦν μία. Αὕτη συνύφαινε ῥυπαρῶς διακειμένη.

295, 296. *Si hæc sunt, Clin.* etc. Both. *Vera hæc, Clinia, si sunt, ut credo.* — *Credo;* pro hac voce Guelf. 2, legit *hic dicitur.* — *Immunda.* Nominativus est casus.

297. Recte discedit Bœclerus a Guyeto hunc versum delente. — *Scin' hanc.* Omittimus *tu* post Bentl. et Perl. — Interrogari vult Westerhov. statim post *scin' hanc.* Bothius admittit *sordidæ . . . dominæ;* et notat, inepte vulgo legi *sordidatam et sordidam.* — G. M. invertit *sordidam et sordidatam.* — *Scin' hanc?* Cogitasne de ancillula ista quam dicit pannosam et incomptam fuisse? — *Sordidatam et sordidam.* Dicit *sordidatam* h. e. necessitate urgente; *sordidam* a natura. Utrumque idem et pari sensu reperitur, apud Cic. in Pis. IV; sed Farn. *sordidatam* refert ad vestitum, *sordidam* ad illuviem. *Perl.*

298. *Noxiam.* Mss. Pall. *noxam.* — *Extra noxiam.* Calphurnius, qui legit ipse *noxam*, adnotat *noxam* significare, *damnum.* Sueton. in Cæsare, cap. 81 : « Spurinamque irridens, et ut falsum arguens, quod sine ulla sua *noxa* Idus Martiæ essent. »

299. *Negligitur internuntia.* Alii, *negliguntur internuntii :* quod Westerh. affirmat videri glossema, nec a Terentio profectum. Admittunt tamen Valp. et alii, — *Negligitur* in vestitu. — *Ejus internuntia.* Sic vocatur quæ inservit in nuntiis ferendis ad amatores, sed h. l. simpliciter ancilla designatur, ut de virgine ingenua.

Nam disciplina est iisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
CLIN. Perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam
Studeas inire. Quid ait, ubi me nominas?
SYR. Ubi dicimus, rediisse te, et rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deserit
Continuo, et lacrimis opplet os totum sibi, ut
Facile scires, desiderio id fieri tuo.
CLIN. Præ gaudio, ita me Dî ament, ubi sim nescio :

300. Legitur pariter *eisdem* et *iisdem*. — *Disciplina*, mos, institutum. — *Iisdem* dicit, non *iis*, quia spectat ad duplex obsequium amatorum, tum in dominas, tum in ancillas. — *Munerarier*, pro *munerari*, active dictum.

301. *Qui*. Pal. dat *quæ*. — *Affectare*, viam præparare. Sic Virg. Georg. IV, 562, *viamque affectat Olympo*. — *Ancillas primum*, etc. Idem illud docet magister amorum, Ovidius, Art. Am. I, 351 : « Sed prius ancillam captandæ nosse puellæ Cura sit. . . Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando. » Lind. citat præterea Hieron. ad Gaudent. « Solent lascivi, comptuli juvenes blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi per nutrices ad alumnas quærere. »

302. Absunt voculæ *te* et *ne* a Guelf. 2. — *Perge*, narrare quid videris apud Antiphilam. Hæc Clinia ad Syrum. — *Cave ne*, etc. Cave ne studeas inire meam benevolentiam, falso, id est, mentiendo. Nam si audierim rem aliter evenisse ac tu dicis, gratia inita frustraberis.

303. *Ubi me nominas*, pro *nominavisti*. — Hactenus demonstratum est, quod vita Antiphilæ, sive consuetudo vitæ, a priore nihil immutata sit : nunc, quod animus erga Cliniam idem qui fuit, maneat, declarandum est. *Bœclerus*.

304. *Dicimus*. Hel. *diximus*. — *Rediisse*. West. Par. Valp. *redisse*.

305. *Deserit*. Faern. Guy. ex Bemb. *desinit*, quod elegantius videtur et placet Bentleio. — *Mulier telam deserit*. Ut apud summum poetam, in diverso affectus genere, Æn. IX, 476 : « Excussi manibus radii, revolutaque pensa. » Sic item, ut citat Perlet. Sapph. Fragm. VII, Ed. vulg. mulier illa præ amore texere non pergit, οὔτοι δύναμαι, inquiens, κρέκειν τὸν ἰστὸν, Ποθῷ δαμεῖσα παιδὸς.

306, sq. *Ut facile scires*, etc. Quidam *scias;* sed Both. notat id requirere *factum esse* non *fieri;* ergo dat, *os totum, tuo Ut f. sc. desid. id fieri*. — *Lacrimis opplet*, etc. Præ gaudio; ut indicant Apul. Met. I; et Nep. Alcibiad. VI, 4 : « Ex nimio gaudio lacrimatur. »

307. *Ut*, ita ut. — *Facile scires;* facile aliquis potuisset scire. — *Desiderio tuo*. Desiderio tui. — *Id fieri*. Hanc turbam, has lacrimas.

308 *Ubi sim nescio*. Vid. Andr. 939; hujus volum. pag. 120.

Dum narrat, forte audivi. CLIT. Quænam est altera?
SYR. Mane: hoc quod cœpi, primum enarrem, Clitipho;
Post istuc veniam. CLIT. Propera. SYR. Jam primum omnium,
Ubi ventum ad ædes est, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit; hæc ubi aperit ostium,
Continuo hic se intro conjicit; ego consequor;
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de improviso est interventum mulieri.

272. *Quænam est altera?* Nata est suspicio, ut quæreretur quæ sit altera; cujus narrationem differt. Prior enim est de amica Cliniæ narratio.

273. *Mane.* Exspecta. — *Quod cœpi*, sub. *narrare.* — *Enarrem*, absolvam narrando.

274. *Post*, postea; et est adverbium. — *Istuc*, eo quo vis me loquendo pervenire. (Cf. Eunuch. 124). Scilic. «Dicam quæ sit altera hæc mulier.» — *Jam primum omnium*, sub. *dicam.* — Vita Antiphilæ cognoscenda datur, accuratissima ac pæne curiosa descriptione a summo ad imum. *Bœcler.*

275. *Pultat.* G. Ed. Med. *Pulsat.* Both. *Pulsitat Dromo fores.* — *Ad ædes* Antiphilæ. — *Pultat.* Antiqui dicebant *pultare* et *mertare*, pro *pulsare* et *mersare*; ut ait Quintil. lib. I, unde est tam crebro apud Plautum, *pultare fores.* Rob. Steph.

276. *Ubi aperit ostium.* Alii *aperuit.* — *Anus quædam prod.* Hæc singula quæ porro sequuntur, Eugr. diligenter enumerat, ostensurus castitatem mulieris inde probari.

277. *Hic se intro conjicit.* Hunc ordinem et hanc lectionem recepimus ex Bentl. post Both. Perl. Alii, *hic se conjicit intro.* — *Hic*, Dromo. — *Continuo se intro conjicit.* Intellige: hunc in finem, ut ignaram nec opinantem deprehenderet.

278. *Foribus obdit pessulum.* Vid. Eunuch. 604. — *Ad lanam redit.* Hæc signa sunt pudice vitam agentis. Sic in Andria, vs. 75, «Primum hæc pudice vitam, parce ac duriter Agebat, lana et tela victum quæritans.»

279. *Hinc.* Sic in C. G. m. apice quidem mihi viso *Hic.* Alii *hīc.* *Perl.* — *Aut nusquam alibi.* Guelf. 1, 3, *haud nusquum.* Cæteri magno numero, *haud usquam.*

280. *Quo studio.* Quo exercitio, et qua consuetudine.

281. *Est interventum.* Disponitur in quibusdam, *interventum est.* — *Ubi*, siquidem. — *Est interventum.* Dicitur proprie *interveniri* occupato nec opinanti. Eunuch. 553. Eodem fere modo Livius, mentione facta Lucretiæ, I, 57: «Id cuique (virorum) spectatissimum sit, quod

Nam ea tum res dedit existimandi copiam,
Quotidianæ vitæ consuetudinem,
Quæ, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam, veste lugubri,
Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua;
Sine auro, tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla mala re esse expolitam muliebri;
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter . . . pax! CLIN. Syre mi, obsecro!

nec *opinato* viri adventu occurrerit oculis. » *Perl.*

282. *Copiam.* Pa. in marg. *locum*, pro *copiam.* — *Ea res.* Sc. quod ita improvisi supervenerimus. — *Copiam*, facultatem. — *Existimandi*, judicandi.

284. *Cujusque ingenium ut sit.* Qualiter natura cujusque sit.

285. *Texentem telam studiose.* Totam in tela texenda. Menander, Ἐξίστιου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.

286. *Mediocriter vestitam, veste lugubri.* Sine interpunctione legit Valp. *Mediocr. vestitam veste lug.* — *Mediocriter.* Modeste et simpliciter.

287. *Anuis.* G. Ed. Med. *anus.* Sed Gellius Noct. Att. IV, 16, *anuis* Terentium scripsisse monet. *Perl.* — *Quæ erat.* Veteres codices, *quæ tum erat.* Lind. Ita quoque Guelf. 2. — *Anuis.* Pro genitivo *anus.* M. Varronem et P. Nigidium constat non aliter locutos esse et scripsisse quam *senatuis* et *domuis*, qui est secundus casus quum primus sit *senatus* et *domus.*

288. *Ita uti.* Bemb. solus omittit *ita.* — *Quæ ornantur.* Ed. prim. et Br. *ornatur.* — *Sine auro.* Ut statim intelligeret Clinia, illud aurum, quod portaretur, ad Antiphilam non pertinere. *Bœcl.* — *Quæ ornantur sibi.* Ut sibi solis placeant, non amatoribus.

289. *Nulla mala re.* C. G. membr. et chart. Hal. *malam*, cum glossa, *maxillam ejus.* Perl. — Faerniani, præter Bemb. et Bentl. sex *malam*, non *mala.* Plures non habent *esse.* Singulariter admodum legit Bothius, *nullaque malaca re exp. m.* Bipontin. editor, *nulla mala re interpolatam m.* — *Esse expolitam*, supple, *offendimus eam esse*, etc. — *Nulla mala re muliebri.* Pigmentis, fuco, gemmis. Quæ quidem omnia mulieres dolose adhibent.

290. *Passus.* Par. p. var. *sparsus.* — *Prolixus.* Bentleius reponit *promissus;* improbat Both. qui reponit *prodigus.* — *Passus*, sparsus, longus. — *Caput.* Sumendum hic pro *cervicem.*

291. *Rejectus negligenter . . . pax!* Interpungitur in Valp. *Rej. negligenter : pax!* Postremam hanc vocem male servo attribui existimat Both. et igitur legit : *R. negligenter.* CLIN. *Pax, Syre mi, o.* Z. habet : *R. n.* CLIN. *Syre mi, o.* — *Pax!* Cliniam exsultantem et ge-

Syr. Vis amare; vis potiri; vis, quod des illi, effici;
Tuum esse in potiundo periclum non vis : haud stulte sapis.
Siquidem id sapere 'st, velle te id, quod non potest contingere.
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his mittenda sunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide;
Etsi consilium hoc, quod cepi, rectum esse et tutum scio:

— *Neque ferri potis es.* Non es tolerandus. Bene indignationem suam servus extulit, quo facilius sibi adolescentem per suam iracundiam præpararet. — *Audiundum hercle*, etc. Hæc verba Cliniæ sunt ad Clitiphonem. Medium enim se gerit Clinia; et sicut modo Syrum commonuerat ut ambages vitaret, ita nunc Clitiphonem coercere videtur, parantem iracunde aliquid reponere Syri orationi, cujus principium ægre ferebat. *Bœcl.*

322. *Vis amare* Bacchidem. — *Potiri*, Bacchide. — *Vis*, *quod* (alii *quo*) *des illi*, *effici*. Vis quæri et inveniri quæ illi dones, ad vestitus ornatum. Cf. infra, 584.

323. *Tuum*. Both. *tum*. — *Tuum esse periclum*. Tibi accidere pericula. — Adolescentem πρωτότυπον, et ad audendum adhuc rudem, per gradus præparat veterator: periculis voluptates emi; quæ subterfugere, vel stulti vel segnis amatoris sit. Deinde pervenit ut metus periculi adolescenti minuatur: tutum enim esse veris rectisque rationibus ita provisum destinatumque consilium, ut ad finem votorum scilicet, et statim, perveniri queat. Sic accenso et requirenti, consilii summam quum aperuisset, neque probasset, ad illud ultimum servilis contumaciæ præsidium descendit, quo etiam in Andria (vs. 683) Davus Pamphilum mitigaverat: « Melius tute reperi; me missum face. » Tum demum Clitipho inter spei metusque ancipitia destitutus, Syro se suaque omnia permittit. *Bœcler.* — *Haud stulte sapis*. Inest ironia. Non stulte, inquit, sapis, et quum ames, et potiri desideres, et pecuniam dari, interea tu nullum periculum velis sustinere. *Eugraph.*

324. Br. non distinguit post *id*. — *Quod non potest contingere*. Scil. amica uti sine incommodis.

325. *Aut hæc cum*, etc. Bothius legit *Aut hæcce c. i. s. trahenda, a. i. c. h. mittenda.s.* — *Amittenda...mittenda* dant Bent. Bip. Perl. — *Aut hæc* sc. pericula. — *Cum illis*, sc. commodis; id est, amare, potiri amica, invenire quod illi detur. — Ad *illis*, Calph. subaudit *meretricibus*, falso.

326. *Harum duarum conditionum utram*. Aut cum amica periculum suscipere; aut eam recusare una cum periculo.

327. *Etsi consilium*. Nostri omnes, *Etsi hoc consilium* : repone, *Etsi c.*

Nam tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia 'st.

Tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via.

Quod ut efficerem, orando surdas jam aures reddideras mihi.

Quid aliud tibi vis? CLIT. Siquidem hoc fit. SYR. Siquidem! . . . Experiundo scies.

CLIT. Age age, cedo istum tuum consilium; quid id est? SYR. Adsimulabimus,

Tuam amicam hujus esse. CLIT. Pulchre; cedo, quid hic faciet sua?

hoc. Bent. — *Etsi consilium hoc*, etc. Jam redit ad priora. Incitare adolescentem cupit, ne frustra operam perdiderit, quod meretricem adduxit: itaque ostendit tutum consilium esse quod suscepit, ut apud patrem amica sit sine metu; et argentum quod promissum est inveniri possit. *Eugr.*

328. *Nam tu*, etc. Hunc vs. Par. uncinis inclusit. *Perl.* Vulgo, *Nam tua apud p. a.* Bothius legit, *N. a. p. amica tecum ut sine metu s. c. e.* — *Apud patrem*, in domo patris tui. — *Copia 'st;* facultas, potestas est.

329. *Illi.* Hæc vox in quibusdam codd. τῷ *argentum* postponitur. — *Tum*, præterea. — *Quod illi argentum es poll.* Construe, *argent. quod es poll. illi.* — *Eadem hac via.* Intellige: si amica apud patrem est. *Perl.*

330. *Quod ut efficerem orando.* Dum me orares ut illud efficerem. — *Surdas aures reddideras.* Aures mihi obtuderas et obstupefeceras.

331. *Aliud.* Bentl. reponit *ulid*, antique. — *Fit.* Bentl. et Both. *fiet.* — *Quid aliud tibi vis.* Callidissime servus eum interrogat, num habeat melius quiddam consilium; eo ipso quod juvenem noverit consilii omnino expertem. — *Siquidem hoc fiet.* Intellige, si quidem quod dicis efficies, res se bene habet. — *Siquidem.* Respondet Syrus, et repetit per indignationem: « Dicis, *siquidem*, videris dubitare; at scies ipsa experientia nihil hic esse dubii aut periculi. » *Juv.* — *Experiundo scies.* Ipsa actione expertus agnosces. *Eugr.*

332. *Istum.* Alii *istuc.* — *Cedo istum tuum consilium.* Dic, quale est istud consilium quod invenisse te dicis.

333. *Hujus esse.* Libri antiqui repetunt *amicam;* quæ vox geminata et superfluit sensui, ut dicit Fa. et impedit versum. Alii non geminant. — *Quid hic faciet sua.* Guelf. 2, *quid hic suam.* — *Hujus*, Cliniæ. — Protasis ex parte Clitiphonis. Bacchis simulabitur esse amica Cliniæ: Antiphila ducetur pro ancilla Bac-

Ita timui. CLIT. At ego nil esse scibam, Clinia.
Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa 'st altera.
SYR. Adducimus tuam Bacchidem. CLIT. Hem, quid? Bacchidem?
Eho, sceleste! Quo illam ducis? SYR. Quo illam ego? Ad nos scilicet.
CLIT. Ad patremne? SYR. Ad eum ipsum. CLIT. O hominis impudentem audaciam! SYR. Heus tu,
Non fit sine periclo facinus magnum et commemorabile.
CLIT. Hoc vide! In mea vita tu tibi laudem is quæsitum, scelus!

309. *Ita timui*, ne quid mihi narrares præter quam quod cupiebam. Dictum quasi per epiphonema. — *Nihil esse.* Ad nihil recidere metus tui causam.

310. *Agedum.* Notat Calph. *Age* singularem numerum desiderare: *Agite*, pluralem; *Agedum* vero, utrumque. — *Vicissim.* Ad alteram quæstionem descendit; et ad novam argumenti partem transit narratio: et, quo pacto error fabulæ conseratur deinceps ostendit. *Bæcl.*

311. *Adducimus.* Donat. in Adelphis 631, legit *obducimus*, quod magis proprium videtur Faerno, sed non vult audire Bent. — *Adducimus tuam Bacchidem.* Sic respondet concinne et breviter.

312. *Ducis.* Guelf. I, Hel. et Lind. lib. *adducis;* proprie et vere ut contendit Bothius.

314. Huic versui *heus*, (omisso *tu*) adscribunt plerique editorum. — *Non fit.* Quidam codd. scripti et impressi legunt, *nec fit.* Præstat lectio vulgata. *Westerh.* — *Facinus m. et comm.* Guy. *mag. f. et memorabile.* Bothius sequitur libros *nec memorabile* habentes. — *Non fit sine periclo facin. magn. et c.* Quoniam interrogatus est servus, quo duceret Bacchidem, respondit, ad patrem. Quod ægre ferens adolescens, cum indignatione audacem servum pronuntiavit. Continuo ille respondit, *facinus magnum*, etc. Ita in hoc quoque periculum est; quum, patre præsente, in domo futura sit meretrix. Tamen studet, ut nihilominus celari possit. *Eugraph.* Eamdem sententiam profert Menander, Μέγα καὶ περιβόητον ἔργον. Herodot. VII, 50: Μεγάλα γὰρ πραγματα μεγάλοισι κινδύνοισι, etc. — Cui sententiæ contrarium illud Juvenalis, Sat. XIV, vs. 224: «Nullus enim magni sceleris labor.» Ubi vide.

315. *Scelus.* Bent. vult. *scelus?* efferri per interrogationem; alii, non ita. *Perl.* — *Hoc vide.* Vide hoc factum! en facinus! Præmittitur reprehensioni admiratio, vi exaggerandi. *Bæcl.* — *In mea vita*, etc. In rebus quæ ad me spectant, et tam caræ mihi quam vita sunt, quæris locum præclari alicujus facinoris edendi. *Juv.* — *Is*, ab *ire.*

Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illa facias? SYR. At enim..... CLIT. Quid, enim? SYR. Si sinis, dico. CLIN. Sine.
CLIT. Sino. SYR. Ita res est hæc nunc, quasi quum.... CLIT. Quas, malum! ambages mihi
Narrare occipit! CLIN. Syre, verum hic dicit. Mitte, ad rem redi.
SYR. Enimvero reticere nequeo : multimodis injuriu's, 320
Clitipho, neque ferri potis es. CLIN. Audiundum hercle est, tace.

316. *Ubi si paululum.* Omittit *si* Guelf. 2. — *Te fugerit.* Alii, *tete. Paululum modo*, vel minimum. — *Quid*, aliquid prudentiæ, consilii. — *Te fugerit*, tibi defuerit.

317. *Quid illa facias.* Sic Bent. pro *illo*, quod vulgo est. Subaudit enim *Bacchide*, non *Syro;* uti mox vs. 334. — *Si sinis, dico.* Vulgo *si sinas dicam.* Nos recepimus post Perletum lectionem quam Bentleius in duobus codd. invenit. — *Quid illa facias?* Quid facies in eis quæ possunt ad illam spectare? — *At enim...* Aliquid supplendum. Syrus dicere volebat, aut in ea re non esse periculum; aut se effecturum quod intendit; sed illius sermonem Clitipho interrumpit. *Calph.* — *Quid, enim?* Quid vult hoc *enim*, quid vult hæc refutatio. — *Dico*, dicam, ea quibus me excusem.

318. *Quasi quum.* libri quidam Mss. et editi antiqui, *quasi cum illa.* Traject. Edit. *Quas mihi ambages, malum, Narrare occipit? Mitte atque redi.* SYR. *Enimvero reticere nequeo. Multis modis injurius est Clitipho : neque ferri potis est.* CLIN. *Audiendum hercle est : tace.* CLIT. *Quid est?* SYR. *Vis amare, vis potiri.* Quæ posteriora ab illis, *multis modis*, etiam sunt in uno Leidd. et in Bodl. *West.* — *Quasi quum.* Explicaturus erat mentem suam aliqua similitudine. Sed quoniam similitudo quum datur, quidam est in oratione circuitus, idcirco adjecit Clitipho, *quas malum!* etc. Denique et alter adolescens hoc intellexit, unde adjecit in versu sq. *Syre, verum hic dic. mitte*, etc. EUGRAPH. — *Malum!* inepte concionator. — *Mihi*, expletivum fere est; sed valet tamen ad vim sententiæ.

319. *Mitte.* M. *mitte ista.* « V. C. *mitte ista : atque ad.* » Lind. — *Mitte*, scil. externa et per similitudinem translata. — *Ad rem redi*, « Ad propositam narrationem. » Hac nempe servi digressione ambo cupidi amatores gravantur. *Perl.*

320. *Reticere nequeo*, supple, « quin dicam quod sentio de hac tua interruptione. » — *Multimodis*, multis de modis.

321. *Clitipho*, etc. C. G. m. *Clit. est, neq. ferr. pot. est.* Bem. *Clit. es, neq. ferr. potes.* — *Tace.* Post *tace* nostri omnes addunt, CLIT. *Quid est?* Nisi quod ex Regiis unus *id* habet, loco τοῦ *tace.*

CLIN. Datur; fruare, dum licet : nam nescias. . . .
CLIT. Syre, inquam. SYR. Perge porro, tamen istuc ago.
CLIN. Ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi.
CLIT. Verum hercle istuc est. Syre, Syre, inquam; heus, heus, Syre!
SYR. Concaluit. Quid vis? CLIT. Redi, redi. SYR. Adsum, dic, quid est?
Jam hoc quoque negabis tibi placere. CLIT. Immo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.
Tu es judex : ne quid accusandus sis, vide.

quod consulam, fac modo; nam si exspectas diutius, si exspectas usque ad hodiernam vesperam, sero id ac frustra voles scire, aut perficere. *Juv.*

345. *Datur.* Reponit Bentl. *Di dant*, et notat unum e suis habere *modo*, quod delendum putat Fa. — *Dum licet.* Br. *Nam licet.* — *Datur.* Conceditur tibi frui amica. — *Nam nescias.* Hæc jungi debent, cum versu 347, sine ulla sensus interruptione.

346, 347. Hos duos versus transposite reddimus post Bent. Bip Perl. Both. sed in omnibus aliis versus *ejus sit potestas*, etc., ponitur ante, *Syre inquam*, etc. — *Tamen istuc ago.* Ed. prima, *Istuc tamen age.* — *Ej. sit potest.* Guelf. 1, *si*, pro *sit*; et idem, *unquam*, pro *nunquam.* — *Syre, inquam.* Clitipho revocat Syrum discedentem. — *Perge porro.* Perge ultra, sc. me revocare, aut interrumpere. — *Tamen istuc ago.* Spectat ad superius illud, *ibo obviam hinc*, vs. 340.

348. *Heus, heus, Syre!* Hæc notat Bruns. textui Mss. abesse, et margini adscripta fuisse, forte alia manu. — *Verum hercle istuc est.* Respondet Clitipho Cliniæ, et *verum* esse quod hic dicit, autumat, quod placet. Sed interea Syrus parat discedere.

349. *Dic, quid est?* Alii non interrogant. *Antesign.* — *Concaluit.* Hoc Syrus seorsum seu ad spectatores, et dum revertitur. «Hominem commovi, ardet, æstuat.» *Juv.* — Nec intellige tantummodo, ut vult Perletus, concaluit igne amoris. — *Dic, quid est?* Cur me revocas.

350. *Jam hoc quoq. neg. t. placere.* Non interrogamus, secuti Antesign. Bent. Bip. Z. Perl. Facit Valp. — *Jam hoc quoque negabis tibi placere.* Scilicet «periculo carere, simul amore», ut vult Perlet; aut ut explicant alii, «Hoc tibi jucundum esse, ut amica veniat, et non domum revertatur.» — *Immo.* Non modo non negabo, immo etiam permitto, etc.

351. *Et famam.* Hæc absunt a Ms. Lips. *West.*

352. *Tu es judex.* Pro lectione hac indubitata, et quæ sufficit com-

Syr. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho,
Quasi istic mea res minor agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter hæc res neutiquam neglectu est mihi.
Sed istum exora, ut suam esse adsimulet. Clin. Scilicet
Facturum me esse; in eum res rediit jam locum,
Ut sit necessum. Clit. Merito te amo, Clinia.
Clin. Verum illa ne quid titubet. Syr. Perdocta 'st probe.
Clit. At hoc demiror, quî tam facile potueris

mode ad sensum, reponit Bentleius, *Tu es inlex*, quam vocem Plautinam revocat. — *Tu es judex.* Arbitrum te constituo de iis omnibus quæ agenda sunt. Si τὸ *inlex* Bentleli placuerit, intellige, tu me in hoc periculum illicis.

353. *Ridiculum est.* Both. omittit *est.*

354. *Ist. mea res minor.* Alii, *Ist. minor mea res.* Both. *mea res ist. min.* — *Istic*, in hoc negotio. — *Res mea*, quod ad me attinet. — *Minor agatur.* Tractetur ut res momenti minoris.

355. *Hic* reponit Both. in versu præcedenti, et cæterum ordinat, *Adv. si q. nob. f. ev.* — *Huic homini.* Edd. Med. Tarv. *hom. huic.* — *Erunt parata*, a patre. — *Verba, verbera*, per paronomasian.—*Huic homini.* Δειχτιχῶς hæc dixit, sè ipsum ostendens.

357. *Neutiquam.* Postuit Both. *ne utiquam*, divisim; et citat Andr. 331. Guelf. 1, *ne utique.*—*Neglectu.* Sic legimus ex Both. Perl. Sed Z. *neglectu 'st.* Delph. *neglecta est.* Valp. *neglectui.* — *Hæc res*, quam cogito agere. — *Neglectu est mihi.* Negligenda est.

358. *Istum.* Vulg. *Istunc.* Lectionem quam recepimus præbent Delph. et Perl. — *Istum.* Cliniam, amicum tuum. — *Exora*, Precibus vince. — *Ut suam esse adsimulet.* Ut fingat tuam amicam esse suam. Cf. 332, sq. — *Scilicet.* Hæc vocula interdum cum infinitivo struitur, quia tum resolvi debet in *scire licet*, id est *porro sciatis.* Infra 857. Itidem Lucretius, lib. II, 468: «scilicet esse globosa, tamen quum squalida constent.»

359. *Res red. jam.* Alii, *jam res rediit.*

360. *Necessum.* Alii complures *necesse.* Both. *Necesse uti sit.* — *Ut sit necessum.* Intelligit Clinia, quum apud illum sit hospes, necessitatem sibi impositam, uti hoc quod ab eo petitur, negare non possit, ut adsimulet amicam suam esse meretricem. *Eugr.* — *Merito te amo, Clinia*, qui tam benevolenter in me sis propensus.

361. *Ne quid titubet.* Ne Bacchis hæsitet, et verbis se prodat. — *Perdocta est probe*, quid simulare debeat.

362. *At hoc.* Bodl. *ad hoc*,

An ea quoque dicetur hujus, si una hæc dedecori est parum?

SYR. Immo ad tuam matrem deducetur. CLIT. Quid eo? SYR. Longum 'st, Clitipho,

Si tibi narrem, quamobrem id faciam; vera causa est. CLIT. Fabulæ!

Nil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mî expediat metum.

SYR. Mane: habeo aliud, si istud metuis, quod ambo confiteamini

Sine periculo esse. CLIT. Hujusmodi, obsecro, aliquid repperi. SYR. Maxume.

chidis: extorquebitur argentum a sene quod Bacchidi Clitipho promiserat. *Farnab.*—*Pulchre.* Optime invenisti. Potest et per ironiam dici. — *Quid hic faciet sua?* Quomodo aget Clinia, in eo quod ad ipsius amicam attinet?

334. *An ea.* Both. *Eane.* — *An ea quoque.* Antiphila. — *Hujus*, Cliniæ. — *Si una hæc.* Intellige, quasi reponatur interrogatio, cui insit vis negandi, ut jam sæpe vidimus.

335. *Ad tuam matrem.* Both. delet *tuam.* — *Deducetur.* Sic Perl. Both. ex quibusdam scriptis et impressis. Libri autem Bemb. *abducetur*, et sic Z. Valp. — *Imo ad tuam matrem deducetur.* Hæc decenter admodum et callide contexuntur. Quum scilicet Antiphila Cliniæ sit nuptura, non decet eam utpote quæ sit ingenua mulier, una cum Bacchide convivari. Præter id quod ad decorum attinet, hoc artificio poetæ, Antiphila ad Sostratam deducitur, ut postea cognoscatur filia Chremetis. — *Quid eo?* Cur eo, scilicet ad matris meæ domum, ducetur? *Juv.*

336. *Si t. narrem, quam. id fac. ver. causa est.* Distinctionem hanc, quæ est vulgata, sequimur ex Bent. Bip. Perl. Z. Both. Sed Westerhovius secutus est distinctionem F. Fabricii, *si tibi narrem. Quamob. id faciam, vera causa est.*—*Vera.* Both. *verum.* — *Vera causa est.* Non ficta, sed justa est causa cur suadeam, ut Antiphila deducatur ad matrem.— *Fabulæ.* Ea quæ dicis, neque vera sunt, neque verisimilia.

337. *Nil satis firmi*, etc. Nullam rationem video firmitatis in consilio, ut debeam talem metum suscipere, ut apud patrem amica mea sit. *Eugraph.*

338. *Si istud metuis.* Bentl. reponit, *si iste est metus.* Frustra, censente Bipont. editore. — *Mane.* Quia sane improbans Clitipho recedebat. — *Aliud*, consilium. — *istud*, hoc quod novissime dedi. — *Quod*, refer ad *aliud.*

339. *Hujusmodi.* Mss. plusculi, *istiusmodi*, *quæso.* West. • Vulg.

Ibo obviam hinc; dicam, ut revertantur domum. CLIT. Hem.

Quid dixti? SYR. Ademptum tibi jam faxo omnem metum,

In aurem utramvis otiose ut dormias.

CLIT. Quid ago nunc? CLIN. Tune? Quod boni... CLIT. Syre, dic modo

Verum. SYR. Age modo hodie, sero ac nequicquam voles.

hujusmodi, ait Bothius, invitis nostris omnibus et Lindenbrogiano, qui, *istiusmodi;* quod contemnentis, adeoque verius hoc loco. Versui timebant librarii. » Par. pr. var. *istiusmodi*. Perl. — *Hujusmodi*. Tale, quale dicit, sc. quod sit sine periculo. — *Maxume*. Vox valde approbantis. Adelph. 611; et Hecyr. 713.

340. *Ibo obviam hinc*. Ms. quidam et editi veteres, *I. o. his*, fortasse rectius, ut Westerh. putat. Approbat. Bentl. sed proponit tamen *huic*, i. e. Bacchidi. Runhken. laudat. — *Revertantur*. Verbum illud ineptum est Bentleio, qui reponit *Revertatur*. — *Ibo obviam*. Mulieribus. — *Hinc*, ex hoc loco ubi sum. — *Dicam, ut revertantur domum*. Ut retro eant, unde venerint, in urbem. Cf. supra 248. Hæc per jocum dicuntur.

341. *Ademptum faxo*. Fecero, pro simplici, *adimam*. Cf. supra, 337.

342. *In aurem utramvis*, etc. Proverb. de iis qui nihil metuunt in summa securitate. Dormire in utramvis aurem est, animo securo et otioso esse. Qui minus commode dormiunt, iis vulgo præcipitur ut in aurem dextram et latus cubent: qui vero commodissime, ii modo in dextram, modo in sinistram incumbunt. *Juv.* — Menander ap. Gellium, II, 23. Ἐπ' ἀμφοτέραν ἵν' ἐπίκλινῃς ἢ, μᾶλλον καθευδήσειν. Basilius Magnus, πρὸς τοὺς νέους. Ἐπ' ἄμφω καθεύδουσι: Eodem sensu dicit Plinius: « Nihil est, quod in dextram aurem, fiducia mei, dormias. » Plaut. Pseudol. I, 1, 121, ubi servus: « De istac re in oculum utrumvis conquiescito. » Adolescens corrigit: « Oculum utrum, anne in aurem? » Respondet servus: « At hoc pervulgatum est minus. » *Bæcl.*

343. *Quod boni....* Hic interrupta Cliniæ oratio, continuatur vs. 345, 347. Absolvunt sententiam Z. Valp. *Q. boni est?* — *Quid ago nunc*. « Quid facere debeo. » Dubius et circa pericula, et circa amicam, quærit consilium. — *Tune? Quod boni*. « Tune petis a me quid agendum tibi sit? Quod boni datur et offertur modo, fruare dum licet. » Ea series orationis est, quam quum incepisset Clinia, interpellatur a Clitiphone et Syro, nec nisi mox versu interjecto, absolvit. *Juv.* — *Syre, dic modo verum*: Dic nunc vere mihi, quid facere debeo.

344. *Age modo hodie, sero ac nequicquam voles*. Audi me modo, et

SCENA TERTIA.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRUS. GREX ANCILLARUM.

BAC. Ædepol te, mea Antiphila, laudo, et fortunatam judico,
Id quum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent;
Minimeque, ita me Dî ament, miror, si te sibi quisque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vestrarum, vulgus quæ ab se segregant;

382. *Quum stud.* Guelf 2, *dum st.* — *Isti.* Bothius *illi.* Omittit Guelf. 1. — *Quum.* Intellige quasi esset, *quia*, propterea quod. — *Studuisti*, omni studio curavisti. — *Isti formæ.* Isti pulchritudini et venustati corporis quæ est tua. — *Mores consimiles forent.* Menander apud Stobæum, Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπιχοσμεῖ τρόπος χρηστὸς, διπλασίως ὁ προσιὼν ἁλίσκεται. Itid. fere. Virgil. Æn. V, 344, « Gratior et pulchro veniens in corpore virtus. » — Ne videantur meretrices injustæ, defensio est, et quasi forma quædam hic controversiæ continetur. Reæ enim fiunt meretrices, quum injustæ sunt amatoribus suis, et adversæ, dum plurimum petunt. Quam rem purgans meretrix, dicit se hoc quod faciunt, facere necessitate, ne, quum ætas abierit, exstincta pulchritudo discesserit, inopia maneat, nisi antea quæsiverint lucrum, quo possint sustentare decrepitam ac miseram senectutem. *Eugraph.* — Attamen oratio hæc meretricis, quia ad honestam et pudicam virginem fit, nullam habet licentiam meretriciam: sed potius, laudat conjugium et matronarum virtutem.

383. *Quisque.* In libris nonnullis est *quisquam.* Probat Both. — *Ita me Dî ament.* Quasi vividius affirmat. — *Miror si.* Hæc syntaxis Nostro familiaris, ut jam citavimus. Ead. græca, θαυμάζω εἰ. — *Expetit.* Adnotat Perletus hoc verbum proprie dici de rebus bonis et honestis, quales sunt uxores, virginesque, non meretrices. Vide supra in Andr. 697.

384. — *Ingenium*, mores, animum. — *Oratio.* Antiquos etiam pauca *orationem* dixisse notat Calph.

386. *Omniumque ad. vestrar.* Delph. *adeoque vestrarum omnium.* — *Adeo*, etiam. — *Omnium vestra-*

Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile 'st.
Nam expedit bonis esse vobis; nos, quibuscum est res, non sinunt:
Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt.
Hæc ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt;
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus.
Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum 'st viro,
Cujus mos maxume 'st consimilis vestrûm; hi se ad vos applicant.
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini;

rum. Vestrî similium, quæ domi vos continetis, quæ modeste et seorsum vivitis. *Juv.* — *Vulgus quæ ab se segregant.* H. e. neque promiscue quosque recipiunt. C.

387. *Esse istius modi.* Mss. quidam non agnoscunt τὸ *esse.* West. — *Vos*, scil. qui estis ingenuæ nec cuiquam deditæ mulieres. — *Istius modi.* i. e. moribus honestis. — *Nos* quæ sumus meretrices.

388. *Bonis.* Sic Bent. Both. Perl. invitis libb. et contra Valp. pro *bonas*, vulg. Unus West. testatur, mss. et impress. quosdam *bonis* habere. — *Expedit*, prodest, succedit. Sic Plaut. Amph. I, 3, 23. *Perl.* — *Bonis esse.* Non pecuniæ nimium tenacibus, immo et honestis moribus. — *Nos*, *quibuscum est res*, *non sinunt.* Totum illud exple: « Illi quibuscum est res (consuetudo) nobis, non sinunt nos esse vobis similes. »

389. *Nos.* Primo legebatur *nobis*, postea correctum. *Bruns.* — *Quipp. forma imp.* Et hic amor est gratia voluptatis tantum. *Calph.*

390. *Immutata.* Sic legimus ex præstantissimis edd. Venet. veterib. Junt. Ald. St. et aliis; *Imminuta* probat Fa. et dant Bip. Z.

391. *Nisi si prosp. int. aliquid est*, etc. Mss. plusculi, ut citat West. et edd. vestustissimæ, *nisi p. i. a. nobis est.* — *Nisi si prosp.* etc. Nisi aliquid provisum est a nobis, exigendo ab illis pecunias. — *Desert. vivimus.* Vitam agimus derelictæ et abjectæ. — Ad hunc locum citat Bœclerus Plautum qui Mostellar. I, III, 33, rem uberius tractavit.

392. *Semel.* West. mss. *simul*, pro *semel.* — *Vobis ubi semel decretum 'st.* Ubi semel in animo statuistis.

393. *Mos.* Vivendi modus. Cf. Hecyr. 170. — *Consimilis vestrûm*, pro *moribus vestris.* — *Hi.* Pronomen plurale est, quum antea præcesserit *viro*, in singulari.

394. Guyeto hic vs. spurius est, et turbans cæterorum sensum. Bœclero τὸ *vero* suspectum est. Legit igitur vel *ultro*, vel *vestrum.* Guelf. 2, non habet *ab utrisque*; et ab Ed.

Persuadere illi, quæ solet quos spernere!
SYR. In tempore ad eam veni; quod rerum omnium 'st
Primum: nam miserum quemdam offendi ibi militem,
Ejus noctem orantem. Hæc arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet,
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissimum.
Sed heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas.
Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax;
Ego te autem novi, quam esse soleas impotens.
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tusses, risus abstine.

363. *Quos spernere.* Exclamant Z. Valp. post *spernere;* Both. post *quos*; nusquam Antesign. et Perl. *Quos*, quales, quantos, quam divites. — Alii explicant, *aliquos.* —

364. *In tempore*, sc. opportuno. — *Quod* refer ad *negotium*, quod subauditur; non vero ad *tempus.* — *Quod rerum omnium 'st primum.* Hesiod. καιρὸς δ' ἐπι πᾶσιν ἄριστος. Cf. Virg. Æn. IV, 423: « Sola viri molles aditus et tempora noras. » Locum hunc Terentii refert Auson. in Pittaco.

365. *Miserum quemdam.* Ita Bent. codices. Alii ex quibus Antesign. et Z. *Misere.* Variat præterea ordo. — *Miserum.* Delusum arte meretricia. — *Ibi*, apud eam.

366. *Hæc arte tractubat virum.* — Scilicet non est parvæ artis rivalem amatori postponere, ita ut tamen magis perdite hic rivalis amet. Hæc est causa cur Syrus dixerit Clitiphoni, se *in tempore ad eam venisse*, quæ scilicet studebat ei placere, dimittendo rivalem.

367. *Incenderet.* Ed. prim. *accenderet.* Bothius legit, *ut cupidum illius inopia ânimum incend.* — *Inopia.* Non copiam sui faciendo.

368. *Quam gratissimum.* Sic libb. Bemb. Alii vulgo *gratissima.* — *Eadem*, Adverbialiter sumendum. Et intelligendum, *eadem arte*, *eodem artificio.* Quod quidem millies apud Plautum occurrit. — *Hoc*, illa militis dimissio.

369. *Ne quid imprudens ruas.* Ne in aliqua re imprudens pecces, et dolum hunc evertas.

370. *Patrem novisti*, etc. Per hellenismum.

371. *Impotens*, supple, si libet, «imprudens affectuum tuorum moderator. »

372. *Eversas.* Br. *inversas.* — *Inversa verba.* Amputata, non cohærentia, præpostera, *vel* ambigua et ancipitis ac dubiæ notionis. *Juv.* — *Eversas cervices tuas.* Intelligit, cervicis inflexionem in alterutrum humerum, quod signum est amantis et impudice stulti.

373. *Tusses.* Sic damus post Perl. et Both. Aliis, *tussis.* — *Gemitus, screatus* etc. Hæc omnia adolescentuli faciunt, quotiescumque

CLIT. Laudabis. SYR. Vide sis. CLIT. Tutemet mirabere.
SYR. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres!
CLIT. Ubi sunt? Cur retines? SYR. Jam nunc hæc non est tua.
CLIT. Scio, apud patrem; at nunc interim . . . SYR. nihilo magis.
CLIT. Sine. SYR. Non sinam, inquam. CLIT. Quæso paulisper. SYR. Veto.
CLIT. Saltem salutare. SYR. Abeas, si sapis. CLIT. Eo.
Quid istic? SYR. Manebit. CLIT. O hominem felicem! SYR. Ambula.

videre, aut videri volunt ab his, quos desiderant.

374. *Laudabis*, sc. me. Ita omnia ista præcepta servabo, ut me laudaturus sis. — *Vide sis!* « Cave, si vis. » Vultuose pronuntiandum, ut dicit Calphurn. — *Tutemet*, tu ipse. — *Mirabere*, sub. me.

375. *Sed quam cito* etc. Supra, vs. 243. — *Sunt consecutæ mulieres*. Hæc dicit, prospiciens Bacchidem et Antiphilam advenientes.

376. *Ubi sunt?* Interrogat Clitipho, ut iis obviam eat. — *Cur retines?* Hæc dicit ad Syrum; et impatientia amantis ostenditur. Nunc visa amica, Clitipho verba Syri oblivioni tradiderat. — *Hæc*. Sc. Bacchis.

377. *Scio, apud patrem*. Sc. apud patrem tantum non erit mea. — *At nunc interim*. Ἀποσιώπησις amantis: ut sit, sinas me interim paulisper cum amica ludere.

378. *Non sinam, inquam*. Both. *non sino, inquam*. — *Non sinam, inquam*. . . . *Veto*. Vult Syrus eum perpetuo modestum, ne si inceperit, non possit se abstinere, etiam patre vidente. *Calph.*

379. *Si sapis*. Lectionem hanc recipimus contra Bentleium, cui videtur mendosa. Both. quoque dat *sapias*. — *Eo*. Mss. quidam et editi *eho*. — *Saltem salutare*, sub. *sine*. — *Eo*, abeo.

380. *Manebit*. Guelf. 3. *Clinia* post *manebit*. — *Quid istic*. Pro *quid iste*, sub. *Clinia*. « Quid iste faciet. » — *O hominem felicem*, qui maneat cum amica. — *Ambula*. Perge, quamvis invitus.

Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.

ANT. Nescio alias; me quidem semper scio fecisse sedulo, ut
Ex illius commodo meum compararem commodum. CLIN. Ah,
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis :
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Præterquam tuî carendum quod erat. SYR. Credo. CLIN. Syre, vix suffero.

Mediol. integer abest versus. — *Hoc beneficio*, sc. intemeratæ fidei servandæ. — *Utrique ab utrisque devinc.* Et qui amant, et quæ amantur, se ultro citroque fide mutua obligant. — *Vero.* Vox est h. l. affirmantis.

395. *Ut nunquam ulla.* Both. *nulla ut unquam.* — *Ut*, Ita ut. — *Nunquam ulla amori vest.* etc. Citat Farnab. Horat. Od. I, XIII : « Quos irrupta tenet copula, non malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvat amor, die. »

396. *Me quid. semp. scio.* Aliqui libb. ita collocant, *me scio quidem semper.* C. G. m. *me scio semp. quid.* — *Nescio alias.* « Nescio quid aliæ mulieres faciant. » Miranda est illa Antiphilæ indoles; nihil enim in illius virtute coactum est; noscit alias; ita ut non impulerit timor earum sortis, ut honestum amplecteretur vivendi genus.

397. *Ut ex illius.* Guyetus mutat, *ut ex alius.* — *Ah!* Mss. quidam et editi *Vah!* In Bemb. est quoque *ah!* — *Ex illius commodo.* « Sc. amici mei Cliniæ. » Sed non parum facit ad venustatem, omisisse nomen ipsum. — *Meum compararem commodum.* Ut meum commodum æstimarem ex ipsius commodo. — Omnino dissimiliter fit, Andr. 628 : « Malis gaudeant, atque ex incommodis alterius sua comparent commoda. »

398. In Br. et in Edit. Tarv. et Med. *Vah* incipit versum. — *Reducem.* Guelf 2, *reducere.* — *Ah, Ergo mea Antiphila.* Hoc dicit Clinia nondum ab Antiphila visus, sed audiens omnia amicæ verba. — *Ergo*, quum ita sis mei bene memor.

399. *Abs te.* Omittit hæc Guelf. 1; Item Both. qui legit, *N. d. absum, mihi l. fuerunt omnes, q. c. l.* — *Absum*, pro *abessem.* — *Omnes labores.* Quidquid durum, triste, molestum accidit: miseriæ, ærumnæ. *Bœcl.* — *Cepi*, perpessus sum.

400. *Syre, vix suffero*, etc. Tan. Faber non Cliniæ hæc tribuit, sed Clitiphoni. Improbant West. Bent. Bip. — *Tuî carendum erat.* Pro syntaxi usitata, *te carendum er.* Sic et præter consuetudinem Lævius, ap. Gell. 19, 7, « carendum tui est. »

Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui!

Syr. Immo, ut patrem tuum vidi, partes diu etiam duras dabit.

Bacch. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? Ant. Ah, retine me, obsecro.

Bacch. Amabo, quid tibi est? Ant. Disperii! Bacch. Perii, misera : quid stupes,

Quod quidem esse West. existimat per hellenismum, σοῦ στερητέον. *Perl.* — *Credo.* Fere εἰρωνικῶς dicitur. — *Syre vix suffero* etc. Tanaquil Faber, et post eum Dacieria, verba hæc censent tribuenda Clitiphoni, qui in postscenio scilicet auscultans, introrumpat in scenam, osculaturus Bacchidem. Sed satis absurde. Nam *hoc ingenium* h. e. puellam tali ingenio præditam, Clitipho non potest vocare meretricem, cujus forma quidem, sed non ingenio erat percussus. Deinde, quod Syrus respondet, *ut vidi patrem tuum esse habitum*, de Menedemo, non de Chremete dicitur. *Bentl.*

401. *Ingenium.* Mss. quidam, editi vetustissimi, et Br. *ingenio;* perperam, ut censet Bentl. — *Hoccine me mis.* etc. Ordo est : *non licere me miserum frui meo modo*, meo arbitratu, *hoccine ingenium* (Antiphilæ scilicet tam honestum, tam cordatum). Deplorat se non videre amoris sui exitum. *Bœcl.*

402. *Ut patrem tuum vidi.* Codd. et Edd. ad unum omnes addunt, *esse habitum.* Sed hoc glossema esse Bent. existimat, ac magistrorum pruritu antiquitus in textu irrepsisse. Probatur hæc mihi Angli omissio quidem, sed non æque illa, quibus defendatur. *Perl.* — *Partes.* Vocem hanc restituit pariter Perlet. post Bentleium, ex Eunuch. 353. Omnes alii omittunt. — *Duras.* Palmer. conject. *puras.* — Cæterum Ruhnken. versum hunc vocat conclamatum. — *Ut patrem tuum vidi.* « Quantum patris tui affectum et dispositionem perspexi. » Quum non possit per se Syrus Clitiphonem abigere, ad minas patris confugit, quem fingit iratum. — *Partes diu etiam duras dabit.* I. e. « Diu te satis cruciabit, te differet, suspensumque animi tenebit, antequam matrimonio Antiphilæ potiri queas. » Calphurn. voluit subaudiri, *partes*, aut *lites*, quod merito reprehendit Palmerius. Sed ipse Palmerius vere somniat, quum vult legi *puras*, subaudiendo *noctes.* Vide supra.

403. *Intuitur.* Quidam libb. legunt *intuetur.* West. — *Quisn. his adol.* etc. Hæc dicit Bacchis, dum prospicit Cliniam.—*Ah, retine me, obsecro.* Labentem, animo deficientem, precor, sustine. Ita Antiphila, ad primum Cliniæ conspectum, præ nimia lætitia linqui cœpit. Sic Ovid. Heroid. II, 130: « Linquor, et ancillis excipienda cado. » *Perl.*

404. Ant. *Disperii.* Bacch. *Perii*

Antiphila? ANT. Videon' Cliniam? An non? BACC. Quem vides? 405
CLIN. Salve, anime mi. ANT. O mi Clinia, salve. CLIN. Ut vales?
ANT. Salvum advenisse gaudeo. CLIN. Teneone te, Antiphila, maxume animo exoptatam meo?
SYR. Ite intro: nam vos jam dudum exspectat senex.

misera: q. stup. Valp. et alii Bacchidem loqui volunt, non nisi ad *quid stupes?* et *Perii misera* tribuunt Antiphilæ. — *Amabo;* quasi diceret, *quæso.* — *Perii, misera.* Ipsa Bacchis vehementer perturbatur Antiphilæ perturbatione. — *Quid stupes.* Cur ita defixa corpore et animo torpes?

405. *Videon' Cliniam? An non?* Tanta lætitia erat Antiphilæ, ut, etsi amatorem agnosceret, de eo tamen dubitaret. — *Quem vides?* Explica: « quis sit ille quem vides, et cujus conspectus te possit ita perturbare. » Nescit enim Bacchis consuetudinem quæ Antiphilam inter et Cliniam interest.

406. *O mi Clinia, salve.* Variat admodum lectio. Alii, *O mi exspectate, Salve.* Alii utrumque, *O mi exspect. Clin. s.* — *Salve, anime mi.* Clinia ad Antiphilam. — *Ut,* quomodo.

407. *Te* post *salvum* Guelf. 3. — *Advenisse.* Erasm. proponit *venisse.* — *Salvum advenisse gaudeo.* Sic respondet Antiphila, dum quærit Clinia *ut valeat;* sui scilicet illa immemor, in eo tota est, ut suam ei lætitiam testetur.

408. *Exoptatam.* Sic Fa. Both. Perl. Legunt Valp. et alii *exoptata.* Bodl. *Spectata;* Ms. Lips. et Br. *exspectata.* Guelf. 1, *Exoptato.* — *Teneone te, Antiphila.* Ita amplexus eam interrogat, quemadmodum solebant amici peregre redeuntes quasi solliciti vere amicas amplectantur neene. De hoc basiandi modo, Cf. Tibull. II, v, 91. *Perlet.*

409. Abest *jamdudum* Guelf. 3. — *Senex.* Per *senem,* Syrus Chremetem intelligit, sane incepti sui memor, supra, 336. — Bonam partem noctis ponunt in convivio actores omnes, præter Antiphilam et Sostratam apud quam Antiphila erat in diversa sedium parte, matronis attributa: alteram noctis partem collocant in somno Chremes et Menedemus; Syrus et Dromo in excogitandis technis; Clinia, Bacchis et Clitipho, partim in sermone, partim in ludo. Ita continua est actio fabulæ, tametsi nox intercedat inter primam et extremam illius partem. *Juvencius.*

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMUS.

CHR. Luciscit hoc jam. Cesso pultare ostium
Vicini, primum ex me ut sciat sibi filium

410. *Luciscit.* Guelf. 3, et alii *Lucescit.* Item quoque Br. qui etiam non interpungit post *hoc jam.* — *Luciscit hoc jam.* Veteres cælum vel mundum appellabant *hoc.* Ita Plaut. Amph. I, IV, 45 : « Eamus, Amphitruo, *luciscit hoc jam.* » Et idem, Curcul. I, III, « Nam *hoc* quidem, edepol, haud multo post luce lucebit. » Ad hoc Cicero, in Fragm. de Universo, c. II, « commodo namque, inquit, nomine carentes, cælum vel digitis ostendisse, vel adspexisse videntur. » *Perl.* — Pridie Chremes sub vesperam obviam iverat Menedemo : eodem ferme tempore Clinia cum Bacchide et Antiphila domum Chremetis venerant, ubi per Dionysia celebratum erat convivium, et productum ad multam noctem : postridie mane venit ad Menedemum Chremes; quæ omnia ita sunt temporibus dividenda, ut res tota intra spatium horarum quatuor et viginti peragatur; hoc enim spatium actioni comicæ præstitutum est ab Aristotele, ut intra solis unius periodum sive circuitionem absolvatur, vel absolvi possit. *Juv.* — At hoc præcipue hic animadvertendum est, scilicet tertium illud intervallum cum actione ipsa congruere. Hoc nempe temporis spatio Chremes agnoscit quanta sit familiaritas Bacchidem inter et Clitiphonem, unde materia tertio actui præparatur. Summa igitur injuria fabulam hanc critici quidam, absurde morosi, ausi sunt appellare *vastam, et hiantem, et inanem comœdiam.* — *Cesso pultare ostium.* Quasi se ipsum objurget, quod non continuo Menedemi ostium pulset, ei nuntiaturus, etc.

411. *Vicini.* Perletus sustulit post *vicini* cum Par. notam interrogandi, quæ vulgo posita est. Non interrogant etiam Br. Both. — *Primum.* Ms. quidam, *primo* : quod

Redisse; etsi adolescentem hoc nolle intelligo.
Verum, quum videam miserum hunc tam excruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium,
Quum illi pericli nihil ex indicio siet?
Haud faciam : nam, quod potero, adjutabo senem.
Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis;
Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.

tuetur Tan. Faber. *West.* — *Ex me.* Bemb. *e me*, ut indicat Fa. — *Primum ex me sciat.* I. e. ut sciat ex me, antequam sciat ex alio. — Veri amici officium pulcherrime a Terentio in hac scena exprimitur; in qua amicus amico simul et gaudii insperati, maximo cum affectu, nuntium et consilium affert. Præterea ratiocinator hic inducitur officii sui Chremes, et præparantur vices mutuæ opis ac consilii. Dum enim amicitiam nuperrime captam tanto studio ac humanitate colit, dignum se ostendit cui Menedemus se committat, atque subinde ubi usus erit, vicissim inserviat. *Calphurn.* et *Bœcler.*

412. *Etsi.* Vult Bruns. legi *etiamsi.* — *Hoc*, nuntiari patri ipsum rediisse; cur autem *hoc* nolit, vid. supr. 189.

413. *Excruciarier.* Sic ediderunt post Faernum, Bent. Z. Perl. Valp. Legit Bothius *cruciarier.* — *Miserum hunc*, Menedemum.

414. *Ejus abitu.* Filii profectu.

415. *Quum illi*, etc. Fa. *Quum ei nihil peric. ex ind. siet.* Mirante Bentl. quia *illi* hic necessarium est. — *Illi*, filio. — *Periculi nihil ex indicio siet.* Nempe pater ipse confessus est se non tractavisse humanitus animum ægrotum adolescentuli (vs. 99, 100) unde facile conjecit Chremes Cliniam redire posse, avide exspectatum, nedum aliquid mali a patre subire possit. — *Indicium*, proprie est oris et linguæ. *Calphurn.*

416. *Quod potero.* Ed. Tarv. et Merl. *quantum potero.* Sic Guelf. a. Vet. cod. *quo potero.* Alii, *quam pot.* — *Adjutabo.* C. G. m. et Br. *Adjuvabo.* — *Haud faciam*, haud celabo. — *Quod potero*, secundum quod potero adjutare; quantum potero. — *Senem.* Plus habet affectus, quam si diceret *Menedemum. Calph.*

417. *Ita ut.* Victorian. Ms. cod. Basilic. Bip. Delph. *item ut.* — *Ita ut.* «Eodem modo quo ... ita æquum est nos senes, etc.» — *Amico atque æquali suo*, Cliniæ.

418. *In negotiis.* Intellige, in omnibus negotiis, et etiam in omnibus periculis.

419. *Obsequi*, operam navare. — Juxta illud proverbium suavissimum, *pares cum paribus facillime congregantur.* Ex Menandro· γέρων γέροντι γλῶσσαν ἡδίστην ἔχει : παῖς παιδὶ, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνὴ, Νοσοῦν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πεπωμένῳ. *Farnab.*

MEN. Aut ego profecto ingenio egregie ad miseriam
Natus sum; aut illud falsum 'st, quod vulgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio ægritudo; et quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.
CHR. Sed ipsum foras egressum video. Ibo, adloquar.
Menedeme, salve. Nuntium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.

420. *Egregie.* Libb. Bemb. *egregio.* — *Ad miseriam.* Lectionem hanc anteposuimus post Bent. Both. Perl. pro vulgato *miserias.* — MEN. Domo egreditur, et secum loquitur Menedemus, nondum viso Chremete. — *Ingenio.* Ex mea animi dispositione. — *Egregie*, unus e multis, e grege hominum. — Animadvertit Dacieria Menedemum e domo sua exire a primo mane, ut consuetum laborem repetat. Antea enim prædixit se *laborare*, *quærere*, *parcere* indesinenter. Sic constat sibi ἑαυτοντιμωρουμένου persona.

422. *Dici, diem adimere.* Bent. *vulgo quod dici audio, diem tandem adimere*, etc. Durissime, ut sit Bothius, qui reponit *die diem adimere.* Guelf. 2, *dicere*, pro *dici.* — *Diem adimere ægritudinem hominibus.* Menander, πάντων ἰατρός τῶν ἀναγκαίων χρόνος ἐστι. Οὗτος καὶ σὲ νῦν ἰάσεται. — Seneca, consolat. ad Marc. I, ῥητοροκώτερον : « Illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas ærumnas quoque componit, in te una vim suam perdidit. » Nostras LAFONTAINE, in fabella, quam inscripsit, *La jeune veuve :*

Sur les ailes du temps la tristesse s'envole.

423. *Quidem.* Vocem illam non cognoscunt Mss. Lips. Br. Guelf. 2. — *Quidem.* Τὸ *quidem* Menedemum quasi ab aliis segregat, quorum dolorem tempus minuit.

424. *Et quanto.* Guelf. 2, *et quantum.* Br. omittit *et.*

425. *Magis cupio.* Hæc absunt a Mark. — *Magis cupio tanto, et magis desidero.* Quod est omnino contrarium adagio, quod citavit, vers. 422.

426. *Ibo, adloquar.* Libb. antiqui *adibo, adl.* — *Ipsum.* Non debuit Chremes nominatim de Menedemo loqui; quoniam uno tenore pergit quas secum inceperat cogitationes volvere. — *Ibo*, adibo.

427. *Nuntium apporto tibi*, etc. Bene generaliter in nuntio votum futurum esse promisit, ut animus cupidus probari possit, quum non aliud suspicatur, quam quod in desiderio fuerat collocatum. Deinde jungit: *Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme!* Eugraph.

428. *T. f. p. cup.* Both. *p. t. f. cup.* — *Participem fieri.* Vult Chremes sensim nuntiare Menedemo quid sciat de Clinia. Ergo, quo ipse nuntius eum minus vivide afficiat, hunc nuncium indicat ejus-

MEN. Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
CHR. Valet atque vivit. MEN. Ubinam 'st quæso? CHR. Apud me, domi.
MEN. Meus gnatus! CHR. Sic est. MEN. Venit? CHR. Certe. MEN. Clinia
Meus venit? CHR. Dixi. MEN. Eamus, duc me ad eum, obsecro.
CHR. Non vult te scire se redisse etiam, et tuum
Conspectum fugitat; propter peccatum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.

modi esse cujus debeat cupere fieri particeps; qui ergo ad alios quoque nec ipsum modo pertineat, qui ergo non omnino de Clinia agat.

429. *Num quidnam de gnato*, etc. Quia omnis illius sollicitudo circa filium suum erat, ideo statim de eo suspicatus est, nondum facta mentione.

430. *Valet atque vivit.* Both. τὸ *vivit* attribuit Menedemo, et post *atque* indicat interruptam orationem. CHR. *valet atque*.... MEN. *vivit?* CHR. *Apud me, domi.* Mss. quidam *hic apud me domi.* Bent. *apud me hic domi.* — *Valet atque vivit.* Admonet Calphurn. prothysteron esse in sensu. Si enim *valeat*, necessario *vivat.* At Westerhovius animadvertit Martialis illud exprimi dicentis: « Non est *vivere*, sed *valere*, vita. » Adnotat hic interpres Gallicus *Lemonnier*: « Il y a grande apparence que Térence a mis dans ces mots *valet atque vivit* une finesse qui a échappé aux commentateurs. Peut-être Chrémès allait ajouter *suaviter*, *il vit joyeusement*, ou *cum Bacchide*, ou telle autre semblable expression; mais Ménédème l'interompt. » — Exspectatam facit rem tali principio, et officio pretium conciliat mora. Itaque primum de filio hoc tantum nuntiat: *valet atque vivit*; quod ad illud congruit, *habui filium; nunc habeam necne incertum est.* Sequitur plenum et solidum gaudium: rediit filius, *apud me est;* ut Menedemus Chremetem non consolatorem modo, sed fortunæ melioris interpretem et quasi conciliatorem sibi oblatum animadverteret. Tum vero senex, vix capiens gaudii sui modum, admiratur, respicit, frui cupit hoc gaudio: *meus gnatus! venit? Clinia meus venit?* et inde, *eamus, duc me ad eum, obsecro.* Bœcl.

431. *Sic est.* Guelf. 1 *Sic ita est.* Guelf. 2 *Ita est.* — *Venit*, Rediit.

433. *Non vult te scire etiam.* Vult te nondum scire.

434. *Conspectum fugitat; propter peccatum hoc timet.* Alii distinguunt *consp. fugitat*, *prop. peccatum.* — *Hoc timet*, plures addunt *tum* ante hæc, quod omittimus post Zeun. Perl. — *Propter peccatum hoc*, quod uxorem, te invito, ducere voluerit.

435. *Antiqua illa.* Alii *illa antiqua.* — *Illa*, quam expertus est olim tua duritia.

MEN. Non tu ei dixisti, ut essem? CHR. Non. MEN. Quamobrem, Chreme?
CHREM. Quia pessume istuc in te atque illum consulis,
Si te tam leni et victo esse animo ostenderis.
MEN. Non possum : satis jam, satis pater durus fui. CHR. Ah,
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eamdem fraudem ex hac re atque ex illa incides.

436. *Ut essem.* Quantum ab antiqua duritia illa immutatus, et ex acerrimo patre lenissimus sim factus, qui nihil magis in votis habeam, quam filio obsequi, omnia permittere et quantamlibet pecuniam largiri. *Farnab.*— *Quamobrem.* Cur non dixisti.

437. *In te atque illum.* Codd. Bentleii *in te atque in illum.* In Libb. antiquis non est hoc alterum *in*, quod multi editores servaverunt. —*Quia pessume . . . consulis.* Hic jam incipit suasoria illa, quæ animum patris componit, ut circa filium temperet lenitatem nimiam, aut parcitatem. *Eugr.* — *Istuc*, quod in animo volvit, scilicet, *ostendèris te esse animo*, etc. — Patria auctoritas remitti aliquando, nunquam solvi debet; nisi velit pater non sibi tantum, sed iis etiam, quibus gratificari studet, perversam gratiam vehementer officere. Temperavit Chremes reprehensionem, et ad mitiora vocabula transtulit; *animo tam leni*, inquit, *et victo* (quod proba admodum sententia additur,) esse non decet. In hoc enim genere certaminis, filios patribus æquum est concedere, non patres filiis, quod jam ante extulerat Chremes. Vide supra, vss. 85, 203. *Bæclerus.*

438. *Si te.* Veteres codd. *qui te.* — *Et victo esse animo.* Alii, *victo animo esse.*

439. *Ah.* Both. *at.* — *Non possum* aliter facere, non possum contineri, quin faciam; decrevi, ut antiquam illam duritiam in contrarium mutem. Video, quantum peccaverim illa duritia; quantum mihi ærumnæ consciverim, quas gnato hactenus pœnas dederim. Tanta igitur nunc mihi facilitate utendum intelligo, quanta antea sævitia filium coercui. *Bæcl.*

440. *In utramque partem.* Sanum consilium monentis, ut medium inter severitatem et indulgentiam teneret, nec incideret in Scyllam, «cupiens vitare Charybdim.» Cf. Senec. de Ira, capp. 20, 21, 22, 23. *Farnabius.* — *Largitate nimia, aut parsimonia.* Inde scilicet prima venerat mali labes, quod antea pater sumptus negabat, dictitans semper se militatum abiisse, propter pauperiem.

442. *Atque ex illa incides.* Both. *atque illac incides.* — *Fraudem*, errorem. — *Ex hac re*, largitate. — *Ex illa*, parsimonia.

Primum olim, potius quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc. Ea coacta ingratiis
Post illa cœpit victum vulgo quærere.
Nunc quum magno sine intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis. Nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet,
Primum jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro : satrapa si siet

443. *Potius.* Vox illa abest à Mark. — *Potius quam paterere* etc., *proterruisti.* Hæc opponuntur.

444. *Commeare.* Both. ex Bentl. *commetare.* Goveanus et Muretus inverso ordine *commeare filium. Quam paterere ad mulierculam* etc. — *Mulierculam.* Minus est, quam si diceret, aut *mulierem*, aut *meretricem*, utpote quæ erat contenta parvo, et muliercula dicitur cum contemptu, quasi paupercula. — *Paululo a paululus;* et est ablativus; intellige, « exiguo pretio. »

445. *Tum erat contenta.* Both. *contenta tum erat.* — *Tum*, antequam *cœpisset victum vulgo quærere*, 85, 447. — *Omnia*, qualiacumque essent.

446. *Proterruisti.* Mss. quidam ut citat West. *perterruisti.* — Guelf. 2, *ea re* pro simplici *ea.* — *Proterruisti.* Abire territum coegisti. — *Hinc*, e domo tua. — *Ea*, Muliercula. — *Coacta ingratiis*, h. e. invita, et desperans de filio tuo.

447. *Post illa.* Post hæc dissidia. — *Vulgo*, corpus vulgaudo.

448. *Intertrimento.* Alii legunt *detrimento.* — *Sine magno intertrimento.* Sine magno sumptu, et ideo tuarum fortunarum damno. — Quoties ex metallis, quæ conflantur et liquefiunt, quid perit, *intertrimentum* proprie dicitur. *West.* Secundum Varronem, *Detrimentum* a detritu dicitur: quod ea quæ trita sunt, minoris sint pretii. *Intertrimentum*, ab eo, quod duo quæ inter se trita et diminuta. A quo etiam *intertrigo* dicta. *Calph.*

449. *Quidvis.* Quodlibet quod petatur.

450. *Ea.* Amica filii tui. — *Pulchre*, per ironiam dictum, pro *valde.* — *Ad perniciem*, ad exhauriendas fortunas amatorum.

451. *Primum.* Per vocem hanc comice terret animum Menedemi, quasi singula hujusmodi plura deinceps sequantur. *Perl.* — *Plus decem.* Intelligit multas, ut quas numerum hunc definitum excedentes. At Antiphilæ una ancilla sufficiebat : supra, 293. Ridiculum igitur est Chremetem a Syro seductum de Antiphila credere, quæ in Bacchidem solam cadant, sui filii amicam. *Perl.*

452. *Oneratas.* Both. legit *ornatas.* — *Veste atque auro.* Guelf. 2. *et* pro *atque.* — *Satrapa.* Alii *Satrapes.* Unus cod. *satrapas* apud Bent-

Amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat,
Nedum tu possis. MEN. Estne ea intus? CHR. Sit rogas?
Sensi. Namque unam ei cœnam atque ejus comitibus
Dedi; quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi
Quid vini absumpsit! sic hoc dicens : « Asperum,
Pater, hoc est; aliud lenius, sodes, vide. »

leium qui inde facit, eliso *s*, *satrapa*. Ita quoque Bip. Both. Perl. — *Satrapa si siet*. Amator tam dives quam satrapa. Erant *satrapæ*, proceres et præfecti provinciarum apud Persas, iique vulgo ditissimi. — Plura vid. ap. We. Adde Lucian. Dial. meret. XIII, ὁ γὰρ σατράπης μέγιστος ὢν, ὁπλομάχων ἄριστος δοκῶν εἶναι. *Perl.*

453. *Sufferre ejus sump.* Bipontini editores exhibent *sufficere is sumptui*, mirante Perleto.

454. *Sit rogas.* Linacer *si sit*. Ita, Guelf. 2. — *Tu*, homo privatus et rei modicæ. — *Intus*, apud te. — *Sit*, sub. *ne*, quod ante expressum erat, *estne ea int.*

455. *Namque unam ei.* Alii *namque ei unam*. Br. Bip. *nam unam ei.* — *Sensi.* Satis mihi videre fuit eam adesse, et cui magni constiterit hæc præsentia; verbum illud quasi cum gemitu pronuntiat. — Hæc comice admodum exprimuntur, et optime cadunt in indolem senis, qui « quærit, et inventis miser abstinet uti. » Horat. art. poet.

456. *Quod si iterum mihi sit danda.* Mss. quidam *quod si it sit d.* Both. *quæ si.* — *Mihi sit danda*, a me offerenda. — *Actum fiet*, *actum sit*, actum erit de me et meis fortunis.

457. *Pytissando.* Sic libb. Vict. per duo *s*, recte a πυτίζω vel πυτίσσω. Variat scriptura *pytisando*, *pitissando*. — *Pytissando.* Verbum est proprie per ὀνοματοποιΐαν dictum, quo exprimitur motus labrorum alicujus vinum degustantis, et postea exspuentis, a Græco πυτίζω, unde πτύω quod est *Spuo* Latinorum. — Athen. Deipnos. Lib. 3. Καὶ τὸν μὲν ὀξὺν οἶνον ἐκπιτύξομεν. » — *Modo.* Et etiam, dum solum modo degustaret, nedum, quum large propinaret.

458. *Quid vini absumpsit.* Plures geminant *quidquid*. — *Vini.* Apud Perletum, errore typographico, *veni*. — *Quid.* Quantam copiam. — *Sic*, dum ita pytissaret. — Alii *sic hoc* tribuunt Bacchidi loquenti per os senis, et intelligunt : « *Hoc vinum est sic.* » Quod Faernus dici ait, quum quid vel improbatur, vel mediocre esse declaratur. — *Asperum.* Austerum. — Secundum Plinium, tria sunt vini genera, *Austerum*, *dulce et tenue*.

459. Antesign. distinguit *pater hoc est*, *aliud lenius*. Quidam volunt *illud lenius*. — *Vide.* Pro *vide* Nonius habet *para*. — *Pater.* Sic senem meretrix callida honoris et adulationis causa appellat. — *Aliud lenius vide.* Quære, inter tua vina, aliud quod sit lenius. — *Sodes*, si placet.

Relevi dolia omnia, omnes serias.
Omnes sollicitos habui. Atque hæc una nox.
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me Dî amabunt, ut me tuarum miseritum 'st,
Menedeme, fortunarum. MEN. Faciat quod lubet:
Sumat, consumat, perdat; decretum 'st pati,
Dum illum modo habeam mecum. CHR. Si certum 'st tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne scientem sentiat te id sibi dare.

460. *Relevi.* Alii *relivi.* — *Relevi* etc. Id est *perforavi;* quæ perforatio fieri non poterat, nisi prius auferretur, aut argilla, aut pix, aut resina, aut gypsus, quibus linebantur *dolia*, aut incrustabantur. *Calph.* — Cæterum de modo vina condendi, Cf. Plin. H. N. XIV, 20. Et Columell. XII, 18. » *Dolia*, inquit, et *seriæ*, cæteraque vasa condenda sunt. Hor. Lib. I, Od. 20, 2: «Quod ego ipse testa conditum *levi.* — *Seriæ.* Vasa fictilia vinaria oblonga, in quibus vinum recondebatur. Obturabant pice, calce, et resina. *Farnab.*

461. *Omnes sollicitos habui.* Bent. *habuit.* Quod approbat Ruhnken. Both. disponit *om. habui sol.* — *Atque hæc una nox.* Mark. et Bœnd. *hæc fuit una nox.* — *Omnes sollicitos habui.* Sub. *servos.* Omnes habui servos variis officiis occupatos ac distractos, dum iis ministrarent. *Farnab.* — Longe aliter intelligenda hæc proponit Eugraph.: «Omnes habui ebrios. *Sollicitos* enim significat *solo citatos*, quod ebriis contingit, quibus non sunt firma vestigia, sed motu corporis citi sunt.» *Eugraph.* — *Hæc una nox.* Hoc fuit spatium unius noctis.

462. *Futurum.* Mss. *facturum*, ut notat Westerhovius. — *Quid te futurum.* Quid de te futurum esse. — *Assidue*, nec ideo tantum una nocte. — *Exedent*, Bacchis et ejus asseclæ.

463. *Sic me Dî.* Alii *ita me Dî.* — *Amabunt.* Guy. *Amassent.* — *Amabunt*, eodem sensu quo *ament;* et intellige, «Dii me ament tam, quam verum est me miserere tuarum etc.» — *Miseritum est*, supple, *tunc* i. e. quum vidi talem jacturam.

464. *Quod lub.* Guelf 1, *quid lubet.* Br. *libet.* — *Faciat*, filius.

465. *Sumat*, ex meo capiat. — *Consumat*, captum impendat. — *Perdat*, dissipet inaniter. — *Decretum est pati.* Decrevi ferre omnia nati mei, vel flagitia.

467. *Illud permagni.* Alii *id.* — *Illud*, quod explicat vs. sequenti, *ut ne scientem*, etc.

468. *Ut ne scientem.* Sic Palmer. Guelf. Alii *divisim.* Vulgo conjunctim *nescientem.* In uno Leid. legitur *ut nesciente.* — *Ut ne*, pro simplici *ne.* — *Scientem.* Ordina, *ut ne sentiat te scientem;* et intellige: ut non sentiat te, quum hanc ei licentiam dederis, non ignarum esse te dare.

MEN. Quid faciam? CHR. Quidvis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemvis ut des; falli te sinas
Technis per servolum, etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vestro consusurrant, conferunt
Consilia ad adolescentes: et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud, quo modo
Minimo periclo id demus adolescentulo:
Nam si semel tuum animum ille intellexerit,

469. Guelf. 3, *hoc* ante *quod cogitas*. — *Quidvis potius, quam quod cogitas*. Respiciatur vs. 464. seq.

470. *Ut des*. I. e. ut concedas talem licentiam.

471. *Etsi quoque*, « Quamvis etiam. » Voce hac corrigit quæ mox dixerat, quasi omnia sic jungerentur: «Tibi suadeo, ut sinas te falli per servulum, etsi non esset necesse illa suadere; nam quod suadeo fit nunc jam; jam falleris; et enim subsensi illos etc. »

472. *Et id agere*. Br. Bothius. Delph. ommittunt *et*. — *Illos*. Servos. — *Ibi esse*. In eo versari, ut te fallant. — *Id agere*, huic rei operam dare.

473. *Cum illo vestro*. Both. omittit *ille*. — *Consusurrant*. Sic libb. antiqui. Vulgo *consusurrat*. — *Syrus cum illo vestro*. Syrus et ille vester. Nota *cum* accipi pro *et*. It id. Liv. XXI, 60: « *Ipse dux cum* aliquot principibus capiuntur. »

474. *Consilia ad*. Alii omittunt *ad*. — *Adolescentes*. In vett. libb. *adulesc.* quomodo scripsisse veteres Mu. suspicatur, quum vellent secundam producere. — *Conferunt consilia ad adolesc*. Servi conferunt ad adolescentes consilia quæ conceperint. — Si omiseris *ad*, intellige cum pluribus, « filii nostri communicant invicem consilia. »

475. *Hoc pacto*. Eo scilicet, *per alium quemvis ut des*, vs. 470. — *Quam illo*, cf. vs. 464. sq. « Faciat quod lubet: sumat etc. » et opponuntur vivide *talentum* et *mina*.

476. *Non nunc pecunia agitur*. Omittimus *de* post Bent. Bip. Perl. Both. admittunt alii. — *Non nunc pec. ag.* etc. Non agitur nunc quæstio de pecunia, sed de ea re, scil. quo modo.

477. *Periclo*. Dormitat Perletus dum admittit *periclo*. — *Id demus*. Tò *id* Both. putidum clamat, et omittit. — *Id demus*. I. e. facultatem suo genio large indulgendi.

478. *Ille*. Libb. antiqui *is*. Collocat C. G. m. *intellexit ille* contra iambum, ut putat Perl. — *Tuum animum*. Quid erga eum agere decreveris; quod explicat versu sequenti.

Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui,
Quantam fenestram ad nequitiem patefeceris
Tibi autem porro ut non sit suave vivere;
Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcumque inciderit in mentem, volet; neque id
Putabit pravum, an rectum sit, quod petet.
Tu rem perire et ipsum non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te se valere sentiet:
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
MEN. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.

479. *Te tuam vitam.* Both. *vitam te tuam.* — *Proditurum.* Prodige et effuse daturum; amissurum.

480. *Amittas.* Br. *amittis.* — Guelf. 3 *illum* pro *filium.* — *Quantam fenestram* etc. Simili metaphora Plin. Ep. I, 18: « Illa januam famæ patefecit. » Et sermone gallico dicitur non ineleganter: « Ce sera *ouvrir la porte* à tous les vices. »

481. *Quantam fenestram.* Reponit Bentleius *quantam ei fenestram*, quod contendit requiri ab opposito *tibi.* Both. *quantam fenestram ad neq. ei patefeceris.* — Variat scriptura: Perl. Zeun. Both. *nequitiem.* Br. Bip. Valp. *nequitiam.*

482. Elegans hic versus Guyeto, ut spurius, expungitur. — *Tibi aut.* etc. Construe, *aut. ut porro non sit t. suav. viv.* et intellige, « Sed ita ut proinde non futurum sit gratum tibi vivere. »

483. *Sumus.* Legit Zeun. *fimus.*

484. *Quodcumque inciderit* etc. Vat. cod. ap. Lind. *Quod cuique cumque.* Alii *quod cuicumque.*

485. *Putabit pravum, an* etc. Br. *Pravum, an rect. sit, petet,* omisso *quod.* Bip. *Pravum ne an rect. sit, q. p.* Bothius legit, *quodcumque in m. inciderit, id volet, petet, neque id put. pravum ne an rect. siet.* — *Putabit.* Pensi habebit.

486. *Ipsum.* Guelf. 2, *illum.* — *Rem,* Bona; sup. 465, loc. cit. — *Ipsum,* filium luxuriose viventem.

487. *Dare denegaris.* Ms. Mark. *Dare si deneg.* Alii, *denegabis.* — *Ad illud.* Ms. Lips. et Br. *ad illum.* — *Dare,* supple, quantum postulaverit. — *Denegaris,* pro *si deneg.* Conjunct. *si* omittitur, ut Horat. Serm. I, III, 15. *Dedisses,* pro *si dedisses.* Perlet.

488. *Quo max.* Ms. Lips. Guelf. 1, 2, *qui m.*

489. Both. *Scilicet,* pro *illico,* quod putide repeti contendit. — *Minabitur.* Omnes cod. Bent. exhibent, *minitabitur.*—*Illico,* Refer ad *minabitur.*

490. *Verum.* Bem. *vera.* — *Videre,* pro *videris,* et supp. *mihi.* — Lucta animi exprimitur, videntis vera probantisque, sed lubidine et

CHR. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi quî filium restituerem.
MEN. Cedo dextram : porro te oro idem ut facias, Chreme.
CHR. Paratus sum. MEN. Scin', quid nunc facere te volo?
CHR. Dic. MEN. Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere : cupio illi dare
Quod vult; cupio ipsum jam videre. CHR. Operam dabo.
*Paulum hoc negotî mî obstat : Simus et Crito

affectu in alteram partem allicefacti. *Bœcler.*

491. *Quæro.* In vet. cod. Paris. scriptum inveniri notat Acidalius, *quæso.* — *Restituerem.* Malit Westerhov. *Restituam.* Bothius legit, *Restituerim.* — *Somnum hercle* etc. Somnum non admiserunt hac nocte, non senserunt oculi mei, dum quærerem quomodo tibi filium redderem. —*Videre somnum.* Hebraismus est, ut *videre mortem;* et Aristoph. in Vespis: Ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασπάλην. *Farnab.*

492. *Dum quæro.* Pro, *dum quærerem.* — *Quî,* quomodo. — *Restituerem,* scilicet ita dispositis provisisque rationibus, ne te atque se perditum ire velit; talem, qui possit a te sine periculo, de quo dictum, suscipi. *Bœcler.*

493. *Cedo.* Par. p. var. *Cede.* — *Dextram.* Alii *dexteram.* — *Porro te oro id. ut fac.* Collocant alii *Por. te id. oro ut fac.* — Abest *ut* Guelf. 2. — *Cedo, Da.* Formula fœdus et amicitiam pangentium. Cf. Serv. ad Virg. Æneid. VII, 226. — *Idem ut facias.* I. e. ut pergas mihi, misero patri, inservire.

494. *Scin' quid nunc fac. te volo?* Sic collocantur hæc in Fa. ac Be. libb. In aliis aliter, *sc. q. n. te fac. vol.*

495. *Incipere fallere.* Mark. et Guelf. 1, *incip. velle fallere.* West. Ita quoque vet. cod. apud Lind. *Velle* pro *incip.* Guelf. 3. — *Quod sensisti illos* etc. Totam sententia sic construe et supple: « Volo te facere ita ut maturent facere id secundum quod sensisti illos incip. fall. me. »

496. *Id.* Ms. Pal. 2, *volo.* Glossatoris videtur, verbi *volo,* vs. 494. immemoris. *Perl.*

497. *Cup. ipsum jam. v.* Alii omittunt *ipsum,* Perperam, ut putat Perl. — *Quod vult,* quæcumque velit. — *Jam,* statim. Farn. notat. « Hôc animi per indulgentiam impotentis. » — *Operam dabo.* Faciam ut properent, et filium videas.

498. * Qui vulgo sequuntur versus tres, *Syrus est* etc., hinc inde a Bentl. sunt ad finem scenæ commode translati. Quem ego sic ordinantem secutus sum. *Perl.* Et Nos item. — *Hoc negotî.* Alii *hoc* omittunt. Zeun. *paululum negotî.* — *Paulum hoc negotî.* Hoc parvum (quod sequitur vs. 499.) impedimentum, — *Mî obstat,* quominus statim domum eam.

Vicini nostri hic ambigunt de finibus.
Me cepere arbitrum. Ibo ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse iis dare.
Continuo hic adero. MEN. Ita quæso. Di vostram fidem!
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et dijudicent,
Quam sua! An eo fit, quia in re nostra aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi?
CHR. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.

499. *Hic.* Both. *hice.* — *De finibus.* De terminis agrorum suorum.

500. *Dicam, ut dixeram* etc. Construe: *dic. me hodie non poss. iis dare op. ut dix.* — *Ut*, sicut.

501. *Iis.* Sic dant Br. Perl. Bent. Z. Both. Dant alii *his.* — *Operam daturum me.* Proprie *operam dare* dicuntur judices vel *arbitri*, qui audiunt de controversia disputantes. It id. Cic. Div. VII, 24: «Dixit judicem sibi operam dare constituisse.» *Perl.*

502. *Adero.* Legendum monet Bentl. *adsum.* — *Continuo.* Statim ac illud duobus vicinis dixero. — *Ita, quæso.* Sic facias, rogo.

503. *Ita.* Lib. antiq. *Itan.* — *Comparatam esse hom.* etc. Guyetus, *Ita Comparatum e. h. natura omn.* — *Ita Comparatam esse* etc. Auget jucunditatem hujus ῥήσεως, quod in utrumque senem invicem quadrat, sicut principio actus ultimi. Simul et ea res exhibebitur. *Bæcl.*

504. *Ut melius vid.* Fa. *melius ut* etc. — *Dijudicent.* Ms. et editi quidam cum Calph. et Br. *judicent.* — *Aliena ut melius videant* etc. Sententia vulgaris est; uti ap. Phædr. IV, 10; Cic. Tusc. II, III, 30, et Offic. 9; Lact. Firm. de fals. sap. 4. Menander: Οὐδεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε, Σαφῶς, ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.

505. *An eo fit.* Guelf. 1, 3, *hoc* post *eo.* — *In re nostra.* Reponit Bent. *re in nost.* — *Eo*, ob id, sc. quia, etc. — *In re nostra*, in re quod ad nos attinet.

506. Pro *nimio*, quod ipsi videtur ambiguum, Both. *nimium.* — *Præpediti.* Impediti, vel antequam quidquam inceperimus.

507. *Quanto nunc.* Sic Perl. Valp. et plures. Collocant Br. Bip. Both. *Nunc q.* — *Hic*, Chremes. — *Mihi*, in re mea.

508. *Otiosus.* L. antiq. *ocius.* — *Operam ut tibi darem.* Dacieria, et Bip. post eam, *operam ut huic darem*, quasi de Menedemo, non ad Menedemum. Non recte. Namque Chremes exacto negotio, de quo coram Menedemo ad versum usque 502 dixerat, hic redit. Reliquerat igitur Menedemum in scena solum, qui interea secum loquitur, quæ inde a versu 502, sequuntur ad vers. usq. 567, continuata. Tum redit Chremes, et excipit filum orationis, quam versu 497, verbis

** Syrus est prehendendus atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit : concede hinc domum,
Ne nos inter nos consentire sentiant.

SCENA SECUNDA.

SYRUS. CHREMES.

Syr. Hac illac circumcursa, inveniendum 'st tamen
Argentum; intendenda in senem est fallacia.
Chr. Num me fefellit, hosce id struere? Videlicet

operam dabo præciderat, hoc modo quo videmus. Ita mihi. *Perletus.* — Hoc versu novam scenam incipit Bip. — *Dissolvi me.* Expedivi me cito a vicinis. — Cito revertens ab eo quo iverat Chremes, dicit se ex eo negotio solutum, et amico operam traditurum. *Eugraph.*

509. ** *Syrus est prehend.* Cf. supra vs. 498, de hoc ordine versuum, quem sequitur quoque Bothius. — *Prehendendus.* Mss. et editi quidam, *apprehendendus.* Both. *adprendendus.* — *Prehendendus*, i. e. intercipiendus, appellandus. Andr. 354 : « Thus pater modo me prehendit. » — *Adhortandus*, ut deducat filium tuum ad te. — *Mihi*, a me.

510. *A me nescio quis exit.* Hæc formula, ut recte Bentl. animadvertit, plerumque finem scenæ indicat. Ergo ponendus erat hic versus in fine. *Perl.* — *A me*, mea domo. — *Concede hinc domum.* Ex hoc loco, ubi nunc versaris, domum tuam te recipe.

511. *Consentire.* Sic nos ex Be. post Perlet. pro *congruere* vulg. Both. legit *congruisse.* — *Sentiant*, filii nostri.

512. *Inveniendum 'st.* Be. Bip. Both. *es*, pro *est*, ut Syrus argentum ipsum compellet, vernili facetia. Sed hoc sane magis comicum esset, quam quod poterat exspectari a Terentio. *Perlet.* — *Tamen.* Vult Guyetus *enim.* Et, secundum Westerh. poterat nullo sensus damno, abesse τὸ *tamen.* — *Hac illac*, sc. via, aut, *quolibet*, *ubique.* — *Circumcursa.* Se ipsum Syrus, non viso sene, alloquitur. — *Tamen*, h. e. tandem, postquam omnia sum expertus. *Perl.*

513. *Est* omittit Both. — *In senem.* Chremetem. — Pro Clitiphone inveniendum erat argentum : itaque in ejus patrem Chremetem intendendam esse fallaciam, Syrus intelligit. Sed Chremes Menedemo hæc parari autumat. Πρὸς τὸ θυμῆρες τῆς κωμῳδίας. *Bœcler.*

514. *Num me fef.* M. Bænd. Leidd. tres, Traject. *Non me fef.* — *Id struere.* Traj. Guelf. 3, *instruere.* — *Non me fefellit*, etc. « Num me latuit hosce servos et adolescentes

Ille Cliniæ servus tardiusculu 'st:
Idcirco huic nostro tradita 'st provincia.
Syr. Quis hic loquitur? Perii! Numnam hæc audivit?
Chr. Syre. Syr. Hem!
Chr. Quid tu istic? Syr. Recte equidem; sed te miror, Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. Chr. Nil nimis.
Syr. Nil, narras? Visa vero 'st, quod dici solet,
Aquilæ senectus. Chr. Heia! Syr. Mulier commoda et

nectere fallaciam in Menedemum?» Quæ scilicet prædicit Menedemo, scen. præced. vs. 471, sqq. Quo enim magis decipitur bonus ille Chremes, eo magis sua sagacitate sibi placet; sicut in Andria Simo. *Bœcler.*

515. *Ille Cliniæ*, etc. Versus gratia scribe, *Ille Cliniai servus tardiusculust.* Sic alibi *hospitai*, *Phædriai*. *Lind.* Ita et Fa. Bent. Bothius legit, *Est Cliniæ ille servos* (servus) *tardiusculus.* Ita et Delph. — *Ille Cliniæ servus.* Dromo. — *Tardiusculu 'st.* Infra vs. 545, *stolidus est*, sc. ad fabricam aliquam fingendam, ad intendendam fallaciam, ad instruendam fraudem. Comparatur servorum hinc calliditas, inde hebetudo; sicut in Andria Davi et Byrrhiæ exemplum habuimus. *Bœcler.*

516. *Huic nostro* servo. — *Provincia.* Negotium pecuniæ quærendæ.

517. *Hæc audiv.* Both. *Hic.* — *Audivit.* Delph. *audit.*

518. *Recte quidem; sed te miror.* C. G. m. *R. quidem*, etc. Alii, *demiror.* Both. *Recte*: *sed te dem.* — *Quid tu istic* facis. — *Recte equidem.* Nihil equidem. — Sic solent qui sine injuria interrogantis aliquid reticent, *Perl.* — *Te miror.* Miror, quod te videam, sc. quod surrexeris tam mane.

519. *Heri.* Delph. *here.* — *Biberis.* Ed. prim. *biberas*, et post hanc vocem interrogat Br. — Guelf. 3, addit, *te potuisse surgere*, post *Bib.* — *Nil nimis.* Both. *Nil minus.* — *Heri*, in festo Dionysiarum; vid. vs. 162. — Perleto autem illa magis spectari cœna videtur, quam Chremes Bacchidi se dedisse enarravit Menedemo, et quæ facile possit *hesterna* appellari. Cf. 455, 456. Præterea, ut pergit Perletus, vult Syrus, qui modo dixerat, *intend. in sen. est fall.*, hunc timens ne audiverit, in aliam rem flectere. — *Nil*, pro *non.* — *Nimis*, sub. *bibi.*

520. *Nil, narras?* Alii sine distinctione, *Nil narras?* contra morem Terentii: nam ita solet voce *nil* iterari ad *nil* prioris personæ. *Perlet.* — *Nil, narras?* Non bibisti plus æquo, inquis? — *Visa est*, in te. — *Vero*, vere.

521. *Aquilæ senectus.* Supple, «Quum plus biberis quam comederis.» Adulatorie gratulatur hero hilaritatem a vino, quod Plato, de legibus, II, interdictum pueris ad annum usque octavum et decimum

Faceta hæc meretrix. CHR. Sane idem visa est mihi.
SYR. Et quidem hercle forma luculenta. CHR. Sic satis.
SYR. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona;
Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quemdam avidum, miserum atque aridum,
Vicinum hunc : nostin? At quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.

indulsit senibus, ut redire ad juventutem videantur, molestiarum obliti. Interpretes ad bibacitatem senum referunt, ut qui potu magis alantur quam cibo, non secus atque aquilæ, quæ rostro per senium adunco, prædæ carnibus vesci quum nequeant, sanguine epoto victitant. Arist. lib. IX, Nat. Anim. Plin. H. N. I, x, c. 3; Alex. Aphrodis. I, xi, Probl. 127. *Farnab.* — *Heia!* Vox est corrigentis, quasi diceret: « De hoc satis est dictum. » — *Commoda*, quæ novit alteri se accommodare.

522. *Sane id. visa est mihi.* Lib. Bemb. *tibi* pro *mihi.* Ibid. personæ sic notatæ: CHR. *Sane.* SYR. *Id. visa est tibi.* Both. CHR. *Sane quidem.* SYR. *Visa est mihi et*, etc. — *Faceta.* Dicitur *facetus* conviva in dictis præsertim. Juvenal. IX, 10. *Perl.* — *Idem.* Eodem modo, pariter.

523. *Luculenta.* Quodcumque splendore suo oculos ferit, *luculentum* dicitur. *Westerhov.* — *Sic satis*, sub. «pulchra est.» Formula mediocriter laudantis.

524. *Sane bona.* Guelf. 2, *satis b.* — *Ita non ut olim*, etc. « Bona quoque est forma, non ut quondam erant bonæ; sed sicut his temporibus sunt mulieres. » Palpatur seni temporis acti laudatori, quasi illo juvene formosiores essent mulieres quam sunt. *Bip.* — Intelligendum proponunt alii, ex quibus Farnabius : « Bona est forma, sed non ut erat in flore ætatis. » Qui quidem sensus minus placet.

525. *Minimeque.* Guelf. 2, *min. quoque:* — *Hanc*, Guelf. 3, *propter hanc.* — *Clinia hanc si deperit.* Callide Syrus senem in hac opinione firmat, Bacchidem Cliniæ esse amicam. *Calph.*

526. *Avidum.* Mark. et Bœnd. *hominem avidum.* Both. *miserequearidum.* — *Patrem quemdam.* Eodem modo Græci dicerent πατέρα τινά, si vellent indicare eum esse patrem de quo loquuntur, qui cæteris patribus differt. — *Aridum.* Siccum parcimonia. — Vel translatio a terra, quæ nihil profert.

527. *At quasi is.* Ms. quidam, *quasi si is.* Br. *at qui si is.* Bothius legit, *V. hunc : Nostin'?* CHR. *At quasi.* SYR. *Is nunc divitiis.* — *Vicinum hunc.* Simul domum indicat Menedemi. — *Is*, idem ille Menedemus.

528. *Inopia*, quum pater omnia ei denegaret. — Ex more inopiam male meritis adjecit. *Eugraph.*

Scis esse factum, ut dico? CHR. Quid? Ego nesciam?
Hominem pistrino dignum. SYR. Quem? CHR. Istum servolum
Dico adolescentis. SYR. Syre, tibi timui male.
CHR. Qui passus est id fieri. SYR. Quid faceret? CHR. Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti, amicæ quod daret,
Atque hunc difficilem invitum servaret senem.
SYR. Garris. CHR. Hæc facta ab illo oportebat, Syre.
SYR. Eho, quæso, laudas, heros qui fallunt? CHR. In loco

529. *Scis.* Lib. Bemb. Valp. et alii, *Scin'*.—*Quid? Ego nesc.* Both. et Valp. sine interrupt. *Quid ego nesc.?* — *Nesciam.* Par. p. var. *ni sciam.* — *Quid? Ego nesciam?* Quomodo fieri posset? Quomodo ignorarem?

530. *Istum.* Alii *istunc.* — *Hom. pistr. dign.* Per exclamationem dictum, *O hominem*, etc. — *Pistrino dignum.* Servorum supplicio. Andr. 602. *Farnab.* — *Quem?* Recte interrogat Syrus; poterat enim ambiguum videri de Menedemo loqueretur, an de filio, an denique de alio quodam. *West.* — *Servolum*, Dromonem.

531. *Adolescentis*, Cliniæ. — *Syre, tibi timui male.* Ad spectatores versus, secum hoc, more comico. *Bœcl.*

532. Br. interrogat post *fieri.* — *Qui passus est id f.* Pergit Chremes loqui, sermone non interrupto. — *Id fieri.* Fugere Cliniam. — *Quid faceret?* Quid facere posset?

533. *Fallacias.* Guelf. 1, *fallaciam.* — *Reperiret, fingeret.* Debuisset reperire, fingere, etc. — *Aliquid rep.* technam aliquam. — *Fing. fallac.* Comice Chremes, nescius quidem, incitat Syrum ad fallacias contra se ipsum parandas; et hic versatur ars multa Poetæ nostri.

534. *Am. quod dar.* Both. *quod daret amicæ.*

535. *Servaret senem.* Vitam conservaret huic seni, qui continuo labore se enecat, moroso ac vitam fastidienti.

536. *Oportebat.* Sic nos post Z. Bent. Perl. Bip. Both. Alii *oportebant.* Vid. Andr. 482, p. 67. — *Garris.* « Nocaris. » Vernili libertate hæc in speciem assumpta. Plautus plene, *nugas garris*, Curcul. V, II, 6. Hæc sunt contra dicentis: Non enim audebat Syrus credere aliter quam deludi se ab hero. Captat uterque et captatur in hac scena. *Bœcler.* — *Hæc*, quæ dixi, sc. aliquid reperiri etc. — *Facta*, sub. *esse.*

537. *Eho, quæso, laudas.* Alii, *Eho! laud. quæs.*—*Quæso*, obsecro. — *Laudas*, probas. — *In loco.* Quando id faciunt in tempore et

Ego vero laudo. SYR. Recte sane. CHR. Quippe quî
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum 'st:
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.
SYR. Jocon' an serio ille hæc dicat, nescio;
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
CHR. Et nunc quid exspectat, Syre? An dum hinc denuo
Abeat, quum tolerare illius sumptus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? SYR. Stolidus est.
CHR. At te adjutare oportet, adolescentuli
Causa. SYR. Facile equidem facere possum, si jubes;
Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.

opportune. Bene adjecit *in loco*, ne perpetuam malefaciendi licentiam servis daret. *Eugr.*

538. *Quippe quí.* Vulgo *quia* pro *quí*. — *Vero*, Sane. — *Recte sane*, sub. distinguis. — *Quippe quí*, quippe qua ratione, quippe ita.

539. *Id remed.* Vulg. *id* omittitur. — *Id*, heros fallere in loco.

540. *Jam huic mansisset unic. gn. domi.* Reponunt plures ex Bent. *huic jam m.* etc. Vet. cod. ap. Lind. *Nam huic.* Both. *J. primum huic g. un. mansisset d.* — *Jam*, ut statim exemplum proferam. — *Huic*, Menedemo.

541. *Jocon' an serio.* Br. *joco an s.* — *Ille hæc.* Alii *illæc.* — *Jocon' an serio* etc. Iterum ad spectatores conversus, secum loquitur.

542. *Nisi mihi quidem addit animum* etc. Ignoro serione an joco loquatur; omnia ergo ignoro, nisi illud, scilicet illius consiliis mihi animum addi, etc. — *Quo lubeat magis.* Ut acrius cupiam perficere technas quas cogito.

543. *Et nunc.* Alias, *At nunc.* — *Quid exspectat*, Dromo. — *An dum* etc. Constructio plena est, « an exspectat dum, etc. »

544. *Illius sumpt.* Codd. Bentl. universi sic, *illius*, non *hujus*, quod dant alii. — *Non queat.* Quidam *nequeat.* — *Abeat*, Clinia. — *Quum tolerare illius* etc. Quum non poterit sufficere impensis amicæ sumptuosæ.

545. *Ad*, adversus. — *Fabricam*, fallaciam, machinam. — *Stolidus est.* Ipse servus stupidus est, nec ullam habet solertiam ad ejusmodi fraudem fabricandam.

546. *Adjutare.* C. G. m. *adjuvare.* — *Adjutare*, sub. Dromonem, et intellige, in hero fallendo. — *Adolescentuli causa.* Ut detraheretur facto pravitas, si eo pertineret. *Bœcl.*

547. *Facile equidem* etc. Peritiam suam circa hujusmodi rem declarat servus; sed subjicit se metuere domini voluntatem, et posse facile, si ipse voluerit imperare. *Eugraph.*

548. *Id*, heros fallere — *Calleo*, callide, longo usu scio.

CHR. Tanto hercle melior. SYR. Non est mentiri meum.
CHR. Faç ergo. SYR. At heus tu, facito dum eadem hæc memineris,
Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
CHR. Non usus veniet, spero. SYR. Spero hercle ego quoque;
Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid. Quæ sit ejus ætas, vides.
Et næ ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,

549. *Melior*, sc. *es*. — *Non est mentiri meum*. «Meus non est mos mendacium proferre. « Significat se nullo modo mentiri, de sua fallendi peritia gloriantem, et dicentem se semper præstare quod fuerit pollicitus.

550. *Fac ergo*. Ergo id effice, tu qui calles.—*Heus tu*. Hæc Syrus ad Chremetem parantem abire. — *Facito dum*. Vox *dum* jungitur verbo, ut sæpe, quo magis augeatur vis adhortandi. Sic *Agedum* etc.— *Eadem hæc*, sub. quæ nunc mihi dicis. — *Memineris*. Jam providet fallaciæ quam mente conceperat, quo facilius mereatur veniam, si quid struxerit in herum; et revera structurus est. *Calph*.

551. *Si quid huj. sim. forte*. Both. colloc. *Si huj. q. fort. sim.* — *Si quid hujus* etc. Ordo est: *Si forte aliquando evenerit, ut tuus filius faciat aliquid simile hujus.* — *Simile hujus*. Sc. hujus facti Cliniæ.

552. *Ut sunt humana*. Both. *humana uti sunt*. — *Ut sunt humana*, sub. *negotia*. Ut se se habent negotia humana. Pro magna rerum humanarum varietate. Et his verbis innuit Clitiphonis amorem.

553. *Non usus veniet*. Non experiemur usu quod dicis.

554. *Quo quidquam*. Ms. Lips. Br. Z. *quod quidq.* — *Neque eo nunc dico, quo* etc. Bene purgat id, quas immiserat suspiciones, ne vero jam credat adolescentem filium pater talia vel facere, vel cogitare. *Eugraph.* — *Illum senserim*, sub. *cogitare, agere*.

555. *Quæ sit ej. æt. vid.* Guyetus hæc verba, et quæ sequuntur, usque ad *possim*, delet, vs. 557.—*Ne quid*. Vox hæc abest a Mark. et in Guelf. 1, mutatur in *nequit*.—*Vides*. Hic adnotat Both. «Vulgo *Vides:* Sed quid tunc faciemus sequente *Et*.» Dat ergo *vide*. — *Sed si quid*, evenerit. —*Ne quid*, sc. succenseas mihi. Sunt aposiopeses. — *Ætas*, ut quæ amori obnoxia.

556. *Si usus veniat*. Si id quod antea dixi experieris, id est, rerum humanarum varietatem. — *Magnifice tractare*. «Adversus te insignem aliquam fabricare fallaciam.» Hoc submisse dictum, et sane comicum in ore servili. Nisi Syrus forte alluserit ad Chremetis verba, *Magnarum sæpe id*, vs. 540. Hoc dicit præterea, memor superioris vs. 548: *Etenim*

Tractare possim. CHR. De istoc, quum usus venerit,
Videbimus, quid opus sit; nunc istuc age.
SYR. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec, quum malefacerem, crederem mihi impunius
Licere. Quisnam a nobis egreditur foras?

SCENA TERTIA.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

CHR. Quid istuc, quæso? Qui istic mos est, Clitipho?
Itane fieri oportet?
CLIT. Quid ego feci? CHR. Vidin' ego te modo manum
in sinum huic meretrici
Inserere? SYR. Acta hæc res est. Perii! CLIT. Mene? CHR.
Hisce oculis, ne nega.

quo pacto id fieri soleat calleo. Perl.

557. *De istoc.* De ista re quam dicis, si quando Clitipho peccaverit. — *Istuc*, quod attinet ad filium Menedemi — *Age*, aggrediare curandum.

558. *Quid opus sit.* Alii *quod;* male, ut ait Perlet.

559. *Nunquam commod. unquam.* Bœnd. *Nunq. commod. quam nunc.* Westerh. — Both. *N. commod. quidquam.* — *Commodius*, opportunius. Hæc secum Syrus, qui solus in scena restitit, dum Chremes domum st ingressus.

560. *Malefacerem.* Mark. *malefecerim.* Muretus, et post eum Bentl. Bip. Delph. *malefacere;* quod sanatum ait Both. sed non persanatum, et legit, *Nunq. malefacere creduam.* Quæ vox Plautina est. — *Nec, quum malefacerem* etc. Sensum horum versuum capit ita Perletus: « Nec alio tempore crederem mihi impunius malefacere licere, quam hoc tempore licere videatur. »

561. *A nobis.* A domo herili.

562. *Ita fieri oportet.* Abest *oportet* a quibusdam. Legit Z. *Itane fieri, quæso?* — *Quid istuc*, *quæso* etc. Senex a sermone Syri digressus, quum primo ingressu in ædes suas deprendisset Clitiphonem licentius se gerentem apud Bacchidem, quam adhuc Cliniæ amicam esse credebat, regreditur, eumque revocat, atque cum eo injuriam, quasi amico et hospiti factam, expostulat. *Bœcl.* Adde quod scrupulum injecit ipse Syrus supra, vs. 551, 552.

563. *Huic meretrici.* Guelf. 2, *hujus meretricis.* — *Vidin'.* Nonne vidi.

564. *Inserere.* Cod. Bemb. *Ingerere*, laudantibus Guyet. Fa. Bip

Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas manum.
Nam istæc quidem contumelia 'st,
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam subigitare.
Vel heri in vino quam immodestus fuisti! SYR. Factum. CHR. Quam molestus!
Ut equidem, ita me Dî ament, metui, quid futurum denique esset!
Novi ego amantium animum : advertunt graviter, quæ non censeas.

— *Acta hæc res est. Perii!* Syrus servus credit senem invenisse filium amare meretricem, quæ res antea per dolum celabatur. Ideo vehementer metuit. *Eugr.*

565. Guyetus vult expunctum *adeo*. — *Illi*, Cliniæ. — *Qui*, tu qui. — *Non abstineas manum*, ab illius amica.

566. *Istæc*. Varie scribitur *isthæc*. Br. *ista*. — *Istæc contumelia 'st*. Supra quidem, vs. præcedenti, *injuria* dixerat; verum adjecit *contumeliæ sunt*. Est enim *injuria*, quasi, quum violentia in corpus efficitur. *Contumelia* vero, quum præter violationem corporis est. Et violatio opinionis, *subigitare* ejus amicam. *Eugraph.*

567. *Recipere*. Guelf. 1, *recipe*. — *Subigitare*. Sic nos ex Lind. post Br. Perl. Both. Dant cæteri *subagitare*. — *Hominem amicum*, etc. Factum illud contra jus hospitii. — — *Subigitare*. Vult intelligi Bœclerus, *ad scortum alludere;* et quidem pudentius quam Eugraph. qui vult hic esse perfectionem ipsam libidinis.

568. *In vino*. Lind. *in convivio*, ex Fa. — *Factum*. Addit τῷ *fact.* verb. *est* Guelf. 2. Ita Edit. Delph. — *In vino*, in convivio. — *Factum*. « Ita est, verum dicit pater tuus, o Clitipho. » Testatur et hoc contra herilem filium ipse Syrus, quo se insinuet magis in gratiam heri. *Farnab.* — *Quam molestus*. Quam importunus.

569. *Metui*. Corrigit Guyetus *metueris*. — *Ut metui!* Quantus me metus incessit. Sic Virgil. Eclog. VIII, 41 : « Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error! » — *Quid futurum denique esset*. Quo abiret immodestia et petulantia; scil. ne oriretur contentio te inter et Cliniam. Adnotat hic ingeniose Perletus : « Hanc ego quidem orationem Syri magis, si per Codd. liceret, posuerim quam Chremetis. Hic enim nihil timet de filio, maxime vero Syrus. Supra, 553. »

570. *Amantium*. Palmerius emendat *amantis*, et probat Both. — *Animum*. Guelf. 2, *animos*. — *Animum*. Sc. maxime suspicioni propensum. — *Advertunt grav. quæ*, etc. Acci-

CLIT. At fides mî apud hunc est, nil me istius facturum, pater.

CHR. Esto, at certe ut concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper.

Multa fert lubido. Ea facere prohibet tua præsentia.

De me ego facio conjecturam. Nemo 'st meorum amicorum hodie,

Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.

Apud alium prohibet dignitas; apud alium ipsius facti pudet,

Ne ineptus, ne protervus videar. Quod illum facere credito.

Sed nostrum est intelligere, utcumque, aut ubicumque opus sit, obsequi.

piunt moleste ea, quæ non putes eos animadvertere et suspicari.

571. *At fides mi*. Alii, *at mihi fides*. — *Fides mî apud hunc est*. Fiducia in me est apud Cliniam. I. e. Clinia confidit mihi. — *Nil istius*, elliptice, pro, quod tu times.

572. *At certe ut concedas*. Bent. ex veterimm. *Ut;* itid. C.G. m. Plurimi non habent. Legit Delph. *at c. concedas ab ore eorum aliquantisper aliquo*. — *Esto*. Sit ita ut dicis. — *Ut concedas*. Formula imperantis, quasi subaudiretur *edico*, *impero*. —*Hinc*, ex hoc loco ubi nunc versaris. — *Aliquo*, in quemdam alium locum. — *Ab ore eorum*. A conspectu amantium.

573. Post *lubido*, addit Guelf. 3, *earum; et*. — *Facere prohibet*. Alii disponunt *proh. fac*. — *Multa fert lubido*. Lubido incitat amantes inter se agere multa. — Est enim *fert*, pro adportat, permittit, quemadmodum sæpius Terentiano more dicitur, *ætas fert*, *adolescentia fert*, *res fert*, *tempus fert*. — *Ea*, hæc multa quæ sunt amantium.

574. *De me ego fac. conj*. Reponunt quidam *Ego de me f. c*. — *Amicorum*. Vocem hanc Bip. Delph. omittunt. — *De me ego facio conjecturam*. H. e. ita ex me suspicor.

575. Br. legit *occulta audeam*, sine, *Clitipho*.

576. *Pudet*. Be. ex Codd, *piget*. Itid. Erasm. — *Apud alium prohibet*, etc. Aut amici dignitate deterreor, ne indicem; aut ipsa certe res propter sui turpitudinem eam narrationem comprimit. *Eugraph*.

577. *Quod facere*, facere illud, nempe, timere ne ante te videatur ineptus et protervus. — *Illum*, Cliniam.

578. *Utcumque*, *aut ubicumque*. Pro *aut*, legitur apud alios *atque*. Both. *atque*, *utcumque*, *ubicumque*

SYR. Quid istic narrat? CLIT. Perii! SYR. Clitipho, hæc ego præcipio tibi,
Hominis frugi et temperantis functus officium. CLIT. Tace, sodes. 580
SYR. Recte sane. CHR. Syre, pudet me. SYR. Credo, neque id injuria.
Quin mihi molestum 'st. CLIT. Pergin'? SYR. Hercle verum dico, quod videtur.
CLIT. Nonne accedam ad illos? CHR. Eho, quæso, una accedundi via 'st?

opus est, obs. — *Nostrum est intelligere....obsequi.* Debemus scire obsecundare et inservire commodis aliorum. — *Utcumque*, pro re. — *Ubicumque*, pro tempore.

579. *Præcipio tibi.* Post hæc interrogant Bent. Both. Z. Bip. — *Quid istic narrat?* « Audisne quam recte narret et te monent tuus pater Chremes.» Hæc Syrus ad Clitiphonem. — Male alii ad Clitiphonem hæc a patre dici putant, ut sit, cum vultu ὑπομιμνήσκοντος: audis, quid istic (ego, pater tuus) narret? Rursus alii, Syrum loqui secum volunt, quasi timentem suæ fallaciæ. — *Hæc ego præcipio tibi.* Sæpe eadem hæc te moneo.

580. *Funct. officium.* Par. p. var. *sis funct. officio.* — *Frugi.* Qui est utilis. — *Temperantis*, probi. — Subjicit hæc Syrus exprobratione εἰρωνικῇ: «minime quidem tu fecisti, quod facere par erat hominem frugi et temperantem, ad quod exemplum te semper formare studui.» — Simplicius autem intellexeramus, hæc de se ipso dicere Syrum, «hæc te moneo, sicut jam feci ex officio servi utilis et probi.» Lector judicet. — *Tace, sodes.* Sile, obsecro. Interrumpit Clitipho, nec audire vult ipsius consilium, quo velificare voluit mandato patris, ut e domo aliquantisper concederet aliquo. *Farnab.*

581. *Recte sane.* Hæc quidam ironice accipiunt, sicut dicere solemus, *heia vero, Recte profecto me facere vis.* Alii, *recte sane*, scilicet, a me (vel a patre) dictum est; merito reprehenderis. Placet prius. *Bæcl.* — *Syre, pudet me.* Immodestiæ et intemperantiæ filii. —*Id*, sc. quod te pudet. — *Injuria*, fit immerito.

582. Distinctionem quam recepimus exhibent Bent. Perl. At Fa. et alii ed. CLIT. *Pergin'hercle.* SYR. *Verum*, etc. — *Quin*, immo etiam. — *Mihi molestum est.* Hanc tui filii agendi rationem ego, qui pater non sum, ægre fero. — *Pergin'.* Hæc iterum ad Syrum Clitipho, dolenter conversus. — *Hercle verum.* Quasi melius affirmet. Ne autem velis intelligere *verum*, quasi esset hic adjectivus. — *Dico quod videtur.* Loquor, ut sentio.

583. *Nonne.* Sic nos post Bip. Delph. Perl. Z. Dant alii *non.* Bothius totum vs. ita dividit : CLIT.

SYR. Actum 'st. Hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini stulto mî auscultare? CHR. Quid faciam? SYR. jube hunc
Abire hinc aliquo. CLIT. Quo ego hinc abeam? SYR. Quo lubet. Da illis locum.
Abi deambulatum. CLIT. Deambulatum! Quo? SYR. Vah, quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quovis. CHR. Recte dicit, censeo.
CLIT. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis.
SYR. At tu pol tibi istas posthac comprimito manus.

Nonne a. ad illos? Eho quæso! SYR. *Una accedundi via est.... Actum est!* etc. — *Ad illos.* Subaudi Cliniam et Bacchidem, in ædibus Chremetis. Cf. vs. 586. — *Eho!* Hoc loco admonentis est. — *Una accedundi*, etc. Nonne est alia via, alius modus cum illis versandi, quam iste tuus, plenus immodestiæ et petulantiæ. *Juvenc.*

584. *Indicarit.* Guelf. 3, *indicavit.* — *Effecero.* Mss. quidam et Br. *effero*, male. Ed. Anon. *affero.* West. — *Actum est*, de consilio quod meditabar. — *Se indicarit*, (indicaverit,) prodiderit amorem suum. — *Quam ego argentum effecero.* Cf. supra vs. 322, pag. 359, in notis.

585. *Homini stulto mî ausc.* Accipere consilium quod offeram ego, licet parum sapiens.

586. *Quo ego hinc abeam.* Alii, *quo hinc ab. ego.* — *Illis.* Cliniæ et Bacchidi.

587. *Quasi desit locus.* Hæc dicit, quia scena in agris versatur. — Bothius refert hic similem, ut ipsi videtur, Aristophanis locum, Lys. 600. Χωρίον ἐστίν. Εἰς τὸ ὑποδέξασθαί σου τὸ σῶμα· οἷον, ἐστι τόπος, οὗ τεθήσει.

588. *Quovis.* Junctim damus post Br. Bent. Perl. Z. Divisim scribunt Bip. Both. Valp. — *Recte dicit.* Alii, *rect. dicis.* Perl. — *Istac.* Sc. via. Antiquus ablativus est pro, *ista.* — *Istorsum*, in istam partem; et indicat aliam quoque abitionis viam. — *Censeo.* Approbantis magnifice id, quo ipse postea eludatur.

589. *Extrudis.* Alii, *extrudas.* Alii etiam interrogant, *quid me hinc extrudis?*

590. *At tu pol tibi istas.* Alii omittunt *pol.* — Hos versus aliter alii dividunt, et verba hæc versui 589 adscribunt. — *Tibi comprimito manus.* Pro, comprimito tuas manus. — Et intellige: cohibeto posthac istas manus tuas, nec eas inferas in sinum mulieribus. — Vult Calphurnius a Syro dici, quasi percusserit abiens Clitipho. Sed odiosa nimis esset parumque comica μίμησις. Dum lepida videtur admodum continuata retorridi servi ironia.

SCENA QUARTA.

CHREMES. SYRUS.

Syr. Censen' vero? Quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum tibi opis Dî dant, servas, castigas, mones?
Chr. Ego istuc curabo. Syr. Atqui nunc, here, hic tibi adservandus est.
Chr. Fiet. Syr. Si sapias. Nam mihi jam minus minusque obtemperat.
Chr. Quid tu? Ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre, aut
Repperisti, tibi quod placeat, an nondum etiam? Syr. de fallacia
Dicis? est: inveni nuper quamdam. Chr. Frugi es. Cedo quid est?

591. *Censen'vero?* Hæc Clitiphoni tribuit Guy. Laudat Bœcl. quando εἰρωνικὸν fuerit. Videntur potius Syri ad Chremetem verba. *West.* Hoc versu novam scenam incipit Bip. — *Censen'vero.* Familiaris compellatio, quasi dicat, «cogita modo! Hoc ne credidisses? Quam inexspectatum hoc accidit!» — Et subblanditur domino servus per obsequium. — *Porro*, postea.

592. *Quantum tibi opis Dî dant.* Disponitur in aliis, *quant. di d. t. op.* — Pro *dant*, Guelf. 1, *dent.* — *Opis.* Facultatis, auctoritatis. — *Servas*, observas.

593. *Adservandus.* Mss. quidam *observandus.* Alii, *servandus*: et, *here*, *ibi.* West. — *Istuc*, quod dicis. — *Adservandus*, observandus.

594. *Si sapias.* Mss. et impressi quidam veteres, *si sapis.* — *Mihi jam minus minusque obtemp.* Non inepte hinc argui potest, Syrum pædagogum fuisse Clitiphonis.

595. *Quod dud. tec. egi, egisti*, etc. Putida Bothio videtur hæc lectio; et igitur legit, *quod dud. tec., egisti etiam, Syre, aut.* — *Quid tu?* Bene, amoto filio, de fallacia erga Menedemum exquirit. *Calph.* — *Ecquid egisti.* Quasi esset, *egistine aliquid.* — *Quod dudum tecum egi.* Vide supra 533, sqq.

596. *An nondum etiam?* Vult Guy. *an non etiam?*

597. *Dicis? est.* Pro *est* in al. libb. *hem*; in al. *st*, nota silentii.

SYR. Dicam; verum, ut aliud ex alio incidit.... CHR. Quidnam, Syre?

SYR. Pessuma hæc est meretrix. CHR. Ita videtur. SYR. Immo si scias.....

Vah, vide quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia

Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.

CHR. Quid tum? SYR. Ea mortua 'st; reliquit filiam adolescentulam;

Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. CHR. Intelligo.

SYR. Hanc secum huc adduxit, ea quæ est nunc ad uxorem tuam.

— *Cedo quid est.* C. G. m. addit *id.* Non hab. lib. Bembini. Both. legit, *dicis? est inventa n. q.* — *Est.* Sub. *inventa a me.*

598. *Ut aliud ex alio incidit....* Id est, non conserto ordine narrationis, sed ut quidque in mentem venerit. Dum enim metuit, senem non admissurum omnia quæ parabat loqui, non vult videri meditato agere. *Bœcler.*

599. *Pessuma hæc est meret.* Mire *pessuma*, quam eamdem modo laudaverat, supra, 521, 522. Consilium autem Syri hoc esse videtur, ut hero persuadeat, quod ipsum superiori repugnet. Quapropter dicit *aliud ex alio incidit.* Simulata quadam perturbatione, ut jam diximus. — *Immo, si scias....* Sub. si scias, quam sit pessuma, miraberis.

600. *Vah, vide.* Edd. et Codd. aliq. Be. *Hoc vide.* — *Inceptet.* Alii, *inceptat.* — *Vide.* Muretus adnotat hoc *vide* δεικτικὸν esse ejus rei, quam animo quis concepit. — *Fuit quædam anus.* Est initium narrationis, uti supra, 96, quam servus scopo suo accommodat. *Perletus.*

601. *Argenti hæc.* In aliis disponitur *hæc arg.* Ms. quidam legunt *mutuo.* — *Huic* anui. — *Hæc* meretrix. — *Drachmarum mille.* Vide ad calcem Martialis nostri I, vol. ED.

602. *Reliquit filiam.* Bœnd. *Reliquit ei fil.* — *Quid tum?* Quid inde factum est? — *Ea.* Hæc vetula.

603. *Arrhaboni,* pignori, ad cautionem summæ non solutæ.

604. *Ea quæ est.* Alii, *eaque est.* Bentl. *eam*, invitis codd. — *Ad ux. t.* Lib. Bemb. *apud uxorem t.* — *Ea quæ est nunc.* Sub. et filia anus est ea quæ nunc est, etc. — *Ad*, apud. — *Uxorem tuam*, Sostratam. Quum Antiphila agnosci debet Chremetis filia, cavet Terentius ne eam aliis mulieribus misceat, nec inter convivium, quod celebrabant

CHR. Quid tum? SYR. Cliniam orat, sibi ut id nunc det, illam illi tamen
Post daturam, mille nummûm poscit. CHR. Et poscit quidem. SYR. Hui!
Dubium id est? Ego sic putavi... CHR. Quid nunc facere cogitas?
SYR. Egone? Ad Menedemum ibo; dicam, hanc esse captam ex Caria,
Ditem et nobilem; si redimat, magnum esse in ea lucrum.
CHR. Erras. SYR. Quid ita? CHR. Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo :
«Non emo.» SYR. Quid ais! Optata loquere. CHR. «Atqui non est opus.»

nonnisi meretrices. Eam ergo in Sostratæ relegat ædibus, ne ulla in eam incidere possit suspicio mala.

605. *Cliniam.* Sic Bent. et plerique inde a Fa. In C. G. m. et C. Hal. *Clinia.* — *Illam ill. tam.* Bent. *illa*, sc. *Antiphila.* Non placet. *Perl.* — *Quid tum?* Quid inde colligi debet? —*Orat*, sc. Bacchis. — *Id*, sc. argentum. —*Illam.* Antiphilam. — *Tamen.* Postea.

606. *Daturam.* Vexatissimus locus, ut Perletus ait. «Var. *daturum, daturus.* Be. *datum iri.* Equidem prefero *daturam*, sc. Bacchidem.» — *Numm. poscit.* Bip. *spondet*, utrobique, pro *poscit.* Bent. *præs sit* ab Ausonio petitum. — *Et poscit quid.* C. G. m. al. *poscet.* — *Mille nummûm poscit*, etc. Hæc meretrix Cliniam orat, ut sibi nunc det id argentum, quod ipsa mutuum dederat anui illi Corinthiæ. Quid vero hic significet verbum *poscit*, non sane ex grammaticis liquet. Ratio tamen sensusque cogit id intelligi pro *pollicetur*, aut *offert.* Faernus.

607. *Dubium id est?* Br. Guelf. 2, 3, *dubiumne id est?* — *Dubium id est?* Interrogat ut neget : « An dubium est quin illa poscat hanc summam? » — *Ego sic putavi...* Jam Syrus parat aliquid consilii offerre Chremeti, ut sibi propositum finem, id est, dolum assequatur; sed eum herus interpellat.

608. *Captam ex Caria.* Captam et advectam e Caria.

609. *In ea.* Bent. add. *re*, quod longe petit e Plauto. *Perl.* Legit Both. *in eo.* — *Magnum esse in ea lucrum.* Multum lucri illum quæsiturum ex ea.

610. *Nunc tibi ego resp.* In Ms. R. *nunc* deest. *Lind.*—Quatuor hos postremos versus expungit Guyet.

611. *Quid ais.* Aliquot libri, *quid agis?* Hæc verba, quæ vulgo Chremetis esse putant, Be. recte attribuit Syro. *Perl.* — *Non emo*, sc. eam.—*Optata loquere.* «Loquere nobis grata verba, et nostris votis commoda.» Ita loquitur ille qui cum alio loquitur, et cui is adver-

SYR. Non opus est? CHR. «Non hercle vero.» SYR. Qui istuc, miror. CHR. Jam scies.

SYR. Mane, mane! Quid est? Quid tam a nobis graviter crepuerunt fores?

satur in consilio de re peragenda. — *Atqui non est opus*. Certe non est usus eam emere. Pergit Chremes loqui quasi loqueretur ipse Menedemus.

612. *Qui istuc, miror*. Sic nos post Both. et Perl. ex codd. Bent. Vulg. *quid*.

613. *Mane, mane*. Vocem *mane* geminatam, et quæ sequuntur, Bentleius Syro dat dicendas, qui Chremetem interpellet locuturum; probe. *Perlet*. In pluribus hæc Chremeti tribuuntur dicere pergenti. — *Quid est? Quid tam a nobis*, etr. Alii, *quid est, quod*, etc.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.*

CHREMES. SYRUS. SOSTRATA. NUTRIX.

SOST. Nisi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor,
Is, quicum exposita est gnata. CHR. Quid volt sibi, Syre, hæc oratio? 615
SOST. Quid est? Isne tibi videtur? NUT. Dixi equidem, ubi mi ostendisti, illico,
Eum esse. SOST. At ut satis contemplata modo sis, mea nutrix. NUT. Satis.

* Hæc scena Antiphilæ recognitionem continet : ex qua inter virum et conjugem altercatio oritur : demum reconciliatio. Simul Syro offertur alia ratio extorquendi argentum. *Calph.*

614. *Animus.* Opinio. — *Annulus.* Similem recognitionem per annulum vide in Hecyr. act. V. — Poterat facile annulus inter ea referri quæ Eunuch. 752, *monumenta* dicuntur. *Perlet.*

615. *Exposita est gnata.* Chremes olim mandaverat uxori suæ Sostratæ, ut, si puellam pareret, eam ne aleret, sed exponeret. Sostrata recens natam Antiphilam exponendam dedit vetulæ cuidam, cui nomen Philtera; simul annulum adposuit, unde, si casus ferret, agnosci aliquando posset : servavit puellam anus, et eduxit pro sua. Licebat autem per leges liberos vel servare, vel interficere. Nempe *exponere*, est morti tradere et objicere. Vid. cæter Andr. 219.

616. *Quid est? Isne tibi*, etc. Sostrata ad nutricem loquitur.

617. *At ut satis contemp.* Mss. et Edd. *Vide* ingerunt. *Perl.* — *At ut satis contemp.* etc. Subaudi *vide.* Et adnotat Calphurnius sic dici in

Sost. Abi jam nunc intro, atque illa si jam laverit, mihi nuntia.
Hic ego virum interea opperibor. Syr. Te volt: videas, quid velit.
Nescio quid tristis est: non temere est; metuo quid sit.
Chr. Quid siet?
Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.
Sost. Ehem, mi vir. Chr. Ehem, mea uxor! Sost. Te ipsum quæro. Chr. Loquere, quid velis.
Primum hoc te oro, ne quid credas me adversum edictum tuum
Facere esse ausam. Chr. Vin' me istuc tibi, etsi incredibile 'st, credere?
Credo. Syr. Nescio quid peccati portat hæc purgatio.
Sost. Meministin' me gravidam, et mihi te maxumopere dicere,

his rebus, de quibus addubitamus, et præcipue quas jamdiu non vidimus. Explicat Juvencius: *Modo ut*: Ea lege credam tibi, si contemplata sis, etc.

618. *Abi jam nunc.* Fa. et Bent. *Abi nunc jam.* Ita et Br. Both. Bip. — *Illa.* Antiphila. — *Jam laverit.* Balneum significatur, quo uti solebant summo mane. *Perlet.*

619. *Virum.* Maritum meum. — *Interea*, dum ibis intro. — *Opperibor.* Tunc abit nutrix. — *Te volt.* Syrus ad Chremetem: « Uxor tua te quærit. »

620. *Metuo quid sit.* Alii, *met. quid siet.* — *Temere*, sine causa. — *Quid siet.* Quid possit esse.

621. *Magno jam conat.* Ed. Prim. non agnoscit τὸ *jam.* — *Næ*, certe. — *Magno conatu magnas nugas dix.* Sic Phædr. IV, XXII, 4: « Qui magna quum minaris, extricas nihil. » *Perl.* — *Dixerit*, pro præsenti *dicet.*

622. *Ehem, mi vir.* Compellat Sostrata arridens; et hinc exordium sumptum, quod ab obsequio cœpit, ut benevolentiam comparare possit. *Eugr.*

623. *Hoc.* Guelf. 2, *hæc.* — *Te oro.* Ms. R. omittunt *te.* — *Ne quid credas me adv.* etc. Inventus est apud puellam annulus; interrogatur, unde sit: illa respondit, ipsum esse, cum quo esset exposita. Hoc quum cognovisset senex, agnitam puellam, quam exstingui jusserat, ream facit uxorem, quod adversus edictum suum fecisset. *Eugraph.*

624. *Etsi.* Bemb. *et.*

625. *Portat.* Alii, *portet.* — *Nescio quid*, etc. Excusatio et præfatio ista videtur indicare aliquid esse peccatum a Sostrata.

626. *Memin. me gravidam.* Vulg. *esse grav.* Omittimus post Be. Bo.

Si puellam parerem, nolle tolli? CHR. Scio quid feceris.
Sustulisti. SYR. Sic est factum, domina! Ergo herus damno auctus est.
SOST. Minime; sed erat hic Corinthia anus, haud impura: ei dedi
Exponendam. CHR. O Jupiter, tantam esse in animo inscitiam! 630
SOST. Perii! Quid ego feci? CHR. At rogitas? SOST. Si peccavi, mi Chreme,
Insciens feci. CHR. Id quidem ego, si tu neges, certo scio,

Perl. — *Maxum. dicere.* Pro *dicere*, plurimi *interminatum.* Omitt. L. Bemb. et Vatic. *Perl.* — Quidam legunt divisim, *maxumo opere.* — *Maxumopere dicere*, maxume minatum esse.

627. *Si puellam parerem*, etc. Apud West. Posidippus affertur, qui ait : Υἱὸν τρέφει τις, κἂν πένης τις ὢν τύχῃ. Θυγατέρα δ' ἐκτίθησι, κἂν ἦ πλούσιος.— *Nolle*, sc. *te.* — *Scio quid feceris*, id est, scio eam a te educatam fuisse.

628. *Sic est factum.* Muret. ex codd. *Si sic fact.* Et item alii bene multi post eum. — *Damno auctus est.* Nove positum *damno auctus*, quod cohæres puella venerit, quam dedit exponendam. *Eugr.* — Est elegans figura, ὀξύμωρον. Dicitur autem quis *augeri liberis.* Plaut. Truc. II, VI, 35. Et Cic. Attic. I, 2 : « Filiolo *me auctum* scito, salva Terentia. » Sed h. l. recte *damno auct.* dixit, propt. dotem quæ datur. *Perlet.*

629. *Er. hic Corinth. an.* Alii, *hic er. an. Cor.* — *Minime; sed erat*, etc. Tandem absolvit purgationem, quam inceperat, nihil se contra imperium mariti fecisse : et suspicioni mariti, quæ ponitur vs. 640, sq., viam præcludere parat. *Bæcl.* — *Haud impura.* Non inhonesta nec impudica.

630. *Tantam esse.* Br. Guelf. 2, Valp. *tantamne esse.* Both. *Esse tantum;* sed idem notat, « operarum errore *tantum* legi pro *tantam.* » — *Inscitiam.* Alii, *inscientiam.* — *Tantam esse in animo inscitiam!* Impetus hic est iracundiæ senilis, ob spretum edictum. Ἐπαίρει τὸ πάθος ἐκφωνήσει, longeque plus dicit, *tantamne esse tuam inscitiam!* Scilicet, credibile est, fas est, decet. Inscitiam hanc describit subinde, neglectu juris, et socordia futuri. *Bæcl.*

631. *Perii!* Quidam libri exclamationem hanc Chremeti tribuunt. — *At rogitas?* Alii simpliciter, *rogitas*, quod minoris est indignationis.—*Si peccavi.* Omittit *si* Guelf. 1. — *At Rog.* Particula *at* iratum eleganter ostendit.

632. *Si tu neg.* Erasm. *etiamsi*, ex antiq. L. Mss. Alii, *etsi.* Perl. — *Insciens feci.* Suaviter poeta *insci-*

Te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis. Nam jam primum, si meum
Imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit;
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.
At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.
Quam bene vero abs te prospectum est! Quid voluisti? Cogita.

tiam distinguit: quatenus alterum genus, *inscitiam* dico, ad veniam valet, et propositum peccandi negat; alterum *insciens facere*, supinæ negligentiæ culpam significat. Quæ comice et apposite hic commutantur: quando senex, arrepta occasione vocis, uxorem ait: « Inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia. » *Bœcler.*

633. *Inscientem.* Guelf. 3 legit *Nescientem.*

634. *Tot peccata in hac re ostendis.* Admirari hic licet exemplum copiæ Terentianæ, in amplificando augendoque. Duæ accusationis partes sunt. Quod non satis obsecuta esset Sostrata, et quod non satis providisset. At ille multiplicat: *tot peccata in hac re ostendis.* Quasi per singula crimen, et quidem in una re, proderet ac *ostenderet*, sive spectandum omnibus exhiberet, quæ peccasse dicitur. Et jam cum apparatu, ut in longa partitione: *Nam, jam primum si*, etc.; ut multa enumeraturus videatur, qui *primum* tam asseverate signat. Inde imperia loquitur, quæ ad mentem jubentis obsequi, non interpretando imminuere, opus sit. Adimit præsidia excusationis in utraque accusationis parte. Primum, quod potentius erat, favore animi materni, ingruente alterius criminis accusatione, veluti convolvit, non sine oratorio artificio; tum quod iterum dici poterat, de vita quovis pretio redimenda servandaque, constantissime negat: non ausus tamen, quod ipsum inter artes est, causas tractare; sed amplificata thesi, frequentibus et affirmantibus verbis: imperitos non capere discrimina rerum expetendarum et fugiendarum; neque eas, uti oportet, comparare. *Bœcleras.*

635. *Interemptam.* Guelf. 3 addit *esse.*

636. *Simulare mortem.* Fingere eam esse mortuam. — *Re ipsa spem vitæ dare.* Nempe, quum potuisset fieri, ut anus illam educaret, non exponeret.

637. *Animus maternus*, etc. Ms. R. *animus m. sino, te devicit.* Lind. — *Misericordia, animus maternus.* Sc. te impulerunt. — *Sino*, concedo te sic egisse ex iis causis.

638. Sine distinctione legit Bothius, *prospectum est, quod voluisti*, c. — *Quam bene vero abs te prospectum*, provisum. — *Quid voluisti*, sub. *facere.* — *Cogita.* Considera. Instantius agit, et ironiam interrogationibus cumulat.

Nempe anui illi prodita abs te filia est planissime;
Per te vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam.
Credo, id cogitasti: « quidvis satis est, dum vivat modo. »
Quid cum illis agas, qui neque jus neque bonum atque æquum sciunt?
Melius, pejus; prosit, obsit; nil vident, nisi quod lubet.
SOST. Mi Chreme, peccavi, fateor; vincor. Nunc hoc te obsecro,
Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meæ stultitiæ justitia tua sit aliquid præsidii.

639. *Anui illi.* Bent. Both. *il. an.* — *Planissime.* Omnino.

640. *Per te,* ex tua expositione. — *Quæstum faceret,* corpore suo. — *Veniret.* A *veneo.* — *Palam,* publice.

641. *Quidvis satis est.* Libri antiqui legunt *satius.* — *Id cogitasti;* scil. quod sequitur.

642. *Cum illis.* Legendum monet Bent. *illisce,* non *illis.* Ita et Both. — *Cum illis.* Plurali numero utitur pro singulari, ut adsolet. Cf. supra, 151; Andr. 893. Uni quidem suæ iratus Chremes, omnes accusat mulieres. Quæ ipsa communicatio, ut bene notat Bip. diminuit de unius culpa. *Perl.* — *Agus.* Per secundam personam, aut in universum dicit, aut ad semetipsum. *Perl.* — *Neque jus.* Notat Ernesti *jure* comprehendi ea omnia, ex quibus quid justum sit, quid faciendum, quid omittendum intelligatur. — *Bonum atque æquum.* Hæc quid valeant conjuncta, ex contrariis singulis, *malum, iniquum* facile patebit. *Perl.*

643. *Prosit, obsit.* Ms. Pal. 2, *an pros. an obs.* Prava lectio, ut ait Perletus, ac tam eleganti verborum concinnitati adversaria. — *Melius, pejus; prosit, obsit.* Parum curant eæ, quid sit melius, quid pejus; quid prosit, quid obsit. Elegans est conjunctio verborum, per asyndeton sibi oppositorum. — *Lubet,* eis placet.

644. *Nunc hoc te obsecro.* Quidam delent *hoc.* — *Peccavi, fateor; vincor.* Singula ad veniam valent, et verbis ac sententiis consequentibus dicuntur.

645. Versum hunc integrum Guyetus expungit, ut addititium, laudante Bœclero. — Variant cæterum editores, *tanto sit ignoscentior; tanto es ignoscentior.* — *Quanto tuus est,* etc. Quanto tuus animus est ætate peritior, sit tanto promptior ad parcendum.

646. *Justitia tua.* Lib. Bemb. et plures post eum habent, *In justitia.* Sed justitia nominativus est. Placet igitur Bembini lectio *in,* præsertim si *in* et *justitia* junctim comprehendantur, ut sit *injustitia.* Perl. — Ultimam hanc lectionem Delph. et alii præferunt. — *Justitia tua.* Dubium sibi esse fatetur Perletus, unde Sostrata *justitiam* viri potuerit laudare, nisi ironice dixerit; quod quidem recte potest admitti.

CHR. Scilicet equidem istuc factum ignoscam; verum, Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa. Sed istuc quidquid est,
Qua hoc occeptum 'st causa, eloquere. SOST. Ut stultæ et miseræ omnes sumus
Religiosæ; quum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho, et eum dico ut una cum puella exponeret.
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
CHR. Istuc recte: conservasti te atque illam. SOST. Hic is est annulus.
CHR. Unde habes? SOST. Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. SYR. Hem!
CHR. Quid ea narrat? SOST. Ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum non advorti primum, sed postquam adspexi, illico

648. *Te mea facilitas multa.* Both. *mea fac. te multa.* — *Male docet te mea facilitas muta.* Te male multa facere suadet.

649. *Eloquere.* Valp. *loquere.* — *Stultæ et miseræ.* Delph. adverbialiter *stulte et misere.* — *Qua hoc occeptum 'st causa, eloq.* Qua causa incipias hanc narrationem de exposita filia; quo tendant illi sermones tui; quid factum sit ergo.—*Ut*, quia. — *Omnes*, sc. nos mulieres.

650. *Religiosæ.* Superstitiosæ.— — *Do*, pro præterito, *dedi.*

651. *Dico.* Alii *edico.* — *Dico*, anui.

652. *Ne expers partis*, etc. « Ut particeps esset alicujus rei de nostris bonis. » Aiunt legem fuisse Athenis quæ filias vetaret adire hereditatem, si essent nati etiam filii: illis tamen datam fuisse in dotem bonorum partem decimam. *Juvenc.*

653. *Hic is est ann.* Bent. et Fa. *Is hic est an.* Both. *hic is annulus.* — *Conservasti te*, id est, animam tuam, salva conscientia.

654. *Adduxit adolescentulam.* M. et Bœnd. *adduxit, ex adolescentula.* Sed τὸ *ex* glossema videtur, quia Mss. plurimi omittunt. *West.* — *Quam Bacchis secum*, etc. Ab illa adolescentula quam Bacchis adduxit secum.

655. *Quid ea.* Alii *quid illa.* — *Ea.* Antiphila. — *Lavatum dum it.* Hic multa congerit in Notis Dacieria, ex quibus innotescat quæcum arte fecit Terentius Antiphilam ex omnibus solam esse, quæ lavet post epulas.

656. *Animum non adv.* Sic lib.

Cognovi, ad te exsilui. CHR. Quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? SOST. Nescio; nisi ut ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,
Si potis est reperiri. SYR. Interii! Plus spei video quam volo.
Nostra est, si ita est. CHR. Vivitne illa, cui tu dederas? SOST. Nescio. 660
CHR. Quid renuntiavit olim? SOST. Fecisse id quod jusseram.
CHR. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quæratur. SOST. Philtere.
SYR. Ipsa est. Mirum ni illa salva est, et ego perii. CHR. Sostrate,

Bemb. In antiq. *Annulum*. Distinguere et ita licet, *mihi dedit Annulum. Non advorti primum*. Maxime tum, quum legeris *Annulum*, non *animum*. Perl.

657. *Cognovi*. Br. *agnovi*. — *Exsilui*, non *accessi*; propter maximam de inventa filia lætitiam. — *Quid nunc suspicare, aut invenis de illa*. Quid conjicis esse, aut quid reperis indicii de illa adolescentula?

658. *Nisi ut*. Lib. Bem. non habent *ut*. Omittunt etiam Bip. Delph. Z. Both. — *Ex ipsa*, sc. Corinthia anu; supra vs. 629. — *Hunc*, annulum.

659. *Si potis est*. Alii, *si potest*. — *Plus spei vid*. Both. *plus spe*. — *Si potis est reperiri*. Si id potest sciri. — *Plus spei video*, supple, esse de agnitione filiæ. — Nec immerito sic loquitur Syrus. Nam probe intellexit fore ut, si Antiphila Chremetis filia agnoscatur, Clinia eam in nuptias exposcat, et, subinde detegat Chremes Bacchidem Clitiphonis amicam esse.

660. *Si ita est*. Disponitur quoque, *ita si est*. — *Nostra est*. Hæc adolescentula est de nostra familia. — *Illa*, sub. vetula. — *Dederas*, filiam tuam.

661. *Fecisse id quod jusseram*. Br. τὸ *fecisse* Chremeti tribuit. Ita et Bip. Delph. — *Olim*, postquam ei dederas filiam exponendam. — *Fecisse id quod jusseram*, sc. se puellam exposuisse.

662. *Mulieris*. Bent. Both. *mulieri*. — *Philtere*. Br. legit *Filtere*. — *Cedo*, quæso, dic. — *Ut quæratur*, nempe hæc mulier.

663. *Ipsa est*. C. G. m. præmittit *si*, quod nusquam alibi invenitur. — *Ipsa est*. Hæc ipsa est Philtera, a qua Antiphila educata est. — *Mirum ni illa salva est*, etc. « Verosimillimum est Antiphilam salvam esse et repertam, et me periisse, quia pœnas dabo mearum fallacia-

Sequere me intro hac. Sosr. Ut præter spem evenit! Quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chreme!
Chr. Non licet hominem esse sæpe ita ut vult, si res non sinit.
Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam; olim nihil minus.

SCENA SECUNDA.*

SYRUS.

Nisi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ,

rum. » Syrus hæc propterea dicit, quod videt interiisse spem Menedemi decipiendi, adeoque suum interverti consilium pecuniæ emungendæ, quæ detur Bacchidi.

664. *Hac.* In Bembino non est dictio *hac:* abest quoque Delph.— *Male*, temere, sine causa.

665. *Tollendo.* Sic Bent. Perl. Zeun. Bip. Both. Delph. Alii *tollenda.* — *In tollendo.* Quum ageretur de filia tua tollenda, et ideo educanda.

666. *Res*, conditio temporis. Et hic agitur præcipue de sumptu quem exigunt virgines collocandæ.

667. *Tempus est.* Bent. *tempus fert.* — *Ita tempus est mihi*, etc. Tam felici versor in rerum articulo. — *Nihil minus*, sub. cupiebam, quam habere filiam.

*Scen. II. Hanc scenam superiori jungit Muretus. Atque ita est in libris antiquis, et quibusdam manuscriptis. *Westerh.* Ita et Both. In ed. Bip. hic incipit act. III, sc. IV.

668. *Haud multum.* Vult legi Bentleius, *haud permultum.*—*Aberit.* Mss. quidam *abieris.* — *Nisi me animus fallit*, etc. Servus hic vehementer æstuat, quod animadvertit fieri posse, ut puella agnoscatur, et incipiat Clinia eam palam confiteri pro sua; et ita intelligatur Bacchis non esse illius uxor, ut ipse simulaverat, sed Clitiphonis, quod adhuc pejus timebat. Ideo, in hac scena novum quærit consilium de extorquenda pecunia. Et bene repræsentatur, ut ait Calphurn., dialogismus acuti ingenii in multa cogitatione versantis. — *Infortunium.* Pœna ab hero imminens.

669. *Hac re.* Alii *Hercle.* Both.

Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.
Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,
Nihil est. Triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum mihi tantum ereptum tam subito e faucibus.
Quid agam? Aut quid comminiscar? Ratio de integro ineunda 'st mihi.
Nil tam difficile 'st, quin quærendo investigari possiet.

Ita in angustum hercle. — *Ita*, per epiphonema dicitur. — *Oppido*, valde. Calphurnius legit et explicat : « *in angusto oppido*, id est, in aliqua munitione, in quam me recipere necesse fuit. » — *Meæ copiæ.* Translatio sumpta est ab imperatore, qui in angusto loco coarctatus, se expedire non potest. Et illud omne intelligendum est sine figura : « Mei conatus comprimuntur, et ad vanum recidunt. »

670. *Video.* Alii *provideo*, et ita Both. Alii *videro*. Vult Bentleius legi *aliqui video* vel *aliqua*. — *Video*, provideo. — *Hanc*, Bacchidem. — *Gnati*, Clitiphonis. — *Senex*, Chremes.

671, 672. *Quod de argento sperem.* Alii *quod sperem de argento*. — *Me fallere.* Mss. Mark. *fallere herum.* — *Si licet me latere tecto abscedere.* Rob. Steph. exhibet *si licet me latere teota, discedere*, quasi τὸ *latere* verbum sit, non nomen. *Westerh. in Add.* Bip. *latere tecto, absced.* Br. *si licet me latere, tecto abscedere.* — *Quod sperem nihil est*, etc. Nihil est unde ullam spem habeam pecuniæ auferendæ. — *Postulem.* Confidam, contendam. Vid. s. Andr. 645, pag. 86, not. et Adelph. 239. — *Triumpho.* Præclare mecum agetur si, etc. Continuat metaphoram inceptam, tanquam de imperatore qui, quum permagna sperasset, de recepto suo exercitu magnopere exsultat. *Perlet.* — *Si licet abscedere*, si possim elabi. — *Latere tecto.* Latere custodito, et servato. Contrarium est *latere aperto*; vid. Jul. Cæs. Bell. Gall. VII, 82, quem citat Perlet. — Adnotat Dacieria hæc Syri fortasse locum dedisse Horatio qui, Od. IV, lib. IV : « Quos opimus Fallere et effugere est triumphus. »

673. *Ereptum.* Lind. vetus cod. *esse ereptum.* — *Tam subito.* In Zeun. et Both. *de subito.* — *Bolum.* Translatio ab animalibus quibus aufertur præda. *Bolus* apud Græcos si per o scribitur, significat jactum retis; si per ω, glebam terræ, vel frustum cujusque rei. *Calph.* — *Erept. tam subito e fauc.* Pecuniam Syrus pæne jam tenebat, quam tamen amissurum se videt. *Juv.*

674. *Quid comminiscar.* Quid excogitem. — *Ratio*, via, modus, consilium, techna.

675. *Nil tam difficile est.* Desideratur vulgo *est.* — *Nil tam diffi-*

Quid, si hoc nunc sic incipiam? . . . Nihil est. Quid, si sic? . . . Tantumdem egero.

At sic opinor. . . . Non potest. Immo optume. Euge! Habeo optumam.

Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

cile, etc. Menand. Ἁλωτὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ Ἅπαντα. Philem. πάντ' ἔστιν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον Φύγῃ τις, ὃς προσέστι τοῖς ζητουμένοις.

676. *Si hoc nunc.* Abest *nunc* a quibusdam Mss. — *Si sic.* Bothius vult *sic* subaudiri, non legi. — *Egero.* Bentl. *ago.* — *Quid*, sub. eveniet. — *Hoc*, ut abscedam tecto latere. — *Quid si hoc nunc*, etc. Eugraphii verba ab editoribus emendari debuerunt in manifesto vitio. Ita enim scripsit haud dubie Eugraphius, quum præmisisset, eum, dum multa deliberando quærit, quædam invenisse, non placita repudiasse: «post id, quod sit optimum invenisse se dicit, ut ad se illud argentum (non vero *argumentum*, quod vulgo exhibetur) revocare possit, quod amiserat.» Scilicet, quantum ad prius consilium, quod in irritum nunc decidebat. Nullus hic *argumento* locus. *Bœclerus.* — *Sic incipiam*, sub. ut nunc venit in mentem; et inducitur secum deliberans. — *Nihil est.* Tale figmentum nullius momenti est. Verba se ipsum refellentis. — *Si sic?* Si alterâ incipiam ratione. — *Tantumdem*, nihil amplius. — *Egero*, profecero.

677. *Euge! Habeo optumam.* Mss. Lips. *habeo. Euge! optume habeo.* Itid. C. G. m. *injecto est.* Quidam legunt et collocant ita, *imo optume est, euge optumam habeo.* — *At sic opinor.* Tertia est machinatio, quæ occurrit meditanti. — *Immo optume.* Corrigit se, refutato priori. — *Euge*, Servi ea est vox lætantis, et se ipsum gloriantis. — *Optumam.* Varie in hac ellipsi subauditur, *stropham, viam, rationem.*

678. *Idem illud.* Alii *illud idem.* — *Tamen.* Conjicit Guyetus *tandem.* — *Retraham hercle, opinor, ad me idem illud*, etc. Propria de servo fugitivo. Itid. Liv. II, XII, «vadentem inde quum comprehensum satellites *retraxissent.*» — *Idem illud*, sc. quod quærito. — *Fugitivum argentum.* Dacieria animadvertit Syrum dicere vernili facetia de argento, quasi de servo fugitivo. Præterea monet doctissima mulier, Menandrum scripsisse ἀποστρέψω τὸν δραπέτην χρύσον. Scilicet quod Χρύσος ambigue dictum, et aurum, et servi nomen sit. *Perl.* — *Tamen*, quamvis effugerit. — Et sic intelligendum censemus, potius quam *tandem*, ut explicat Perletus, auctoritate, ut putat, loci superioris, vs. 512.

SCENA TERTIA.*

CLINIA. SYRUS.

CLIN. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quæ mî ægritudinem adferat : tanta hæc lætitia oborta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim, quam vult.
SYR. Nil me fefellit : cognita est, quantum audio hujus verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
CLIN. O mi Syre, audisti obsecro? SYR. Quidni? Qui usque una adfuerim.
CLIN. Cuiquam æque audisti commode quidquam evenisse? SYR. Nulli.

* SCEN. III. In ed. Bothii, hic incipit act. III, scen. VI. In Bip. act. III, scen. VII.

679. *Nulla mihi*, etc. Bothius legit, *nullum mihi jam posthac potest intervenire tantum*. Guelf. 3, *evenire*, et non exhibet *tanta*. — *Res tanta*. Innuitur tanta infelicitas. — *Intervenire*. Gaudium meum interrumpere.

680. *Oborta*. Guelf, 2, *adorta*. — *Hæc lætitia*, quam percipio de recognita Antiphila.

681. *Dedo patri me nunc jam*. Both. *patri me dedo nunc jam*. — *Dedo me ut sim*. Trado me, promittens, fore ut fiam. — *Frugalior*, temperantior.

682. *Quantum audio*. Bodl. *ut audio*. Both. *quantum hujus aud.* — *Nil me fefellit*. Hæc prosunt quoque ad explicandum versum 659. — *Cognita est*, Antiphila. — *Audio*, intelligo. Hæc Syrus secum; sed in versu sequenti, loquitur cum Clinia.

683. Hic versus suspectus est Guyeto.

684. *Usque una*. Veteres codd. apud Lind. *usque nunc*. — *Audisti*. Supp. rem totam de agnitione Antiphilæ. — *Quidni? qui usque una adfuerim*. Scilicet, quum Sostrata marito commemoraret quæ ad cognitionem Antiphilæ spectant. *Bæcl.* — Si autem rem totam agnovit Syrus, non est quod eam plane audiverit, ut ipse indicat, dum vs. 681, ait, *quantum audio*, etc. Sed quod conjecerit quæ vera sint, et nunc videat se apprime omnia subodoravisse.

685. *Cuiquam*. Sic Bent. probe,

CLIN. Atque ita me Dî ament, ut ego nunc non tam meapte causa
Lætor, quam illius, quam ego scio esse honore quovis dignam.
SYR. Ita credo. Sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur.
Ne quid de amica nunc senex..... CLIN. O Jupiter!
SYR. Quiesce.
CLIN. Antiphila mea nubet mihi! SYR. Siccine mî interloquere?
CLIN. Quid faciam? Syre mi, gaudeo. Fer me. SYR. Fero hercle vero.
CLIN. Deorum vitam apti sumus. SYR. Frustra operam, opinor, sumo.

pro *cui* vulgato. — *Commode.* Libb. antiqui *commodi.* Westerhovii editiones *commodius.* — *Æque*, pariter ac mihi. — *Commode*, feliciter.

686. *Ut ego nunc*, etc. Ut verum est me nunc lætari, non tam, etc.

687. *Illius*, Antiphilæ. — *Honore quovis.* Iis omnibus obsequiis, quæ habentur erga mulierem honestam.

688. *Da te mihi vicissim.* Respicit Syrus ad verba juvenis, supra 681, *dedo me patri*, et fere intelligendum est *vicissim:* antequam tuo te patri dedas. — Intelligit aliter Eugraph. « Quemadmodum ego verba tua audivi, ita vicissim te mihi da. »

689. *Videnda.* Bent. *videndum.* — *Amici*, Clitiphonis. — *Res*, commodum.

690. In editione prima post *senex* additur *resciscet.* In Guelf. 3, *cognoscet.* — *O Jupiter!* Interrumpit loquentem Clinia exclamatione gaudentis et se ipsum gratulantis. — *Quiesce.* Noli me interrumpere.

691. *Antiphila mea nubet mihi!* Exsultat immodice Clinia; nondum constabat de Chremetis voluntate super nuptiis. Namque is mox, vs. 779 : « At ego illi neque do, neque despondeo. » *Farneb.* — *Siccine mî interloquere?* Suavem hunc fecit ludum poeta inter adolescentem lætitia et servum sollicitudine correptos. Clinia, qui vix apud se esset insperato ac repentino gaudio, ut Syri orationi operam daret, ægre et postquam iterasset affectum suum, quodam quasi jurgio et convicio adigitur. *Bæcl.*

692. *Fero hercle vero.* Both. *fero hercle sane.* — *Quid faciam?* Non possum aliter facere, quam sic exsultare. — *Fer me*, patere meam petulantiam. — *Fero hercle vero.* Ironice dictum, et in modum exprobrationis, ut explicat Calphurn. ex Virgil. Æneid. IV, 93.

693. *Apti sumus.* C. G. m. *Adepti.* — *Apti.* Adepti. — *Deorum vitam.*

CLIN. Loquere, audio. SYR. At jam hoc non ages. CLIN. Agam. SYR. Videndum est, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur.
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Noster resciscet illico esse amicam hanc Clitiphonis;
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
CLIN. At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum.
Nam quo ore appellabo patrem? Tenes, quid dicam? SYR. Quidni?
CLIN. Quid dicam? Quam causam adferam? SYR. Quin nolo mentiare.

Sic And. 960. — *Operam*, qui loquar. — *Sumo*, suscipio.

694. *Hoc non ages*. Non attendes animum ad ea quæ dicturus sum. — *Amici tui*, Clinia. — *Videndum*, providendum.

695. *Res*. Alii *res est*, ut supra 689. — *Res*, commoda.

696. *Hic*, apud patrem Clitiphonia.

697. *Noster*. Sic vulgo; at Faernus, ex Bembino, *Senex*, quod exhibent etiam Delph. Zeun. Both. Valp. — *Noster*, Chremes. — *Noster resciscet illico*, etc. Consilium servi novum ad augendas turbas, quibus adhuc catastrophe differtur, comparatum. Quod priore scena et excogitaverat, et laudaverat, nunc persuadere instituit. *Bæcler*.

698. *Abduxeris*, supple, *tecum hinc a nobis*. — *Celabitur* ejus esse amica.

699. *Istoc*, isto consilio, quod tu præbes.

700. *Quo ore*, qua fronte. — *Appellabo patrem*, cum patre meo loquar. Qua fronte eum orabo ut roget Antiphilam mihi nupturam, quum me profitebor amicum Bacchidis. — *Tenes, quid dicam*. Quidam sic accipiunt: «Tenesne quid debeam dicere?» Sed melius est ita: «Tenesne quid velim dicere?» Scilicet, de pudore patris, si ante oculos ipsi adducam meretricem. — *Quidni?* Id est, cur non intelligerem metum tuum.

701. *Quin nolo mentiare*. Delph. *Quid? nolo mentiare*. — *Quin nolo mentiare*. Hoc ex consilio dicit servus, uti non mentiatur, sed continuo dicat, illam filiam Chremetis se uxorem velle, et esse hanc amicam Clitiphonis. Sic enim persuasurus est postea domino servus, tale reperisse se consilium, uti a Menedemo filius petat pecuniam, quo quasi dicat, se velle filiam Chremetis uxorem ducere, uti ad nuptias habeat necessaria: et hoc credat senex propterea adolescentulum petere, quo per fallaciam dari possit; ita ut, quum utrumque dixerit adolescens, per fallaciam dicere credatur. *Eugraph.*

Aperte, ita ut res sese habet, narrare. . . . Clin. Quid ais? Syr. Jubeo:
Illam te amare, et velle uxorem; hanc esse Clitiphonis.
Clin. Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem.
Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem vestrum. Syr. Immo, ut recta via rem narret ordine omnem. Clin. Hem,
Satin' sanus es, aut sobrius? Tu quidem illum plane prodis.
Nam quî ille poterit esse in tuto, dic mihi.
Syr. Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,

702. *Narrare.* Sic scite Bent. fingit Syri esse quasi interrupti, vocem *jubeo* additurí. Vulgo *narrato.* — *Narrare.* Dicturus erat Syrus *Jubeo.* Sed Clinia, admiratione percussus, interpellavit dicendo, *quid ais?*

703. *Illam*, Antiphilam. — *Hanc*, Bacchidem.

704. *Bonam atque justam rem*, etc. Bene Calphurnius εἰρωνικῶς hæc dici notat. — « Nihil facilius fuerit, quam hoc facere, quod imperas, sive postulas. Sed quid deinde futurum est? Scilicet tum hoc jubebis, ut, etc. » *Bæclerus.*

705. Bothius Syro *et* tribuit pergenti imperare. — *Exorare.* Alii *orare.* — *Hoc*, sc. *ut celet*, etc. — *Patrem exor.* A patre precibus obtinere. — *Ut celet senem vestrum*, quod ipsius amica sit meretrix.

706. *Senem vestr.* Both. *senem* omittit, et pro *ut* legit *uti.* — Vulgo *omnem* omittitur. — *Immo*, quin potius. — *Recta via*, sine diverticulo. — *Rem ordine omnem*, rem, ut acta est.

707. *Prodis.* Libb. Bemb. *perdis.* — *Sanus*, sanæ mentis. — *Sobrius*, non temulentus. — *Illum*, Clitiphonem. — *Prodis.* Verbum hoc Terentio familiare est illo eleganti significatu, quod idem est ac *perdere.* Bœcl.

708. *In tuto.* Vis est in repetitione verbi quod antea vs. 695, dixerat Syrus, rem Clitiphonis *in tuto* collocandam esse. *Bœcler.*

709. *Effero.* Par. ed. *hæc fero*, nescio unde. *Perl.* — *Huic consilio palmam do.* Hoc est *assentior.* Maximam victoriam et gloriam mihi concedo, ut verum dicendo ambos fallam. Secundum hoc, ut non credat senex noster amicam filii sui esse meretricem, etiam si audierit. *Bœcler.* — Syrus adhuc pro more suo imperatorie locutus, jam triumphum canit, securus victoriæ. — Non frustra commendatur paulo operosius novi ac singularis commenti genus, quo fabula intricanda denuo erat. Hoc ex instituto poetæ: quod non dedecet interim περιεργίαν servilis jactantiæ in his versibus. *Bœcl.* — *Me effero*, triumpho.

Qui vim tantam in me et potestatem habeam tantæ astutiæ,
Vera dicendo ut eos ambos fallam; ut, quum narret senex
Vester nostro, esse istam amicam gnati, non credat tamen.
CLIN. At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis, dum illi consulas.
SYR. Quid, malum! Me ætatem censes velle id adsimularier?
Unus est dies, dum argentum eripio: pax! nihil amplius.

710. *Tantæ astutiæ.* Both. ex Bentleio *tantam astutiæ.*

711. *Eos ambos*, sub. *senes.* — *Ut*, ita ut. — *Senex vester*, Menedemus.

712. *Esse istam.* Alii *istam esse.* — *Nostro*, Chremeti. — *Istam*, Bacchidem. — *Gnati*, Clitiphonis.

713. *Omnem eripis.* Bodl. Bœnd. *omnem mihi eripis.* Ita Br. et Guelf. 3. — *Rursum.* Quasi dicat: «Facis, ut redeam ad ea dicenda, quæ supra jam dixi.» Cf. sup. vs. 699. *Perlet.*

714. *Hanc*, Bacchidem.—*Meam esse credet.* Necessario, si Chremes Bacchidem gnati amicam non crediderit. — *Non committet*, subaud. *mihi.* Bene de filia *committet* dixit; quia proprie magna *committimus*, et ea, secundum Donatum, quæ salutem in dubio habent. *Calphurn.*

715. *Quid me fiat.* Alii *quid de me fiat.* — *Parvi pendis.* Muretus defendit *parvi curas.* Itid. Delph. Legit Both. *parvi, dum illi consulas*, omisso altero verbo.—*Quid me fiat*, pro *in me*, vel, *de me fiat.* Gr. τί μοι γένοιτο. *Priscian.* — *Parvi pendis*, parum curas.

716. *Ætatem.* C. G. m. *tandem.* — *Quid, malum!* Vox illa exclamationis continet locum. Quomodo Cicero pro Scauro: *quæ, malum, est ita ratio?* Eugr. — *Ætatem*, hyperbolice dictum, ut jam vidimus, pro, *diu, in longinquum, in perpetuum.* — *Censes*, credisne. — *Me velle id adsimularier.* Huc refer, quod supra est, 332 sq. — *Adsimularier*, passivum est.

717. *Effero* pro *eripio.* Guelf. 3. — *Unus est dies.* Acute opponuntur hæc τῷ *ætatem*, vs. præcedentis. — *Argentum eripio.* Ingeniose, et forsan magis exquisite adnotat hic Perletus: «Dicit *eripio* comice; quia, ut mihi quidem videtur Clinia *eripis* dixerat, vs. 713. Unde sensus gravior exit, non *spem*, sed

CLIN. Tantum sat habes? Quid tum, quæso, si hoc pater resciverit?

SYR. Quid si? Redeo ad illos qui aiunt: «Quid si nunc cælum ruat?»

CLIN. Metuo, quid agam. SYR. Metuis? Quasi non ea potestas sit tua,

Quo velis, in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.

CLIN. Age, age, traducatur Bacchis. SYR. Optume. Ipsa exit foras.

argentum eripio, dicentis.» — *Pax! nihil amplius.* Sub. *dic.* Id est, sile, quiesce, plura desine.

718. Non interrogat Br. post *habes.* — Guelf. 3, *senex* pro *pater.* — *Tantum sat habes?* Supple, temporis ad eripiendam pecuniam a patre Menedemo. — *Quid tum*, etc. Totam sic licet sententiam supplere: «Esto sane non plus tibi temporis necessarium sit; at quid fiet, si pater meus Chremes hoc figmentum resciverit?»

719. *Quid si? redeo*, etc. Legimus et distinguimus cum West. *quid si? Redeo ad illos*, etc. — *Qui aiunt.* Editio prima *qui dicunt.* — *Quid si?* Syrus τὸ *quid si?* Cliniæ exprobrans per imitationem iteratum, ad absurdum eum reducit, reddito sermone illorum hominum, qui subtimidi in re quaque peragenda dicere solent, *Quid?* si hoc vel illud acciderit, vel ita *quid? si cælum ruat.* Vid. Erasm. Adag. pag. 144. *Perl.* — *Redeo ad illos qui*, etc. «Mihi res est cum illis qui, tutissimis in rebus omnia timent, etiam, ne ruat cælum.» Aristoteles, Phys. l. V, scribit, priscis illis et rudibus mortalibus persuasum fuisse, cælum Atlanticis humeris sustineri; quod si ille se subduxisset, fore, ut in terram decideret. Prudentiores illi Scytharum legati ad Alexandrum, qui ab eo rogati, numquid illum non timerent, respondebant: Nos certe nihil omnino timemus, *nisi ne cælum ruat.* De Phenace quodam videatur Plutarchus, lib. de facie quæ apparet in orbe lunæ. *Farnab.*

720. *Metuo, quid agam.* Præ metu incertus sum, quid faciam. — Cunctatio Cliniæ partim honestatis, partim affectus est: pudori est ei meretrix; et simul concupitis tantopere nuptiis aliquam moram metuit. *Bæcler.*

721. *Rem facias.* Vetus cod. apud Lind. *et rem facias.* — *Quo velis, in tempore ut te exsolvas*, etc. Ad *quo* subaudi *metu.* Sed plenior esset oratio hæc: *ut te quo* metu *velis* exsolvere, eo opportune exsolvas, simul *fac. pal.* — *Rem facias palam.* Palam dicas te velle Antiphilam uxorem, et Bacchidem esse amicam Clitiphonis, non vero tuam.

722. *Age, age.* Vox consentientis, et ejus qui victus est rationibus callidi servi. — *Traducatur*, e domo Chremetis in domum patris mei.

SCENA QUARTA.

BACCHIS. CLINIA. SYRUS. DROMO. PHRYGIA.

BACCH. Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt,
Decem minas quas mihi dare est pollicitus. Quod si is nunc me
Deceperit, sæpe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet.
Aut quum venturam dixero et constituero, quum is certo
Renuntiabit, Clitipho quum in spe pendebit animi,
Decipiam, ac non veniam. Syrus mihi tergo pœnas pendet.

723. *Induxerunt.* Par. p. var. *adduxerunt.* Cave ne ponas cum quibusdam post *induxerunt* distinctionem commate pleniorem. Intellige potius et construe : « Decem minæ quas, etc. » quo modo, Andr. 3 et 26. *Perlet.* — Sic quoque Virg. per attractionem, Æneid. 1, *Urbem quam* statuo, vestra est. — *Satis proterve*, satis aspere, ut vult Eugr. vel, satis inepte, satis inconsiderate. — Meretricis conquestio exprimitur, cujus indignatio dependet ex non tradita pecunia. *Calph.* — *Syri promissa.* Non Syrum, sed Clitiphonem pollicitum esse, ex oratione Syri quidem constat, supra, 329. — *Induxerunt.* Calphurn. notat, *induci* de eo dici, qui alterius verbis decipitur.

724. *Decem minas.* Ms. Mark. *Dec. ob minas.* — *Est pollicitus.* Alii *poll. est.* — Bip. *quas mihi daret, pollicitu'st.* — *Me.* Vocem hanc versui seq. adscribunt plures Editorum. — *Quod si is nunc me*, etc. Ordinem hujus narrationis descripsit Guyetus. Suavitatem, quæ ex specie simplicitatis, et repetitione ejusdem verbi nascitur singularem commentatus est Scaliger, Poet. IV, 29. *Bæclerus.*

725. *Ut veniam.* Both. *ut veniat.* — *Ut veniam*, ad Clitiphonem. — *Frustra veniet*, me oratum.

726. *Certo.* Alii *certe.* — *Constituero*, tempus præfixero. — *Is*, Syrus. — *Certo*, sine dubio.

727. *Renuntiabit.* Sic Bentl. ob *pendebit.* Vulg. *renuntiarit.* Perl. — *Quum in spe.* Valp. omittit *in*, quod exhibent Bent. Perl. Both. Bip. Z. Delph. — *In spe*, sperans. — *Pendebit animi*, exspectabit anxius. Et est græca locutio.

728. *Decipiam, ac non veniam.* Mira meretricis calliditas exprimitur. Jam cogitavit, quemadmodum Syrus videatur apud Clitiphonem vanus et mendax, ex quo ab illo ver-

CLIN. Satis scite promittit tibi. SYR. Atqui tu hanc jocari credis?
Faciet, nisi caveo. BACCH. Dormiunt; pol ego istos commovebo.
Mea Phrygia, audistin', modo iste homo quam villam demonstravit
Charini? PHR. Audivi. BACCH. Proximam esse huic fundo ad dextram? PHR. Memini.
BACCH. Curriculo percurre : apud eum miles Dionysia agitat.
SYR. Quid hæc inceptat? BACCH. Dic me hic oppido esse invitam atque adservari,
Verum aliquo pacto verba me his daturam esse et venturam.

beretur. *Calphurn.* — *Mihi*, in meam ultionem. Virg. Æn. I, 136. « Post *mihi* non simili pœna commissa luetis. »

729. *Satis scite promittit tibi.* Satis bellas res tibi promittit, nempe plagas, ex alieno corio abunde liberalis. — Et hoc cum risu pronuntiandum a Clinia, qui hæc dicit Bacchidi nondum visus et remotior.

730. *Nisi caveo.* Mark. *cavero.* Ita et Ed. prim. aliæque. *West.* — *Faciet*, id quod minatur. — *Dormiunt.* Videt Cliniam et Syrum. « Otiose agunt, mei negligentes sunt. » — *Commovebo*, excitabo.

731. *Audistin'.* Quidam, *audisti.* — *Iste homo.* Alii *homo iste.* — *Mea Phrygia*, etc: Consentiente ancilla, mendacium fingit. — *Iste homo*, quasi diceret, *nescio quis obvius.*

733. *Curriculo percurre.* Illuc celeriter curre, uno cursu, sine intermissione. Hoc loco *curriculo* adverbium est, alias nomen. — *Miles*, sub. meus. Meretrix argentum extorquere cupiens, alterius amatoris mentionem injicit, de quo ante, vs. 365; confingens se constituisse ut ad convivium illuc veniret. *Bæclerus.* — *Agitat*, celebrat.

734. *Quid hæc inceptat.* Delph. Z. Both. omittunt *hæc.* — *Adservari.* Mark. Et editi vett. cum Calph. legunt *servari.* — *Hæc*, Bacchis. — *Oppido invitam.* Omnino, contra voluntatem meam. Adverbium illud, *oppido*, ortum est ex sermone inter se confabulantium, quantum quisque frugum faceret, ut quæ multitudo sæpe significaretur, sæpe respondebatur, *quantum vel* oppido *satis esset.* Hinc in consuetudinem venit, ut diceretur *oppido*, pro valde, multum. *Rob. Stephan.*

735. *Et venturam.* Vet. cod. ap. Lind. *atque vent.* — *Verba me his daturam esse.* Me dicturam aliquid, unde decipiam illos. *Eugr.* — *Venturam*, ad eum.

Syr. Perii hercle. Bacchis, mane, mane. Quo mittis istanc, quæso?
Jube, maneat. Bacc. I. Syr. Quin est paratum argentum.
Bacc. Quin ego maneo.
Syr. Atqui jam dabitur. Bacc. Ut lubet. Num ego insto?
Syr. At scin' quid, sodes?
Bacc. Quid? Syr. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa
Eo traducenda est. Bacc. Quam rem agis, scelus? Syr. Egon'? Argentum cudo,
Quod tibi dem. Bacc. Dignam me putas, quam illudas?
Syr. Non est temere.

736. *Istanc.* Alii *istam.* Both. *istam? quæso.* Guelf. 2, *nunc* post *istanc.* — *Perii hercle.* Hæc ad spectatores conversus. — *Mane.* Siste, ne mittas Phrygiam ad militem. Scilicet servus heri sui timet amoribus. — *Istanc,* Phrygiam.

737. Bacc. *I.* Lib. antiq. *abi.* — *Ego maneo.* Ms. Lips. *Ego hic man.* — *I.* Phrygia, abi quo te jussi ire. — *Quin est parat.* Atqui, etc. — *Quin ego,* etc. «Jam igitur maneo.» Et repetit Bacchis Syri verbum, ut mos est iratorum.

738. *Dabitur.* Mss. West. addunt *tibi.* — Post *sodes,* C. G. m. legit *facias.* — *Jam dabitur,* sub. pecunia; id est, decem minæ promissæ. — *Ut lubet.* Responsio superbientis. — *Num ego insto,* ut des. Locutio est aviditatis speciem urbanitatis prætexentis. *Perl.* Fingit se non magnopere curare ut habeat argentum quemadmodum faciunt hi qui jam dudum cupiunt. — *Scin' quid,* sub. *facias,* vel *facere velim. Sodes,* quæso.

739. *Transeund. nunc.* Abest *nunc* in quibusdam. *Transeundum nunc tibi ad Menedem.* De hoc novo consilio, vide in scena præcedenti. — *Tua pompa.* Tuus ancillarum comitatus.

740. *Traducenda.* Br. *Transducenda.* — *Egon'?* Sic ex Bent. Br. Perl. Delph. — Alii *Egone?* aut *Ego.* Dat. Bip. sine interrogatione *Ego argentum,* etc. — *Quam rem agis?* Quid moliris? — *Scelus,* scelerate. — *Egon'?* Quærisne, quid ego moliar? — *Argentum cudo.* «Id facio ut extundam per dolos argentum dandum tibi.» Hæc dicit ridens. — *Cudo* proprie est *compono,* vel *tundo;* unde *incus,* ubi tunditur ferrum. *Eugraph.*

741. *Non est temere.* Guelf. 3, *non est hoc tem.* — *Dignam, quam illudas.* Cf. Andr. 759; syntaxes Terentianæ verbi *illudere* sunt: *illudere* aliquem, in aliquem, in aliquo. — *Non est temere.* Non sine causa præmeditata id ago. Id est, non illudo te. Vera causa est. Vera ratio est, ob quam volo te ad Menedemum transire.

BACC. Etiamne tecum hic res mihi est? SYR. Minime; tuum tibi reddo.
BACC. Eatur. SYR. Sequere hac. Heus, Dromo. DROM. Quis me volt? SYR. Syrus. DROM. Quid est rei?
SYR. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
DROM. Quamobrem? SYR. Ne quæras. Efferant quæ secum attulerunt.
Sperabit sumptum sibi senex levatum esse harum abitu.

742. *Etiamne tecum hic res mihi est.* An aliquid præterea mihi est negotii apud Menedemum, quod tu mihi struas ac pares? Nonne satis me apud Chremetem ludificatus es? Aspernatur enim, quod petebat Syrus; nec ad rationem consilii ejus vult accedere, donec mox, subito flexu, annuit: *eatur. Bæclerus.* — Putat Bothius non percipi vulgo loci sententiam. «Interrogat, ut dicit, Cliniam Bacchis, an etiam in domo paterna res sibi cum illo futura sit, ut fuit apud Chremetem. Respondet pro Clinia servus, minime id futurum, sed suum amatorem Clitiphonem illi redditum iri. *Hac*, ut mox *huc*; quia vicinæ Menedemi ædes.» — Vult denique Dacieria sensum esse: «Num huc, tui gratia debeam ire. Minime, respondere servum, sed tui ipsius commodo.» — *Tuum.* H. e. quod tibi pollicitus sum. — Melius sic accipi arbitramur, quam si subaudiveris *amatorem.*

743. *Sequere hac.* Ms. in Bibl. Reg. Par. *sequere me hac.* Bip. conjicit *hunc*, pro *hac.* Hic adnotat Bothius: «vulgo hæc Syro tribuunt, qui in scena aliquantisper etiam manet: male. Phrygiæ dicit Bacchis.» — *Eatur.* Concedentis. Cito flectitur et quia mulier et meretrix, quæ trahitur minimo lucello. Et *eatur* impersonaliter, quasi dicat, *a me*, vel *a meis ancillis. Calphurn.* — *Sequere hac.* Tunc temporis, Clinia cum Bacchide abit.— SYR. *Syrus*, sub. te vult, te appellat.

744. *Traduce.* C. G. ch. *traduc.* — *Huc*, in domo ubi nunc es. — *Ad vos.* In domum Menedemi. — Pluralis hujus numeri, etiam de uno dicti, supra jam rationem reddidimus.

745. *Efferant.* In aliis est *et ferant.* — Legit *et* post *attulerunt* Guelf. 3. — *Quamobrem?* Dromo, utpote tardiusculus, non intelligit Syri consilium. De eo superius 515, «ille Cliniæ servus tardiusculus est.» *Calphurn.* — *Quæ secum attulerunt.* Supra 451, 452.

746. *Sperabit.* Guyet. suo arbitrio, ut solet, scribit, legitque *speravit.* West. — *Harum.* Faern. Bent. Br. et post eos Bip. Z. Both. *Harunc.* — *Senex.* Chremes. — *Sumptum sibi levatum.* Impensas sibi esse deminutas. — *Harum abitu*, utpote, quæ sint tantæ multitudinis. Sed nescit ex ea re damnum ad se venturum, dum hac re maxime extorquebitur argentum. *Eugraphius.*

Næ, ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni adportet.
Tu nescis id quod scis, Dromo, si sapies. DROM. Mutum dices.

SCENA QUINTA.

CHREMES. SYRUS.

CHR. Ita me Dî amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me; tantum devenisse ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius.

747. *Hoc paulum lucri.* Br., et Guelf. 2, *hoc paululum luc.* — *Ei*, Both. *illi.* — *Hoc paulum lucri*, quod abierint illæ. — *Quantum damni.* Argento nimirum, quo erit Chremes emungendus.

748. *T. n. id q. s. Dromo, si sapies.* Sollicitat hæc Guy. tanquam spuria, et ex Eunuch. vs. 721, expressa. *West.* Alii omittunt *id.* — *Mutum.* Br. *multum.* — *Tu nescis id quod scis.* Id age, ut nescisse videaris; id ille per ὑπερβολὴν, *mutum* me *dices.* Eugraph.

749. *Ita me Dî amabunt* Mss. et editi quid. *Ament.* Guy. *amassint.* Alii Mss. *Dî bene ament.* — *Vicem.* Mss. apud Westerh. *vitam.* — *Vicem.* Vid. Farnabii syntaxin, et Sanct. Minerv. II, 3; ubi Perizonius: «*vicem* ponit, pro *propter vicem.*

750. *Tantum mali.* Bacchidem cum ancillis. Proprius dixisset *damni;* nisi ad ægritudinem animi referas. *Calphurn.*

751. *Illanccine.* Lindenbr. Be. script. *Illancine*, per unum *c.* Both. *illancne.* — *Illanccine mulierem*, etc. Itane est, ut alenda sit ei mulier illa, Bacchis. — *Familia.* Cum stomacho dixit, id quod superius facete Syrus pompam appellavit. *Calph.*

752. *Aliquot dies.* Guelf. 2, vitiose, *aliquod.* — *Etsi.* Eodem est sensu quo *tamen;* sed arctius jungit duas unius sententiæ partes. — *Hosce aliquot dies.* Hos paucos dies, qui jam proxime sequentur. — *Non sentiet.* Id est, non tantum sentiet sumptus Bacchidis, quantum Chremes senserat. Cf. supra 455.

753. *Ita magno*, etc. Bentl. notat hunc versum ab uno ex regiis abesse; contendit præterea esse hunc spurium, et ex nota marginali huc irrepsisse. Sed redarguit Bip. et inclamat versum esse Terentianum; quem cæterum exhibent omnes quos habemus editi. — *Ita ma-*

Verum ubi videbit tantos sibi sumptus domi
Quotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rursum, ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum! Syr. Cesso hunc adoriri? Chr. Syre. Syr. Hem!
Chr. Quid est? Syr. Te mi ipsum jamdudum optabam dari.
Chr. Videre egisse jam nescio quid cum sene.
Syr. De illo quod dudum? Dictum ac factum reddidi.

gno. Dicuntur hæc per epiphonema.

755. *Quotidianos.* Reponit Bentl. *quotidiano*, probantibus Bip. Ruhnken. — *Nec fieri modum.* Cum gratia repetitur verbum : sumptus fieri, nec fieri modum sumptuum. *Bæcl.*

756. *Non hercle.* Both. *nondum hercle.* Guelf. 1, *Syrus* post *hercle.* — *Filius.* Ironice repetitur, ex versu 753.

757. *Syrum optume*, etc. Mss. quid. et editi, *sed Syr.* — *Eccum*, pro simplici *ecce.* Quemadmodum enim *eccum*, *ellum*, sæpius per nomina, ita quoque aliquando per adverbia resolvuntur. — *Optume.* Mira suavitate error comicus designatur. Chremes gratulatur sibi de conspectu Syri, ex quo cognoscere cupit, quemadmodum techna, ad fallendum Menedemum, falli desiderantem scilicet, instructa sit. Syrus gaudet, offerri sibi Chremetem, egregie scilicet, sub alienis nominibus decipiendum, quo tempore nihil suspicabatur. *Bæcler.*—*Cesso?* Vox scenica, pro cur moror? — Syrus autem modo a Menedemo egreditur, herumque se videre non dissimulat. Hinc vocatus, exclamat, *hem!* Perlet. — *Adoriri*, significantius quam *adire.* Perl.

758. *Quid est?* Quid. editores, et Dacieria verba hæc Syro tribuenda censent: male, ut ait Zeun. Melius conveniunt Chremeti, cupienti audire quid cum sene egerit. — *Jamdudum optabam.* Bemb. Br. Zeun. *exoptabam.* — *Quid est?* Vocati solebant quærere, *quid est?* Quare hæc fortasse melius Syro tribuuntur, quam Chremeti, ut vult Dacieria. Sed magis probatur ordo textus vulgaris, quo Syrus timide cunctatur, ac sensim sensimque accedit, et tanquam ex obliquo.

759. *Videre egisse jam nescio quid cum sene.* Colligit hoc ex verbis Syri, a quo exoptaretur: Credebat enim senex se a servo non optari, nisi gratia fallaciæ in Menedemum, de qua supra locutus fuerat, vs. 516, pag. 385. «Idcirco huic nostro tradita est provincia.»

760. *De illo quod dudum?* Totam sententiam sic supple, «an loqueris de fallacia, quam ut illi struerem hortatus es dudum? — *Dictum ac factum reddidi?* Quod dixi (vel, quod dixisti) expedivi simul cum dicto. Ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον. — *Reddidi.* Censet Perletus hic esse am-

CHR. Bonan' fide? SYR. Bona. CHR. Hercle non possum pati,
Quin tibi caput demulceam. Accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista re ac lubens.
SYR. At si scias quam scite in mentem venerit.
CHR. Vah, gloriare evenisse ex sententia? 765
SYR. Non hercle vero, verum dico. CHR. Dic quid est?
SYR. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem,
Menedemo dixit Clinia, et ea gratia

biguitatem comicam; Chremetem intelligere argentum, Syrum amatores. Ideo doctissimus editor jubet conferri ad vs. 742.

761. SYR. *Bona.* CHR. *Hercle non possum*, etc. Ita Bent. et post eum Perlet. et alii, distinguunt, commodius fortasse, quam plures, qui habent; SYR. *Bona hercle.* CHR. *Non possum pati.—Bonan' fide.* Formulæ speciem habet, perinde ac si rogaret, *serio?* Vere? Nam servi fides solet esse suspecta. *Perlet.* — *Non possum pati quin*, etc. Elegans formula, ut Perletus adnotat, cui similis illa Eunuchi, vs. 858: *Vix me contineo quin involem*, etc.

762. *Caput demulceam.* Quod solet fieri his qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quædam videatur esse laudatio. *Eugraph.*

763. *Pro ista re*, etc. C. G. m. *istac*, et sup. script. *fraude.* — *Faciam boni tibi aliquid pro ista re.* Blande dicere et benigne facere cupiunt, qui indulgent aut assentantur. Induxit hoc ἦθος etiam in Adelphis, 891: *et tibi Lubens benefaxim.* Ibid. 899, 900: *Et tibi, ob eam rem, si quid usus venerit, Lubens benefaxim, Bæclerus.* — *Ac lubens.* Ita in finem rejicitur vox illa, ut vividius exprimatur gratus animus.

764. *In mentem ven.* C. G. m. præponit *mihi.* Itid. Ital. — *At si scias quam*, etc. Ut adimpleatur sensus, supple: « Mihi multo magis etiam plauderes. »

765. *Gloriare.* Par. Mss. *hariolare.* —Notam exclamationis ponit Both. post *sententia.* — *Vah*, φεῦ. Hic est interjectio subirridentis. — *Gloriare*, falso jactitas.

766. *Non hercle.* Both. *nondum hercle.* Guelf. 1, *Syrus* post *hercle.* — *Non hercle vero*, subaudi *glorior.* — *Verum dico.* Ita servi solebant interdum per ipsam veritatem fallere dominos, qui nihil eis credebant. *Perl.*

767. *Tui Clitiphonis*, etc. H. e. illud consilium, quod supra significatum est, ut veritas dicta nihilominus implicare possit errorem. Quippe quum dicit Clinia patri, *Clitiphonis amicam esse hanc:* ut hoc dum indicat servus, nihilominus dominus filii sui amicam meretricem esse non credat. *Eugraph.*

768. *Et ea gratia.* Both. *et ea se gratia.* — *Ea gratia*, ea causa, eo consilio. Quia scilicet timet, ne tu id persentiscas, ne irascaris.

Se eam traduxisse, ne tu id persentisceres.
CHR. Probe. SYR. Dic sodes. CHR. Nimium, inquam. SYR.
Immo sic satis.
Sed porro ausculta, quod superest fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam vidisse filiam,
Ejus sibi complacitam formam, postquam adspexerit,
Hanc cupere uxorem. CHR. Modone quæ inventa est?
SYR. Eam;
Et quidem jubebit posci. CHR. Quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsus nihil intelligo. SYR. Vah, tardus es.

769. *Traduxisse.* Sic Bentl. vulg. *secum adduxisse.* — *Traduxisse* in ædes Menedemi.

770. *Immo sic satis.* Both. disting. *Immo sic; satis.* Plures alii, *immo si scias.* — *Dic sodes.* « Dic vere, amabo. » Formula qua postulatur, ut alter magis diserte et bona fide sententiam suam dicat. *Westerhov.* — *Nimium, inquam.* Perquam probe, valde scite, inquam. — *Immo sic satis.* Quum laudaret fallaciam Chremes *probe*, *nimium*; Syrus ficta modestia respondet, *sic satis*, mediocriter. *Bentleius.*

771. Non est hic insititius versus, quod existimabat Guyet. — *Quod superest fall.* Cod. vet. Lindenbr. *quod super f. est.* — Pro *quod* dant alii *quid.*

772. Pro *sese ipse* quod putidum invenit et insulsum, Bentl. vult reponi, *se deinde dicit*, etc. — *Dicet.* Sic C. G. m. In libb. Fa. *dicit*, quod dat quoque Bip. — *Sese ipse dicet*, etc. Astute de futuro prænonet herum, qui Menedemo non crediturus est, dum dicet inferius, vs. 855 : *Et illam aiunt velle uxorem.*

773. *Postquam adspexerit.* Geminavit sententiam, ut vis pulchritudinis amare cogentis exprimatur. *Bœclerus.*

774. *Hanc cupere uxorem.* Lib. ant. *hanc se cup. uxor.* — *Eam.* Mark. *ea.* — *Modone quæ inventa est?* Dicisne eam quam paulo ante nostram esse reperimus.

775. *Et quidem.* Alias *equidem.* Erasm. — *Et quidem jubebit posci.* Et volet ut filiam tuam pater suus postulet. Quod facit Menedemus, vs. 864, sqq. — *Quamobrem istuc, Syre.* « Cur dicis istud. » Simulatam rem putat; alioqui intelligeret, quod in aprico est. *Perl.*

776. *Prorsus.* Alii *prorsum*; sed *prorsus* Bentleio videtur, abjecta littera *s*, trochæus esse ad Græcorum metri rationem. *Perletus.* Sic quoque Both. — *Nam prorsus nihil intelligo.* Apte primum dubitat senex, in re quam denegaturus est; et per gradus veterator depellitur. *Bœcler.* — *Tardus es.* Ad ingenium refertur. Utpote qui nesciat quomodo rem intelligat simplicem. Hæc Syrus; haud secus ac qui se protinus intelligi volunt.

CHR. Fortasse. SYR. Argentum dabitur ei ad nuptias;
Aurum atque vestem quî. . . tenesne? CHR. Comparet?
SYR. Id ipsum. CHR. At ego illi neque do neque despondeo.
SYR. Non? Quamobrem? CHR. Quamobrem? Me rogas?
Homini.... SYR. Ut lubet.
Non ego dicebam, in perpetuum illam illi ut dares,
Verum ut simulares. CHR. Non mea 'st simulatio:
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Ego, cui daturus non sum, ut ei despondeam?

777. *Ei.* Both. *illi.* — *Fortasse*, sub. tardus ego sum, et id in causa est cur non intelligam. — *Argentum dabitur ei*, etc. Cf. supra, 738.

778. Mss. quidam et editi vetusti post Ed. Anon. et Ed. pr. *qui comparet : tenesne ?* CHR. *Comparet.* Sensu nihilo deteriore. *West.* Guelf. 2, *ut comparet.* — *Aurum atque vestem qui*. . . ut emat aurum, etc. Sed verbum, omittit, quod supplet Chremes. — *Tenesne?* Intelligisne? — *Comparet*, emat.

779. *At ego illi*, etc. Bothius legit, *at ego neque do, neque ei desp.* Bip. *nec do, nec desp.* — *Do*, filiam meam Cliniæ. — *Despondeo.* Proprie filiam despondebat puellæ pater; id est, promittebat sponso. *Juvenc.*

780. *Non.* Bent. *Nam;* non probante Perlet; Bothio autem recipiente. — *Homini.* Mark. et Bœnd. addit : *Darem illam fugitivo?* Calphurn. *homini fugitivo dabo.* Bothius lacunam post *homini.* Ita et Bip. In Br. τὸ *Ut lubet* vs. sequentem incipiunt. — *Non?* suppl. *das, despondes.* — *Homini*. . . Mirum ad explendam aposiopesin conveniunt quæ inveniuntur in Andr. 829, sq. pag. 107 : « Homini adolescentulo, in alio occupato amore; abhorrenti ab re uxoria. . . in seditionem, atque in incertas nuptias. » Et si velis magis convenienter suppleri, adde : « homini fugitivo, qui a patre aufugit, qui meretrici superbæ et sumptuosæ addicitur. » — *Ut lub.* Fac, ut tibi videtur.

781. *In perpetuum.* Codd. Be. omnes *perpetuo.* — *Illi.* Both. *ei;* qui, secundum Perlet., non est audiendus. — *In perpetuum.* In stabile connubium.

782. *Non mea 'st simulatio.* Adnotat Ruhnken. in dictatis : « Legendum est *non meum est simulatio*, ut meliores libri habent. In deterioribus legitur *non mea est sim.* » — *Non mea 'st simulatio.* Non is sum qui simulare possim : non est meum mentiri.

783. *Istæc tua.* Ed. prim. non agnoscit τὸ *tua.* — *Misceto.* Bœnd. et Ed. Anon. *admisceto.* — *Ne me.* Libri quidam *ut ne me*, quod probant Gov. et Guy. *West.* — *Ita tu istæc tua*, etc. Sensus est, « Ita igitur hæc efficito, ut sine mea persona compleas. » *Eugr.*

784. *Ego.* Alii *egon'.* — *Non sum*

SYR. Credebam. CHR. Minime. SYR. Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jusseras,
Eo cœpi. CHR. Credo. SYR. Cæterum equidem istuc, Chreme,
Æqui bonique facio. CHR. Atqui quum maxume
Volo te dare operam, ut fiat, verum alia via.
SYR. Fiat. Quæratur aliud. Sed illud, quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum 'st illi, neque tu scilicet
Eo nunc confugies : « Quid mea? Num mihi datum est?

Br. Bip. Both. Delph. *Non sim.* — *Ego, cui daturus non sum, ut*, etc. Sub. *vis ne* ut ego despondeam filiam meam ei cui, etc.

785. *Credebam*, scilicet, tibi persuaderi hoc posse, ut adsimules interim. — Nota, hæc ad epitasin machinatum esse Poetam : et ad differendam catastrophen. Quando enim ante dixerat Clinia, vs. 691 : « Antiphila mea nubet mihi, » spes erat sola; res adhuc differebatur. Nondum enim Antiphilæ pater Chremes auctor his rebus factus erat. Quod ideo monendum est, quia eruditorum aliquos in συστάσει τῶν πραγμάτων obhæsisse video. *Bæcl.* — *Minime*, supp. volebam id simulare.

786. Abest *tu* Guelf. 2. — *Hoc*, hanc technam. — *Quia*, junge cum *eo* in vs. sequenti, *eo quia*, propterea quod. — *Dudum*. Cf. supra, 546, sqq. — *Tantopere*, tam vivide.

787. *Equidem*. Guelf. 3, *tibi quidem*. — *Credo*, te ob id unum egisse, ut mihi morem gereres.

788. *Quum maxume*. Variant lectiones, *tum maxume*, vel *quam maxume*. — *Æqui bonique*. Sub. *causa*, sc. ut consulam æquitati et probitati. Callidus servus conatur suspicionem heri omni fide simulata removere. *Perl.* — *Quum maxime*, summopere, non minus quam antea. Græce, ὅτι μάλιστα.

789. *Ut fiat*. Ut fallacia intendatur in Menedemum.

790. *Fiat*, sit ita ut cupis. — *Quæratur aliud*, sub. *consilium*. — *Sed illud, quod*, etc. « Sed ut revocem tibi quod jam dixi, etc. » Et ante illud, subaudi, *quod attinet ad*.

791. *Dixi de argento*. Vulg. hanc lectionem Both. ait balbutire; et a scriptore fuisse, *dixit argentum*. Legit igitur, *argentum dixi*. — *Ista*. Antiphila. — *Debet Bacchidi*. Quia pro pecunia mutuo a Philtera Bacchidi data relicta erat arrhaboni. Vide supra, vs. 601, 603.

792. *Illi*, Bacchidi. — *Neque tu scilicet*. Occurrit veterator servus iis, quæ poterat Chremes objicere et respondere. *Farnab.*

793. *Confugies*. Guelf. 2, *confugias*. — *Eo*, ad id prætextus. — — *Quid mea*, sc. interest? — *Num mihi datum est?* Sub. *argentum*. Et negat interrogando; quasi diceret: « Cur argentum reddam, quod mihi datum non est? »

Num jussi? Num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit? » Vere illud, Chreme,
Dicunt, jus summum sæpe summa est malitia.
CHR. Haud faciam. SYR. Immo, aliis si licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta et bene acta parte putant.
CHR. Quin egomet jam ad eam deferam. SYR. Immo filium
Jube potius. CHR. Quamobrem? SYR. Quia enim in hunc suspicio 'st

794. *Num jussi*, sc. ut daretur pecunia. — *Illa*, anus Corinthia. Supra 600. — *Oppignerare filiam meam.* Dare filiam pignori.

795. *Vere illud.* Sic nos ex Bent. post Perl. Both. vulgatam lect. *verum*, defendit Ruhnken. — *Vere*, jure ac merito.

796. *Est malitia.* Disponunt alii *malitia est.* Muret. testatur in exemplari suo esse *injuria*, uti Cic. de Offic. I, 10; ubi vide Heusing. *Perl.* — Both. legit, *Jus s. s. summa, dicunt, malitia.* — *Dicunt*, sc. homines; quasi diceretur : in ore est omnium. — *Jus summum sæpe*, etc. Adnotat interpres gallicus *Lemonnier* citationem hanc supra servilis sermonis jactum futuram fuisse, nisi in adagii morem percrebuisset omnino hæc sententia. — Ex Menandro : Καλὸν Οἱ νόμοι σφοδρ'εἰσὶν, ὁ δ'ὁρῶν τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται. — Malitia, ut explicat Cic. de Offic. *malitiosa* est *juris interpretatio*, et sæpe sumitur in re forensi, pro *technis*, ac *tendiculis juris.*

797. *Haud faciam.* Non confugiam ad eas summi juris rationes. — *Immo*, «præterea.» Jam animi labentem magis ac magis impellit. — *Aliis si licet* eo juris rigore uti.

798. *Omnes te in tanta*, etc. Hunc versum qui tantopere variat, retinuimus, post Perletum, ut est a Faerno. Pro *aucta*, quod vulgo est, habent alii *facta*, alii *uncta;* pro *parte* Bip. *copia.* C. G. m. *acta parte.* Bentl. *aucta re.* Addit ipse Perletus, quod ipsi placitum est, *parta re.* — Lectionem nostram fere omnem recipit Valpius nisi quod legit *aucta.* Both. *omnes inlautum id in bene aucta re putent.* — *Omnes te in lauta et bene acta parte putant.* Omnes arbitrantur te versari in conditione opulenta, et bene disposita; vel, te versari in ea civium parte quæ est lauta, et agens feliciter.

799. *Quin.* Gallicus interpres *Lemonnier* adnotat : « Les vieillards n'aiment pas qu'on dise qu'ils sont riches ; voilà pourquoi Chrémès brise sur cet article. Sa réponse, qui commence par *quin*, marque son impatience. » — *Deferam*, sc. pecuniam.

800. *In hunc.* Alii, *in eum.* — *Jube*, sc. deferre. — *In hunc*, Clitiphonem. — *Suspicio 'st tranlat. am.* Cf. supra, 767. Huc enim adludit re-

Translata amoris. CHR. Quid tum? SYR. Quia videbitur
Magis verisimile id esse, quum hic illi dabit;
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest. Abi, effer argentum. CHR. Effero.

SCENA SEXTA.

CLITIPHO. SYRUS.

CLIT. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, 805
Quam invitus facias. Vel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa ad languorem dedit!
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.

torridus servus, ut seni quidem, quid verum sit, sub specie suspicionis insinuet. *Perlet.*

801. *Quid tum?* Quid inde sequitur, si meus filius putetur a Menedemo esse Bacchidis amator.

802. *Id*, sc. quod Bacchis sit amica Clitiphonis. — *Hic*, filius tuus. — *Illi*, Bacchidi.

803. *Et simul.* Alii *simul et.* — *Conficiam.* Guelf. 3, *perficiam.* — *Conficiam.* Pro *efficiam.* Perleto magis placet intelligere *argentum;* quum item etiam *conficere* dicatur, Eunuch. 927; et Phorm. 812.

804. *Ipse*, Clitipho. — *Adeo.* Affirmat *adeo* junctum cum pronomine. Sic Cic. pro Arch. VI: «Atque hoc *adeo mihi* concedendum est.» — *Effer argentum.* Multo acrius pecuniæ suæ tenaces inducit senes in theatrum Nostras Molierius. Vide, *les Fourberies de Scapin*, passim. Et confitendum est h. l. Terentium paulo deflexisse a genuina senilis affectus imitatione. Senex enim, ut ait Flaccus, Art. poet. «Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti.» — *Effero.* Mox elaturus sum. Ut: *mox huc revertor;* et similia.

806. *Quam*, intellige quasi esset, *si eam.* — *Vel hæc deambul.* Ipsa hæc deambulatio. Conf. supra, 587. Jusserat procul abire Clitiphonem Chremes, Syro instante, dum Bacchis ad Chremetem deduceretur. Redit iratior. *Juvenc.*

807. Abest *dedit* Guelf. 2. — *Quam*, pro *quamvis*, vel potius exclamatio. — *Me ad languorem dedit;* me defatigavit. Sic Plaut. Asin. III, II, 28: «ad languorem dederit»

808. *Nec quidquam magis nunc metuo*, etc. Reducitur Clitipho, quo tempore opus erat: amatorie conquerens desiderium amicæ, et, ne quid hujus generis iterum accidat, metuens. *Bœcler.* — *Denuo*, de novo, iterum.

809. *Extrudar.* Mark. Bænd. et

Ut te quidem omnes Dii Deæque, quantum 'st, Syre,
Cum tuo istoc invento cumque incepto perduint!
Hujusmodi mihi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. SYR. I tu hinc quo dignus es.
Quam pæne tua me perdidit protervitas!
CLIT. Vellem hercle factum, ita meritu 's. SYR. Meritus?
Quomodo?
Næ me istuc prius ex te audivisse gaudeo,

Edit. Anon. *excludar*. West. Ita et Guelf. 2.

810. *Ut te quidem omnes*. Pauci, *ut te omnes quidem*. Nulli, *ut te omnes equidem*. — *Dii Deæque*. Apud Faern. omittitur *que;* item faciunt Both. Delph. — *Ut*, utinam. — *Quantum 'st*, quotquot sunt. Tit. Liv. III, 25 : « Quidquid Deorum est. »

811. *Cum tuo istoc*. Delent *tuo* Faernus et Zeun. — *Perduint*. Guelf. 2, *perdant*. — *Invento, incepto*. Primo invenitur, dein incipitur machinatio. — *Perduint*. Antiquum est et Plautinum. — Ad jurgium excitandum hæc fieri adnotat Bœclerus. Hæc enim Clitiphonem, dum ingreditur, dicentem Syrus audit, et mox invicem incusat.

812. *Hujusmodi mihi res*. Valp. Both. non exhibent *mihi*. Dant cæteri omnes Bent. Z. Perl. Dant Mark. Delph. *Hujusmodi mi res*. — *Comminiscere*. Pro *comminisceris*, id est *fingis*. Hinc commentum. Alibi, Andr. vs. 225, huj. vol. pag. 37 : « At ipsis *commentum* placet. » Calph.

813. *I tu hinc*. Lib. Vict. *in* (*isne*). Both. *in' tute hinc*, etc. Bemb. *is*. Volunt alii *ibin;* et quidam suspicantur *sis*, perinde est ac *si vis*. — *Ubi me excarnifices*. Ut ibi, ut in talibus rebus me minutim excrucies. — *I tu hinc quo dignus es*. Similis exsecrandi formula occurrit in Eunuch. vs. 651, ubi vide notas; pag. 220. — Non excusat se Syrus : sed recriminatur, fiducia argenti jam parati fretus. Quæ clavis conciliationis. *Bœcler*.

814. *Perdidit*. Mark. Bœnd. et Edit. Anon. *prodidit*. Ita et Ms. Bœcleri. *West*. — *Protervitas*. Importunitas, vel petulantia.

815. *Vellem hercle factum*, scil. ut te protervitas mea perdidisset. — *Ita meritu's*. Dictum per epiphonema. — *Meritus*. Vocem hanc repetit Syrus μιμητικῶς : « Egone meritus sum ut perirem, ut malo mactarer? » Vultu augetur sententia. Loquitur, qui conscius sibi est magnorum in Clitiphonem meritorum. Itaque mox de mutando in posterum animo minas jacit : quasi beneficium, interea Clitiphoni paratum, intercepturus ingrato. *Bœclerus*.

816. *Næ me*. Bentl. confutat doctum quemdam, qui putat numeros fore meliores, si *me* deleatur. — *Prius ex te*. Invertunt alii, *ex te prius*. — *Istuc*. Tale convicium, tale votum. — *Prius*, junge cum *quam* versus sequentis.

Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
CLIT. Quid igitur tibi vis dicam? Abisti, mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
SYR. Jam non sum iratus. Sed scin', ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? CLIT. Apud nos. SYR. Non. CLIT. Ubi ergo?
SYR. Apud Cliniam.
CLIT. Perii! SYR. Bono animo es: jam argentum ad eam deferes,
Quod ei es pollicitus. CLIT. Garris. Unde? SYR. A tuo patre.

818. *Tibi vis dicam?* Ita colloc. ex Bent. Perl. et Both. ut C. G. m. vulg. *dic. tibi vis.* — *Abisti.* Bent. mutat *abisti* in *adisti*, quippe quod Syrus nusquam abierit. Sed hoc vir ingeniosus non satis habens, *manum* addit post *mihi*, ut Plautino more Nostrum reddat loquentem; cæterum phrasin *adire manum alicui*, pro, *os sublinere, seu fallere*, explicaturus! — Both. recipit *adegisti.* — *Quid igitur tibi vis dicam*, supple, *nisi me velle te perditum*, etc. Minus hæc contumaciter, vultuque remissiore, per speciem tamen defensionis dicit. *Bæcler.* — *Abisti.* Nempe ad Antiphilam arcessendam. Cf. supra, vs. 191.

819. Post hunc versum addidit Both. ex Hel. *Credendum, ex animo non nihil me irascier:* et dein huc transposuit vss. 816, 817, Syro tribuens. Dein habet, CLIT. *Jam non sum iratus.* SYR. *Sed scin', ubi nunc sit tibi*, etc. — *Amicam adduxti, quam non liceat t.* « Ob id unum videris eam adduxisse, ut mihi non liceat eam tangere. » Vetuerat enim Syrus. Cf. vs. 378.

820. *Jam non sum iratus.* Non potest Syrus præ nimia lætitia diutius reticere quod fecerit. « Mittamus ista. Facile ignosco tibi. Lubido tua, non seria aliqua indignatio, talia tibi verba dictavit. Potieris voto. » Quod indicat interrogatione, plurimum spei demonstrante: *sed scin ubi nunc sit tibi tua Bacchis?* Interponitur aliqua spei mora, comico invento, ut augeatur beneficii gratia. Sed abrumpitur mox familiariter illa mora: « Bono animo es: jam argentum ad eam deferes. » Hoc enim est primarium istud consilium Syri, cujus causa Bacchidem adduxerat: cuique difficultates comicæ hactenus intercesserant, sicut ex vers. 738, sqq. intelligi potuit. *Bæclerus.*

821. *Tua Bacchis.* CLIT. *Apud nos.* Gov. et Mur. ut metro consulant, tollunt *tua.* Erasm. vero resecat τὸ *Apud.* Illud elegantiam, hoc Latinitatem lædit. *Westerh.* — Br. *apud nos est.* Pro *ergo*, alii *igitur.*

822. *Perii.* Vox amantis aliquid mali semper reformidantis. — *Bono animo es.* Itid. alius ille Syrus, in Adelph. 545. — *Jam arg. ad eam deferes*, supra, vs. 799.

823. *Quod ei es pollicitus.* Both. Valp. non exhibent *es.* — *Unde.*

CLIT. Ludis fortasse me. SYR. Ipsa re experibere.
CLIT. Næ ego fortunatus homo sum! Deamo te, Syre.
SYR. Sed pater egreditur. Cave quidquam admiratus sis,
Qua causa id fiat; obsecundato in loco.
Quod imperabit, facito; loquitor paucula.

SCENA SEPTIMA.

CHREMES. CLITIPHO. SYRUS.

CHR. Ubi Clitipho nunc est? SYR. Eccum me, inque.
CLIT. Eccum hic tibi.

Lib. antiq. addunt *id.* — *Quod ei es pollicitus.* Cf. vs. 329. — *Garris.* Dicitur *garrire*, qui inaniter loquitur. — *Unde*, supp. istud argentum sumetur.

824. *Experibere.* Archaice, pro *experiere.* — Idem de servis dicere possumus, quod supra vs. 804, de senibus diximus : Magnum scilicet discrimen interesse inter comœdiæ nostræ, et hujus fabulæ servos. Quanta cum arrogantia, ne dicam protervitate, apud Molierium, servus unus operam suam vix hero suo dignatur impendere. De hoc vide Nostratis hujus Comici fabulam, quam jam citavimus.

825. *Deamo te*, te valde amo; ut infra vs, 953, est *deridiculus*, pro *valde ridiculus.*

826. *Sed pater egreditur.* Both. *st! Pater egred.* — *Admiratus sis.* Pro *sis*, omnes libb. Faern. et plurimi editorum *sies;* sed ex animadversione Perleti, ratio versus exigit *sis.* — Huic versui, qui vulgo sequitur posteriorem, Muretus sedem hanc priorem assignavit. Quod probo. Nam hoc modo, quod præcipit Syrus, *cave* dicendo, jungitur commode alteri imperativo *obsecundato* et sequentibus. Qui tenor orationis in vulgata collocatione perit. *Perlet.* — *Cave quidquam admiratus sis.* Cave ne videaris præ nimio gaudio admirari, quod argentum accipias deferendum ad Bacchidem.

827. *Obsecundato in loco.* « Subservito mihi opportune, et fraudem adjuva. »

828. *Loquitor paucula.* Ne ex sermonibus tuis nascatur ulla suspicio. *Eugr.* — Adnotat Calphurn. « *Paucula* dixit, non *pauca;* et sic majorem vim ista admonitio habitura est. »

829. *Ubi Clitipho nunc est?* Bent. omittit *est;* sed, ut opinatur Perletus, contra morem Poetæ, qui nusquam *ubi* ponit, sine verbo finito. Omittunt pariter Bip. Bothius. — CHR. *Ubi Clitipho nunc est?* Supple, « qui argentum ad Bacchidem deferat. » Hinc apparet quam opportune Poeta, non modo præsentem, sed et præparatum Cliti-

CHR. Quid rei esset, dixti huic? SYR. Dixi pleraque omnia.
CHR. Cape hoc argentum, ac defer. SYR. I: quid stas, lapis? Quin accipis? CLIT. Cedo sane. SYR. Sequere hac me ocius.
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
CHR. Minas quidem jam decem habet a me filia,

phonem huc sistat. *Bœcler.* — *Inque.* « Dic. » Clitiphoni insusurrat. Calph. monet raro præter *inquam* et *inquit* reperiri. — *Eccum hic tibi.* « Ecce eum tibi, quem quæris. » Comice circumloquitur, quod brevius modo; *eccum me*, id est, *adsum*. *Bœcl.*

830. *Dixti huic.* Mark. addit *Syre.* — *Quid rei esset*, etc. Chremes Syrum compellat. — *Pleraque omnia.* « Fere omnia. » Nisi, ut volunt Grammatici, aut *pleraque*, aut *omnia* abundet.

831. SYR. *I.* Sic Fa. Perl. Both. Dant alii *hei.* Z. *Ii.* Br. et Par. *Ei.* — *Cape hoc argentum.* Similiter, Eunuch. vs. 504: *cape hoc flabellum.* — *Defer.* Ad Bacchidem. — *Quid stas?* Itid. Andr. vs. 980. — *Lapis.* Convicium est in hominem stolidum, ut infra, vs. 918; et Hecyr. vers. 219. — *I: quid stas lapis?* V. Franc. Fabric. Hæc verba Chremeti Guyetus tribuit, adempta Syro: cui tamen ideo deberi potius videntur, ut admiratione cunctantem adolescentem impellat memor præcepti sui. *Bœclerus.*

832. *Cedo sane.* Guelf. 3, *credo*, vitiose. — *Sequere hac me oc.* Ms. Lips. SYR. *Hac nunc oc.* Ed. Anon. et Ed. Prim. SYR. *Me hac nunc oc.* Ita et Bodl. Br. Bænd. *West.* — *Quin.* Cur non. — *Cedo sane.* Hæc Clitipho ad patrem. — *Sequere hac me ocius.* Syrus callide festinat: ut seni quidem industriam suam approbare videatur; re vera autem, ut Clitiphonem, non satis idoneum docte ferre fallaciam, amoveat. *Bœclerus.*

833. *Opperibere.* Par. pro var. *opperiere.* — *Tu*, Chreme. — *Hic nos, dum eximus*, etc. Eodem fere modo, Andr. vs. 978. — *Opperibere.* Antiquum est *opperibor*, pro *opperiar.*

834. *Nam nihil est, illic quod m.* Distinguunt alii, *nam nihil est, illic quod m. d.* Ita Bip. Delph. Nullam tamen distinctionem neque post *est*, neque post *illic* dant Br. Both. — *Nam nihil est, illic quod mor.* Explica *quod* per *cur.* Hæc addit Syrus, ne Chremes suspicetur causam quæsitam apud Bacchidem manendi. Sero tandem agnoscit Chremes sibi fucum esse factum, quando, vs. 883, miratur: « Sed interim quid illic jamdudum gnatus cessat cum Syro? » Qui tamen dixerat nihil esse, cur illuc morarentur diutius. *Bœcler.*

835. *Minas quidem jam*, etc. In Edit. Bip. hic incipit act. IV, sc. IV.

Quas pro alimentis esse nunc duco datas.
Hasce ornamentis consequentur alteræ.
Porro hæc talenta dotis adposcet duo.
Quam multa, injusta ac prava, fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus est
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

— *Jam dec. hab. a me fil.* Both. legit, *jam filia a me hab. dec.* — *Minas quidem jam decem*, etc. Computat quasi digitis senex; quot quantisque auctus sit damnis, inventa filia, ad alimenta, ornamenta, dotem. *Farnab.* — *Minas decem.* Erant, quod Bentl. opinatur, *decem minæ* statum pretium pro vestimentis. Sic Plaut. Curc. II, III, 64, 65: «Quia de eo emi virginem Triginta minis, vestem, aurum: et *pro iis decem accedent minæ.* Perlet.

836. *Alimentis.* Lib. Vatic. *hortamentis.* Itid. Bas. sed sine aspiratione. Eugraphius quoque *hortamentis;* et addit, *hortatores dici qui equos nutriant.* Sed, *alimentis* retinendum. *Bæclerus.* — Lectionem quam recepimus ex Perleto exhibent C. G. ch. et Mss. We. — *Duco.* Alii *dico.* — *Alimentis.* Nutrimentis ejus. — *Duco.* Æstimo.

837. *Ornamentis.* C. G. ch. *alimentis.* Ibid. in marg. p. var. *ornamentis.* — *Ornamentis.* «Ut suppeditentur ornamenta.» Dativus est, aut ablativus, suppressa præpositione *pro.* — *Ornamenta* sunt *vestimenta.* Hæc autem separatim curabantur ab *alimentis.* «Nam in venditione et emptione mancipiorum separatim olim agebatur: tantum dabis pro nudo corpore, tantum pro vestimentis, sive ornamentis.» — *Alteræ*, supple *decem minæ.*

838. *Adposcet.* Sic Bentleio probatur, et Perleto, sc. filia, vs. 835. Vulgo *adposcent.* — *Duo talenta dotis.* Unde ipsi dos constet.

839. *Injusta ac prava.* G. Fabr. *justa injusta.* Quæ lectio est Eugr. Haud inepte Dacieria existimat legendum esse, *quam multa injusta ac prava, justa f. moribus!* — *Quam multa*, etc. Sensus: quam multa sunt quæ, per se improbata nobis consuetudinem vitæ sequentibus, videantur probari. — *Fiunt moribus.* Recipiuntur more consuetudineque civili.

840. *Relictis rebus.* In aliis Mss. Mureto teste, *relictis omnibus.* — *Rebus*, fortunis.

841. *Mea.* Alii *meo.* — *Aliquis*, supple, qui ducat filiam uxorem ducendoque, duo talenta dotis accipiat, quod præcipuus est illi dolor. — *Bona mea inventa labore.* Opes meas quas labore comparavi. Similiter Chremes, infra, vs. 1042. — *Dem*, cum filia dotata. — *Mea cui dem*, etc. His intelligendum est Chremetem omnia sua bona dare se arbitrari, quod horum partem tantum donat.

SCENA OCTAVA.

MENEDEMUS. CHREMES.

MEN. Multo omnium me nunc fortunatissimum
Factum puto esse, gnate, quum te intelligo
Resipisse. CHR. Ut errat! MEN. Te ipsum quærebam, Chreme.
Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.
CHR. Cedo, quid vis faciam? MEN. Invenisti hodie filiam.
CHR. Quid tum? MEN. Hanc sibi uxorem dari vult Clinia.
CHR. Quæso, quid hominis es? MEN. Quid est? CHR. Jamne oblitus es,

842. *Me nunc.* Sic collocant Bent. libri, recte. Namque *nunc*, ex illius præcepto, in arsi esse debet. Lib. antiqui *nunc me.* Perl.—*Multo omnium me nunc*, etc. Hic est jucunda expositio erroris senis de verbis Syri, qui Menedemum credit decipi, dum ipse decipitur. *Calph.*— Hæc egrediens domo senex intro ad filium loquitur, ut statim intelligant spectatores, quæ agenda deinceps in scena sint. *Bœcler.*

843. *Quum te int.* Guelf. 2, *dum te*, etc. — *Gnate.* Apostrophe ad filium absentem.

844. *Resipisse.* Alii *resipiscere.* — *Resipisse.* « E vitiorum gurgite ad suam mentem et rectam vivendi rationem emersisse. » Et hoc dicit, quod animus filii quasi ab amore meretricis alienatus ad pristinum amorem virginis honestæ redierit. *Resipisse*, antique, pro *resipuisse*, sicuti *sapisset*, Plaut. Rud. IV, 1, 8, pro *sapuisset.* Perl. — *Ut errat!* Sc. quod putat, eum a Bacchide amorem contúlisse ad aliam; quum nuptias obtentui sumat, ad emungendum argento parentem. Hoc autem dicit ille, qui per totam fabulam solemnia errat. *Bœcler.* — Sic autem errat uterque; Chremes præcipue, qui Menedemum credit decipi, dum ipse decipitur.

845. *Et me, et familiam.* Vet. cod. ap. Lind. *me et familiam meam.* — *Quod in te est.* Quod quidem tu potes efficere. — *Serva filium.* Illius honori, moribus, famæ consule: Da illi Antiphilam. — *Serva me, et familiam.* Petens nuptias filio suo, posteritatem respicit totam. *Eugr.*

846. *Quid vis faciam?* Par. Valp. *Cedo; quid vis? Faciam.* Sed ea distinctio sensum mutat. *Perl.* — *Quid vis faciam?* Quid vis me facere?

847. *Hanc sibi uxorem.* Bent. Br. Delph. Both. *Hanc uxorem sibi.* — *Quid tum?* Quid inde sequitur?

848. *Quid hominis es?* MSS. Pall.

Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? MEN. Scio.
CHR. Ea res nunc agitur ipsa. MEN. Quid narras, Chreme?
Erravi.
Immo hæc quidem, quæ apud te est, Clitiphonis est
Amica. CHR. Ita aiunt, et tu credis? MEN. Omnia.
CHR. Et illam aiunt velle uxorem, ut, quum desponderim,

Quid hominis tu es. Alii omittunt *tu.* Hanc autem Par. putat formulam esse comicam. *Perl.* — Br. Bip. ex Bentl. *Quæso, quid hominis es? — Quid est?* CHR. *Jamne oblitus es.* Bothius legit, *Quid tu hominis, quæso, es? Quid id est? Jamne oblitus es? — Quid hominis es?* « Qualis homo es tu? » Scire nos convenit, ait Calphurnius, quum recto casu profertur interrogatio, non esse contumeliosum; ut si dicas: *Quis homo es?* Si autem in obliquo, contemptum significari, ut, *quid hoc est hominis? Quid mulieris? Quid ornatus?*

849. *Inter nos quid sit dictum*, etc. Supra, act. III, scen. 1. — *De fallacia*, supple, in te per servum faciendæ; scilicet ut ficto matrimonio (quod innuit dicendo, v. 850, *ea via*), argentum tibi eriperetur, quod debet venire in manus Bacchidis.

850. *Auferretur.* Mark. et Guelf. 1, *auferatur.* Guelf. 3, distinguit, MEN. *Scio ea.* CHREM. *Res nunc agitur ipsa.*

851. *Quid narras?* Sic Lib. Bemb. In C. G. m. et edd. recent. *Quid dixti.* — *Ea res.* Nempe ut quod argentum abs te extorqueatur, Bacchidi meretrici detur.

852. *Erravi.* Qui vulgo integer sequitur versus, *Erravi, sic res acta'st: quanta spe decidi!* in libr. Bemb. abest. Cujus Vatican. lib. nil nisi habent dictionem, *Erravi.* — Perletum sequimur, et sic verbum unum pro toto versu exhibemus. — *Erravi.* Scilicet, quod crediderim, Bacchidem Clitiphonis non esse amicam, sed filii mei.

853. *Apud te.* Bentleium ab Faerno recepisse *apud me* notat Perletus. Cf. sup. vs. 821, *ap. Cliniam;* inde prave legi vulgo, *apud te,* quod tamen idem ille recipit. — *Immo.* Insuper. — *Hæc quidem, quæ apud te est.* Ut facile docere possit senem, non vere ad nuptias peti filiam suam, sed uti nuptiarum gratia adolescenti dari possit argentum; commemorat nempe, *Hæc quæ ap. te est, Clitiph. est am.* Uti ex his quæ apud eam gesta sunt, sciat Menedemus esse fallaciam adversus se instructam. *Eugr.*

854. *Ita aiunt*, Clinia, Syrus, Dromo. — Adnotat tamen Calphurnius sic de re dici, quam volumus esse falsam. — *Omnia.* Sic item infra, vs. 885.

855. *Et illam.* Sic Bentl. recte pro *illum.* Cf. supra vs. 703. — *Et illam aiunt velle uxorem.* Et illi servi dicunt a filio tuo Clinia peti illam sibi uxorem. Cf. vss. 774, 777, 778.

Des, quî aurum ac vestem atque alia quæ opus sunt comparet.

MEN. Id est profecto; id amicæ dabitur. CHR. Scilicet Daturum. MEN. Ah, frustra igitur sum gavisus miser. Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere. Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme? 860 Ne sentiat, me sensisse, atque ægre ferat.

CHR. Ægre? Nimium illi, Menedeme, indulges. MEN. Sine.

856. *Ac vestem.* Br. *et vestem.*— *Quæ opus sunt.* Both. omittit *sunt.* — *Des, quî* etc. Tradas pecuniam qua coemat, etc.

857. Post *profecto* alii etiam interrogant, alii exclamant. — *Id est profecto.* Hic primo negat Menedemus, id quod asserit Chremes, scilicet per speciem desiderii nuptiarum fallaciam in se a Clinia intendi, ad extorquendum argentum, quod Bacchidi detur: non enim hanc ejus amicam esse, sed Clitiphonis. Contra asseverante Chremete, id esse compositum inter adolescentes, ut Bacchis amica Clitiphonis esse dicatur, atque ut Clinia uxorem velle se fingat, ut per speciem uxoris ornandæ, et nuptiarum apparandarum, argentum a patre accipiat, quod det Bacchidi; tandem Menedemus in opinionem Chremetis inducitur; actum demum dicit, *id est profecto;* et quæ sequuntur. *Faernus.* — *Id amicæ dabitur.* Vel confirmantis pronuntiatione accipi potest, vel quasi cum affirmatione interrogantis, ut juste conclusum sit. Nam interrogatio interdum ad negationem, interdum ad affirmationem dirigitur. *Eugr.* — *Scilicet.* Scire licet: certum est omnino Cliniam non alteri quam Bacchidi daturum hanc pecuniam. *Scilicet* cum infinitivo ita jungitur, ut jam notavimus, pro *scire licet, pronum est intelligere.*

858. *Daturum.* Bentl. legi vult, *Datum iri.* Supra, vs. 606. Sic quoque legit Bothius. Alii, *datum.* — *Daturum.* Cliniam. — *Ah! frustra igitur sum gavisus miser.* Si quidem filius non resipuerit, neque tu sis daturus filiam in uxorem, uti poscebat ipse, sperabam ego, tu visus promittere. *Farnab.*

859. *Quidvis tamen,* etc. Constans sibi est Menedemus in his, quæ supra dixerat, 466, 467, perseverando.

860. *Renuntiem* meo filio. — *responsum,* sub. *fuisse.*

861. *Ne sentiat, me sensisse.* Both. *Ne sentiat rescisse me.* — *Me sensisse,* me intellexisse, quod non vere nuptias petit. Adnotat hic Perletus: « Ego autem credo, Menedemum nunc meliora ac certiora de suo persuasum, Chremeti amico, ut antea consulenti, ficte tantum vel ironice obsequentem se præbere, usque dum ille, re ipsa patefacta, errorem suum dimittat, » et citat scen. seq.

862. *Ægre?* Vocem eamdem re-

Inceptum 'st. Perfice hoc mihi perpetuo, Chreme.
CHR. Dic convenisse, egisse te de nuptiis.
MEN. Dicam. Quid deinde? CHR. Me facturum esse omnia :
Generum placere; postremo etiam, si voles,
Desponsam quoque esse dicito. MEN. Hem, istuc voluera-
ram.
CHR. Tanto ocius te ut poscat, et tu id quod cupis,
Quam ocissime ut des. MEN. Cupio. CHR. Næ tu propediem,

petit Chremes subridendo, et patris nimiam facilitatem quasi deplorando. — *Indulges.* Nullum magis proprium verbum invenire potuisset de patre qui omnia filio permittit. *Calphurn.* — Vide supra vs. 151.

863. *Perpetuo.* Georg. Fabric. vere testatur, legi etiam *perpetuum:* quod prætulerit Westerhov. ut ἐμφατικώτερον. Ita et Both. — *Perfice hoc mihi perpetuo.* Elegantia et vis est in sententia. « Sicut semel cœpisti mihi operam dare, ita porro etiam des rogo; neque defatigeris continuandis officiis. » — Τὸ *perficere* possit παράφρασιν accipere ex illis, in Andr. 825 : « Ut beneficium verbis irritum dudum, nunc re comprobes. » Additur *perpetuo. Bæcler.*

864. *Convenisse.* Sensus est, vel, nos convenisse, vel, te convenisse me. — *De nuptiis* contrahendis.

865. *Omnia*, quæ petit.

867. *Desponsam.* Par. p. Var. *Desponsatam.*—*Desponsam,* subaud. Cliniæ a me Antiphilam. Aliter supra, 779. Petitionis uxorum nomina hæc sunt. Nam primum *inventa* dicitur, deinde *pacta*, tertio *desponsata*, quarto *uxor.* Ita, ut vicinum nomen jam petitionis ostenderet circa nuptias, dixit, *Postremo desponsam quoque esse dicito;* hoc enim vicinum ad uxorem. Nam supra *pacta* dicitur, ut est apud Virg. Æn. X, 722, « Et *pactæ* conjugis ostro. » Denique primo Menedemus, quum audisset Chremetem, *Dic convenisse, egisse te de nuptiis,* quoniam conventæ nomen dixerat, quod longe est positum, quæsivit, *quid deinde?* quasi hoc parum esset: et pervenit usque ad appellationem prope *uxoris.* Eugraph.—*Hem, istuc voluera-m.* Cupiebam te hæc dicere, ut ei renuntiarem, scil. filiam tuam ipsi esse desponsam.

868. *Tanto ocius.* C. G. m. sup. script. *fac.* Edit. prima, *tantocius.* — *Tanto ocius.* Quia si acceperit filius desponsatam Antiphilam, quam primum exposcet argentum ad ornamenta coemenda. *Calphurn.* — *Te*, a te.—*Ut poscat*, scilic. argentum; et sub. *dic illi.* — *Id quod cupis.* Supra 465, 466.

869. *Ut des.* Solus ibi Perlet. *tu des;* errore forsan typographico, quum nullam afferat rationem. *Næ tu.* Br. *ne tu.*—Guelf. 2, *Scio*, post *propediem.* — *Quam ocissime.* Signi-

Ut istam rem video, istius obsaturabere.
Sed hæc ita ut sunt, cautim et paulatim dabis,
Si sapies. MEN. Faciam. CHR. Abi intro; vide, quid postulet.
Ego domi ero, si quid me voles. MEN. Sane volo.
Nam te sciente faciam, quidquid egero.

ficanter dicit, *ocius* et *ocissime;* illud a parte filii, hoc a parte patris, adeo ut hic pæne prius dare videatur, quam ille proposuerit. Vid. supra 448. *Perlet.* — *Næ*, pro *valde.* — *Propediem*, cito, brevi; fere item ac si diceret, *cras*, aut non multis post diebus.

870. *Istam rem.* Both. *istanc rem.* Ita et Guelf. 3. — *Istius.* Additur in Mss. Pall. *adventui;* et in C. G. m. *adventu.* At præstat *istius*, scil. filii. Construitur autem *obsaturare* cum genitivo. *Perl.* — *Ut istam rem video.* Quomodo mihi quidem ista res se habere videatur. Id est, ut considero sumptum quem es facturus. — *Istius obsaturabere.* Istius filii te capiet satietas.

871. *Ita ut sunt.* Sic lib. antiq. In Vatic. *Ut ut.* — *Sed hæc ita ut sunt.* Qualiacumque sunt, quoquo modo se habent, et intellige: Quidquid sit de ista fraude et tua dandi libidine.— *Cautim*, cum omni cautela.

872. *Quid postulet.* Sic lib. Bentl. et Vatic. recte. *Clinia* enim subauditur. In lib. antiq. *postulent.* Itid. C. G. m. cum apice ita *postulet.* *Perlet.* — *Faciam*, ita ut dicis. — *Quid postulet*, sub. *Clinia.*

873. *Sane volo.* Bothius *Sane volam.* — *Si quid me voles*, subaud. *facere.*

874. *Sciente.* Lib. Bemb. *scientem.* Sic Bip. Delph. Zeun. Both. — *Te sciente*, te prius monito.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

MENEDEMUS. CHREMES.

MEN. Ego me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id scio;
Sed hic adjutor meus et monitor et præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat. In me quidvis harum rerum convenit,

875. Both. legit *Astutum ac perspicacem.—Esse, id scio.* Sic Nos, cum Bip. Bentl. Perl. Delph. Legit Z. *esse, certo scio.—Ego me non tam*, etc. Jucunda vice, exsoluto nunc suis erroribus Menedemo, epitasis in Chremetem fortius incumbit. Cujus quo serior est perturbatio, eo vehementior. Sed temperatur, ut ante, διασυρτικοῖς τισι πλάσμασι. Vide, quot res, quam apta consecutione, quo artificio, una eademque opera poeta in hanc scenam conduxit. Senex a lacrimis, et summa ægritudine animi, ad lætiora vix, nec aliter adductus, quam ut satagere rerum suarum perseveraret, nunc eo usque expedivit se ut jocari et ridere vacet. Ridetur et perturbatur ille alter, qui alienæ hactenus stultitiæ irrisorem se præbuerat, et miseriæ auxiliatorem. Miscentur jocis seria; ironiæ veritas; dictis officia. *Bœcler.* — *Tam astutum, ita perspicacem.* Supple, sicut opus est, sicut debebam esse.

876. *Adjutor.* Dicuntur *adjutores* qui consilio et opera nobis adsunt, ut notat Westerhov. Simul ad scenam alludi verisimile est, ubi adjutores ii sunt, qui solent histriones in agendis partibus seu voce, seu gestibus adjuvare. — *Monitor.* In scena est, qui monet histriones, ne memoria vacillent in agendis partibus. — *Demonstrator.* Magister, præceptor. Et ubique inest ironia.

877. *Quidvis harum rerum.* Cod. vet. Lind. *Quod harum rerum vis.*— *Hoc mihi præstat.* Me antecedit hoc, i. e. stupiditate, stultitia, τῷ *non* esse *astutum* seu *perspicacem*; quamvis sibi blandiatur quod me adjuvet, moneat, doceat. — *In me* con-

Quæ sunt dictæ in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus;
In illum nil potest : nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia.
CHR. Ohe, jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam, nisi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum 'st centies.
Sed interim quid illic jam dudum gnatus cessat cum Syro?
MEN. Quos ais homines cessare? CHR. Ehem, per tempus, Menedeme, advenis.

venit, etc. Cadunt in me omnia nomina quæ conveniunt hominibus tardis ac stupidis. *Juvenc.*

878. *Quæ sunt dictæ.* Sic Bentl. dedit ex duobus Codd. ob harum rerum, versus præcedentis. Vulgo *dicta.* — *Caudex.* Parisiens. p. var. *cautes.* — *Caudex, stipes*, etc. Convicia sunt in stultum et hebetioris ingenii hominem. Plaut. Bacch. act. V, sc. 1 : « Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones; hos solus ego omnes longe anteo stultitia. » *Farnabius.*

879. *Nam exsup.* Z. omittit *nam.* — *Stultitia.* Legit Both. ex Hel. et Vett. Edd. *Astutia.* — *In illum nil potest.* Nullum ex iis nominibus convenienter dari potest Chremeti. — *Hæc omnia*, nomina, convicia.

880. *Gratulando.* Mss. quidam *congratul.* — *Ohe, jam desine*, etc. Chremes domo egrediens, ad uxorem. — Severa satis sapientia; domo egrediens uxorem castigat is, qui mox experietur, se longe fuisse uxore insipientiorem, quæ filia recuperata gaudet, dum ipse de recuperando filio nullam cogitationem suscipit. *Bœcler.* — *Gratulando*, super inventa filia. — *Obtundere*, fatigare.

881. *Nisi illos.* Guelf. 3, Both. *eos.* — *Judicas*, æstimas.

882. *Dictum 'st.* Sic legimus post Bent. Invenitur apud Valp. et alios, *dictum sit.* — *Ut*, ita ut. — *Intelligere*, sub. *eos.*

883. *Sed interim.* Nunc loquitur secum. Et spectat ad discessum Syri, sup. 832, sqq. — *Illic*, in domo Menedemi. — *Cessat.* Moratur diutius. Proprie dicitur de desidioso.

884. *Quos ais homines.* Vulg. sequitur *Chreme*, vocativo casu. Abest a cod. Acad. Be. et a Perl. Bothius legit, *quos cessare homines ais Chreme? Hem, per t. M. advenis.* — *Per tempus.* Has voces quæ vulgo desiderantur, recepimus post Both. Perl. ex uno Reg. Be. — Alii interrogant post *advenis.* — *Quos ais homines cessare.* Ita Menedemus, qui nullum forsitan verbum, nisi *cessat* submisse dicentis intellexerat. *Perl.* — *Per tempus.* Opportune.

Dic mihi : Cliniæ, quæ dixi, nuntiastin'? MEN. Omnia.
CHR. Quid ait? MEN. Gaudere adeo cœpit, quasi qui cupiunt nuptias.
CHR. Ha, ha, he! MEN. Quid risisti? CHR. Servi venere in mentem Syri
Calliditates. MEN. Itane? CHR. Vultus quoque hominum fingit scelus.
MEN. Gnatus quod se adsimulat lætum, id dicis? CHR. Id. MEN. Idem istuc mihi
Venit in mentem. CHR. Veterator! MEN. Magis, si magis noris, putes,
Ita rem esse. CHR. Ain' tu? MEN. Quin tu ausculta. CHR. Mane dum, hoc prius scire expeto,

885. *Dic mihi: Cliniæ*, etc. Vid. supra, 864, sqq.

886. *Cœpit.* Varie legitur, *occecepit, occipit.* — *Cupiunt.* Guelf. 3, *concipiunt.* — *Quid ait* natus meus. — *Quasi.* Sicut faciunt qui, etc. Cf. Andr. 148, 149: *Ut qui Neget*, etc.

887. *Ha, ha, he!* In cachinnum erumpit Chremes, falsa ductus opinione, Menedemum decipi de filio, et hunc adsimulate petere uxorem. *Perl.* — *Servi venere in mentem*, etc. Vide quæ sint ea quibus servus animum Chremetis induxerit, et quæ is pro mendaciis habet, vs. 767.

888. *Vult. q. hom. fingit scelus.* Distinguit Br. *Fingit. Scelus.* — *Ita ne?* Sic lege, ut quasi eludat Chremetem qui passus est se a servo decipi. *Calph.* — *Vultus quoque hominum*, etc. Scelestus ille Syrus non se tantum, sed et alios instruit omnem induere personam, vultum fingere et componere ad omnem animi habitum. Et proinde, docuit Cliniam vultum suum fingere, quasi si nuptias vellet; quamvis insit ei mens longe alia. — Potest et universe intelligi: *scelus*, malitia, scelesta mens hominum vultus, contra quam sentiunt, componit: prior tamen sensus præstat ob vs. 899.

889. *Id.* Par. p. var. *idem.* Nisi anticipatum sit *idem*, quod sequitur. *Perl.* — *Quod*, quia. — *Se adsimulat lætum.* Cum emphasi efferendum est *adsimulat*, quia jam modo Menedemus dixit filium *gaudere*, vs. 886. — *Id.* Id est, *dico.* — *Id. ist. mihi Ven. in ment.* Imitatio faceta sermonis Chremetis, 887.

890. *Putes.* Br. *putas.* — *Veterator!* Quasi diceret, veteranus in astutia et fallaciis. — *Magis, si mag. n. p.* Magis qualis sit Syrus, intelligas, si magis quæ fecerit cognoscas. *Eugr.*

891. *Mane dum.* Post Perlet. et Both. annectimus ex Bentl. *dum*, ut versus melius procedat. Alii non admittunt. — *Ita rem esse.* Syrum esse veteratorem. — *Ain' tu?* Itane est ut dicis? — *Mane dum.* Expecta paululum.

Quid perdideris. Nam ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet,
Sponsæ vestem, aurum, ancillas, opus esse argentum ut dares.

MEN. Non. CHR. Quid non? MEN. Non, inquam. CHR. Neque ipse gnatus? MEN. Nihil prorsum, Chreme.

Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.

CHR. Mira narras. Quid Syrus meus? Ne is quidem quidquam? MEN. Nihil.

892. *Desponsam.* Vet. cod. ap. Lind. *desponsatam.* Guelf. 3, post *desponsam*, legit *credo.* — *Quid perdideris*, sc. argenti; vid. supra, 857. Cupiditas sciendi aliena damna, cum quadam libidine ignorandi propria, jucunde hic depingitur, in ipso articulo manifestandæ fraudis, in quam Chremetem solertia præpostera, et curiosus in alienis, socors suarum rerum animus præcipitabat. *Bœclerus.* — *Quid perdideris.* Quantum argenti tibi extorserit Syrus. — *Nam ubi desponsam*, etc. Ubi renuntiasti Antiphilam ei a me promissam.

893. *Continuo injecisse verba*, etc. «Mentionem fecisse.» Subaudi, *arbitror.* Non dubium est quin Dromo statim a te petierit argentum ac vestes. *Juv.* — *Dromonem scilicet.* Voluit Chremes celare auctorem, et transferre in Dromonem, deinde in Cliniam, denique in Syrum unde habuit ista; vs. 740, sqq. *Farnab.*

894. *Sponsæ.* Vocem hanc pronuntiandam esse Bent. monet, quasi *sponsaï.* — *Vestem.* Both. *vestes.* — *Aurum, ancillas.* Alii legunt *aurum, atque ancillas.* — *Aurum*, etc. Λουτρὸν, θεράπαινα, καὶ ἀργυρώματα. Menander apud Athenæum.

895. *Quid non?* Bent. ed. *qui non?* Duplicem facit interrogationem *quid? non?* Westerhovius, monente Bœclero, ob majorem emphasin. Bothius legit: *Non.* CHR. *Quid?* MEN. *Non, inquam.* — *Prorsum.* Alii *prorsus.* — MEN. *Non.* Supple: Nihil mihi quidquam horum dixit.

896. *Magis unum.* Ms. Pal. 3, *magis hoc unum.* Both. *magis nunc etiam.* — *Magis unum etiam instare*, etc. Sed potius, urgebat solummodo ut in hac die ipsa nuptiæ conficerentur.

897. *Ne is quidem quidquam.* Sub. *petiit.* — *Nihil.* Adnotat ingeniose Bothius: «Hic statuo clanculum egressum Menedemi domo Syrum audire senes inter se colloquentes, recitatoque versu 952, *adeo depexum*, etc., curriculo redire nuntiatum id, quod comperit Clitiphoni, apud Bacchidem adhuc remoranti. Nam, quî alias hic rem resciverit? Et exspectat quidem filii Syrique reditum Chremes.

CHR. Quamobrem, nescio. MEN. Equidem miror, qui alia tam plane scias.
Sed ille tuum quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem subolat, esse amicam hanc Cliniæ.
CHR. Quid ais! MEN. Mitto jam osculari atque amplexari; id nil puto.
CHR. Quid est, quod amplius simuletur? MEN. Vah! CHR. Quid est? MEN. Audi modo:
Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro.

Clitiphonem autem minime festinare, consentaneum.» Illud non plane verum; nam Syrus non audire debuit quæ dicuntur a vs. 941 ad 950.

898. *Quamobrem, nescio*, etc. Bent. vocem *nescio* Chremeti adsignavit, ut omnem sententiæ venerem restitueret. Ita quoque Perl. Both. Legit Bip. *Q. nescio.* MEN. *Equid. te miror, q. a. t. p. s.* et notat, «illud *sed* hoc loco male ingestum, quum sq. versus adversetur.» Zeun. habet, *quamobrem?* MEN. *Nescio; equid. miror, qui a. t. p. s.* — *Quamobrem*, supple: *nihil petiit?* — *Equidem miror*, etc. Miror interim te, qui Lynceus alter tam acutum cernis aliena arcana, ut scias quam filii mei vultum finxerit Syrus, in rebus propriis in tantum esse talpam, ut non videas eumdem Syrum tuum quoque filium tam mire finxisse, ut tibi glaucomam ob oculos obiiceret, ne discernas Bacchidem hanc simulari amicam Cliniæ, esse revera Clitiphonis. *Farnab.*

899. *Sed ille.* Hæc omittunt Erasm. et Al. — *Tuum.* Alii *tuus.* — *Finxit.* Cf. *fingit*, vs. 888. Par pari enim Menedemus Chremeti refert.

900. *Subolat.* Sic veterr. Codd. Bent. Unus *subolet;* cæteri omnes *suboleat.* — *Ut ne paul.*, etc. Junge cum *mire*, et explica: «finxit mire, adeo ut, etc.» — *Subolat.* Verbum illud etiam tertia conjugatione Veteres dixere, ut *olat, olant.* Fab. Thes. — Tractum a sensu odorandi. Et *sub*, ibi minuit; id est, ut nec etiam pauxillum appareat, sentiatur, id scilicet quod sequitur.

901. *Mitto.* Vulg. *omitto.* Guelf. 3, *mittam.* — *Quid ais!* Metuentis est magis quam interrogantis. — *Mitto*, etc. Omitto osculationes atque amplexus Clitiphonis et Bacchidis. — *Id nil puto.* Sc. in comparatione illorum quæ sequuntur.

902. Guyetus legit, MEN. *Vah! Quid est? Audi modo?* Improbante Westerhov. — *Quid est quòd amp. simul.* Perseverat credere simulari, non verum illud esse. — *Vah.* Vox illa risu Menedemi attollitur, qui significat multo plura esse ignota Chremeti.

903. Guyet. ob versum, *conclavis*, et mox *quædam.* — *In ultimis conclave ædibus.* Both. et Alii var. colloc. *Ultimis est mihi concl. in ædib.*

Huc est intro latus lectus; vestimentis stratus est.
CHR. Quid postquam hoc est factum? MEN. Dictum factum huc abiit Clitipho.
CHR. Solus? MEN. Solus. CHR. Timeo. MEN. Bacchis consecuta 'st ilico.
CHR. Sola? MEN. Sola. CHR. Perii! MEN. Ubi abiere intro, operuere ostium. CHR. Hem,
Clinia hæc fieri videbat? MEN. Quidni? Mecum una simul.
CHR. Filii est amica Bacchis, Menedeme. Occidi!
MEN. Quamobrem? CHR. Decem dierum vix mî est familia.
MEN. Quid? istuc times, quod ille operam amico dat suo?

—*In ultimis ædibus.* In ultima parte ædium. — *Conclave quoddam.* Est *conclave* separatior locus in interioribus tectis. — *Retro.* Id additur, ut notetur plane ultima pars ædium, unde et divisim pronuntiandum.

904. *Huc est intro latus lectus.* Exemptiles olim lectos et portatiles habere moris erat, quos hinc inde deportabant. Hom. Odyss. XXIII, Ἀλλ' ἄγε οἱ στόρεσον πυκινὸν λέχος ἐκτὸς. *Farnab.* — *Vestimentis str. est.* Vestimentorum sunt omnia lanea lineaque, quæ induendi, insternendi, incubandive causa parantur. *Ulpian. in Pandect.*

905. *Quid postquam*, etc. Guelf. 3, *Quid posthac.* — *Dictum factum.* Guelf. 2, et 3, *Dictum ac factum.* Ita et Calph. Br. Ed. An. et Ed. prim. — *Postquam hoc est factum.* Id est, postquam lectus fuit latus et stratus. — *Dictum factum.* Id est, æque cito factum est hoc, ac dictum.

906. *Timeo.* Ita solent in media narratione, ubi quid mali ominantur. *Calph.*

907. *Operuere ostium.* Clausere.

908. *Mecum una.* Mss. et Edd. quidam *una mecum.* — *Mecum una simul.* Expressius per duo. Itid. Plaut. Mostell. IV, 3, 43 : « *I mecum una simul.* » *Perl.*

909. *Filii.* Legitur pariter *filî.* — *Filii est amica Bacchis, Mened. occ.* Tandem ergo Chremes, veluti somno excussus, se et filium et suam fortunam sapientiamque agnoscit. Ἐμπαθῶς hæc pronuntianda sunt.

910. *Quamobrem* dicis te occidisse? — *Decem dierum vix mî est famil.* « Res mea familiaris intra decem dies tota exhaurietur. » Ut in re militari dicitur, « trium dierum commeatus. » *Farnab.* — Post hæc supplere oportet, « postquam Bacchis venerit cum comitatu suo. »

911. *Quid? istuc times*, etc. Both. *qui istuc tim. quod oper. a. d. suo?* Etiam Br. non interrogat post *quid.* — *Quid? Istuc times*, etc. Inscitia se rem probatam habere, Menedemus illudit, faceta satis urbanitate. *Eugr.* — *Quod ille op. amic. dat.* Facete senex, ne dicam acerbe, alludit ad

CHR. Immo quod amicæ. MEN. Si dat. CHR. An dubium id tibi est?
Quemquamne animo tam communi esse et leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam...?
MEN. Quidni? Quo verba facilius dentur mihi.
CHR. Derides? Merito mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi si essem lapis? Quæ vidi! Væ misero mihi!
At næ illud haud inultum, si vivo, ferent.

illud, 526, sqq., ubi Chremes crederet, Bacchidem a filio non sua, sed Cliniæ causa, apud se esse exceptam. *Perlet.*

912. *Immo quod amicæ.* Abest *quod* Guelf. 2, et aliis. — *Si dat.* Post hæc Br. interrogat. — *Immo quod amicæ.* Sc. operam dat. In hoc jocus versabatur ex ambiguo. Et Westerhov. putat, *amicæ operam dare*, obsceniore sensu esse dictum; quod pateat ex Plaut. Trin. III, II, 25. Et supra, 110. *Perl.*—*Si dat.* Suspendendum; et est ellipsis, quasi dicat, *nescio.* Calph. — *An dubium id*, etc. Jam credit Chremes se esse deceptum. *Calph.*

913. *Quemquamne.* Westerh. in addend. *quemque.* — *Communi.* Alii *comi.* Ita et Bothius. — *Et leni.* Varie legitur, *aut leni.* — *Animo tam communi.* Sic Græci κοινός. *Communis* et *comis* promiscue usitantur, ut notat Westerhov. — *Leni.* Cf. supra, vs. 151.

914. *Qui.* Guelf. 2, *quod.* — *Amicam pat. suam.* Sub. *subagitari.* Et est honesta ὀλισθις in re turpi. *Calph.* Similem reticentiam habes in Nostr. MOLIÈRE, *Tartuffe*, Act. V, Sc. III:

«Je devais donc, ma mère, attendre qu'à mes yeux
«Il eut... vous me feriez dire quelque sottise.»

915. Ante *quid*, reperitur in Mark. in cod. Lips. et in aliis *ha! ha! he!* In Br. *ah!* Sed, ut notat Bet l. hæc non sunt in Bemb. et certe risus non videtur habere hic locum.—Both. interrogat post *mihi.* —*Quidni? Quo*, etc. «Quare id non fiat ab his, ut facilius decipiar?» Et vult innuere factum esse.

916. *Derides? Merito mihi*, etc. Bent. vult distingui, *Derides? Merito: ut mihi nunc e. s.* Both. *Derides merito. Mihi*, etc.—*Derides.* Me ludis.

917. *Quot.* Guelf. 2, *quod.* — Ed. prima, *præsentiscere.* — *Quot res dedere.* Sc. *se.* Aut ita: «Quot res Clitipho et Syrus fecere?» Prius tamen placet magis, ex Liv. XXVIII, 5: «Prout tempus ac *res se daret.*» Ad hoc latine esse censeo tenendum, quod ille, vs. 915, dixerat *verba* sibi *dari;* cui hic facete respondet, non *verba* solum, sed *res* se sibi dedisse. *Perl.*—*Persentiscere.* Suspicari.

918. *Nisi si essem lapis.* Plerique editores non habent *si.* Et alii legunt *ni essem lapis.* Both. *Nisi lapis eram. Quæ*, etc. — *Lapis*, stupidior lapide. Ut dicitur per comparationem hyperbolicam.

919. *Illud.* Guelf. 3, *id.* — *Næ*, certe.

Nam jam.....Men. Non tu te cohibes? Non te respicis?
Non tibi ego exempli satis sum? Chr. Præ iracundia,
Menedeme, non sum apud me. Men. Tene istuc loqui?
Nonne id flagitium 'st, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?
Chr. Quid faciam? Men. Id quod tu me fecisse aibas parum:
Fac te esse patrem ut sentiat; fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere,

920. *Nam jam*...Vet. interpr. addit *ulciscar*. Sed non necesse erat, addere aliquid, explicandi causa. Est enim aposiopesis, propter iram Chremetis verba suffocantem. *Perl.* — *Nam jam*... Ἀποσιώπησις. H. e. Bacchidem exturbabo, filium male mulctabo.—*Non te respicis*. Tu non habes rationem prudentiæ tuæ. Cf. supra, 70.

921. *Exempli satis*, i. e. exemplum sufficiens; ne scilicet irascendo nimium amoribus filii, aliquid facias, unde tibi cruciatum ipse parias, sicut mihi accidit. *Bœcler.*

922. *Non sum apud me*. Non sum mentis meæ compos. — *Tene istuc loqui?* Decetne te istud loqui, qui nuper tanta cum gravitate me ipsum admonebas, ut mei ipsius essem magis compos.

923. *Nonne id flagitium 'st*. Fr. Pith. *Nonne istud f.* Lind. — Abest *id*, Guelf. 1.

924. *Te auxiliarier*. Recipimus *te* cum Bent. Both. Perl. Delphin. Omittunt alii. — *Foris*. In alienis negotiis. Uti græce ἔξωθεν. Sensus: « Aliis sapere, non sibi. » Huc refer Ennii octonar. versus inter Syri sententias: « Qui ipsus sibi sapiens, prodesse non quit, ne quidquam sapit. » Ac Menand. ita: Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Ut addam Servium qui, ad Ciceron. utitur eadem fere sententia, Ep. ad Div. IV, 5: «Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum qui aliis consueveris præcipere et dare consilium.» *Perlet.* —Chremeti regerit Menedemus sua ipsius verba, et consilium in ipsum retorquet, non sine tacita curiositatis exprobratione. Cf. act. I, sc. 1. *Farnab.*

925. *Quid faciam?* Proponunt alii, *Quid vis faciam?* — *Id quod tu me*, etc. Valp. et plures non admittunt *tu*. — *Aibas*. Legitur etiam per trisyllabon, *aiebas*. — *Fecisse parum*. h. e. non fecisse. Spectat forsitan ad superiora, 151, seqq.

926. *Esse patrem*. Disponunt alii *patrem esse*.—*Ut sentiat*. Vulgo omittitur *ut*. Habet C. G. ch. et unus cod. Bentl.—*Fac te esse patr*. Reddit Chremeti suas admonitiones, 156, seqq. —*Sentiat*, ex tua in se indulgentia.

927. *Omnia* secreta. — *Petere* modeste.—*Poscere*, postulare, quasi debeatur.

Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
CHR. Immo abeat multo malo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam si illius pergo suppeditare sumptibus,
Menedeme, mihi illic vere ad rastros res redit.
MEN. Quot incommoditates in hac re accipies, nisi caves!
Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen
Post, et id ingratum. CHR. Ah! nescis quam doleam.
MEN. Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? Nisi quid est,
Quod mavis. CHR. Immo et gener et adfines placent.

928. *Copiam*, modum inveniendæ pecuniæ.

929. *Multo*. Alii *potius*, pro *multo*. Alii utrumque, *multo potius*. — *Immo*, quin potius, nedum tuum sequar consilium. — *Multo malo*. Longe magis antepono.—*Quovis gentium*. In quamvis terrarum partem.

930. *His*, apud me. — *Per flagitium*, per flagitiosam libidinem.

931. *Nam si illius*. Sic duo cod. Bentl. In antiquis *illi*, quod explic. *illic*. — *Pergo*. Lib. Bemb. *pergam*. — *Sumptibus*, impensis.

932. *Illic*. Vulg. *illæc*. — *Vere*. Sic C. G. m. cum Hal. Alii, *vero*. — *Illic*, In tali rerum statu.—*Vere ad rastros res redit*. Alludit ad rastros Menedemi, act. I, scen. 1; et emphatice: Mihi illæc vere præ inopia ad rastros res redit, non ut tibi modo obstinato dolore. *Farn*.

933. *Incommoditates*. In Par. Ms. *incommoda*. Bentl. *Quod incommodi*. — *Accipies*. Calph. leg. *capies*. — *In hac re*. In exsequendo tali consilio.

934. *Ostendes*. Alii *ostendis*. Both. legit *D. ostendes te et ignosces post tamen*. — *Difficilem*, asperum, morosum. — *Tamen;* quæ tua erit paterna indulgentia, invitus ignosces.

935. *Post*. Alii collocant, *et tamen post ignosces*. — *Id*. Addit Ms. Par. *tibi erit*. Glossam sapit. *Perl*. — *Quam doleam*. Alii *quid doleam*. — *Post*, postea. — *Et id, ingratum*. Sc. tum erit. Id est, nullam tibi apud filium gratiam conciliabit, quum videbit te non volentem, sed invitum, et paterni animi mollitie devictum ignoscere. — *Ut lubet*. Doleas ergo, quantum libuerit tibi. Hæc quoque respondent superioribus, 166, sq. CHR. *Siccine est sententia*. MEN. *Sic*. CHR. *Bene vale*. Bœclerus.

936. *Quid hoc*. Goveanus, Guyet. et post eos Both. omittunt *hoc*. — *Quod volo*. Alii *quod rogo*. — *Ut illa nubat*. Ordinat Both. *illa ut nubat*. — *Quid hoc*. Supple, quale tibi videtur. — *Nostro*, meo filio. — *Nisi quid est*. Dic mihi an illud tibi placeat, nisi quid aliud sit consilium quod præoptes.

937. *Quod mavis*. Br. vet. cod. Liud. Guelf. 1, 2, 3; Both. Delph.

MEN. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? CHR. Dotis? MEN. Ita dico. CHR. Ah!
MEN. Chreme,
Ne quid vereare, si minus : nihil nos dos movet.
CHR. Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis.
Sed ita dictu est opus, si me vis salvum esse, et rem et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. MEN. Quam rem agis?
CHR. Id mirari te simulato, et illum hoc rogitato simul,

Quod malis. — *Immo*, e contrario.

938. Ordinem dicit Westerhov. *esse, q. d. d. filio, te dixisse.* Bent. et Both. legunt *filiæ :* quod se mirari dicit Perl. Nam genero dos dabatur, non filiæ. — *Filio*, refer ad *dicam.* Id est, nuntiabo filio.

939. Both. hunc et sequentem versum sic legit, *quid obtinuisti?* CHR. *Dotis?* MEN. *Ita.* CHR. *Ah!* M. *Ne quid Chreme, vereare, si quid minus est: nil nos dos movet.* — *Quid obticuisti?* Sic dixit, quasi puderet dicere, quod parva dos videretur. Supra, 838. Similis est in Andr. 952. *Perl.* — Melius est fortasse intelligi hæc, sicut proponit Bœclerus, qui notat: « Deliberationem significat hæc cunctatio non tam de dote quam de ratione emendandi et ad frugem revocandi filii. Hic enim consilium illud ad οἰκονομίαν unice factum, veluti ex re præsenti arripitur : ut dum turbæ in Clitiphonem augeri videntur, ad catastrophen paretur via. Differt enim hæc ira Chremetis patris ab aliorum patrum indignatione, ubi plus affectus quam ratio dominatur. Hic in rationem se composuit affectus; nec impeditur, sed tegitur iracundia consilium. Quod ut conspectius esset, adjecit poeta et comparavit senis in servum indignationem : quæ ultionem et minas spirat. Filius *dictis confutabitur* ad emendationem : servus, verberibus male mulctabitur, ob vindictam facinorum. *Bœcler.*

940. *Si.* Par. Ms. addit *est*, quod glossema esse nobis videtur. Bip. *minu'*. Alii *nihil dos nos movet.* — *Ne quid vereare.* Pulchre occurrit verecundo. — *Si minus*, sub. *dixeris ;* et *minus* intellige, *minorem dotem quam par est.*

941. *Duo talenta.* Supra, 838. — *Pro re nostra.* Ratione habita nostrorum bonorum.

942. *Sed it. dict. est opus.* Sic numerosior Bentl. collocatio. Vulg. *est* post *opus.* — Mss. quidam : *et filium et rem.* — *Ita dictu est opus.* Oportet dicas quod sequitur, sc. me mea omnia Antiphilæ daturum in dotem promisisse, damno filii. — *Agis*, Moliris, meditaris.

943. *Me mea*, etc. Abest *me* Guelf. 3. Idem cum Bodl. et Br. *dotis*, pro *doti.* Both. legit, *Omnia mea doti dixisse illi me bona.*

944. Mss. quidam : *Id emirari te simula. Simulato*, finge apud Cliti-

Quamobrem id faciam. MEN. Quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.
CHR. Egone? Ut ejus animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam, redigam, ut, quo se vertat, nesciat.
MEN. Quid agis! CHR. Mitte, ac sine me in hac re gerere mihi morem. MEN. Sino.
Itane vis? CHR. Ita. MEN. Fiat. CHR. Ac jam, uxorem ut arcessat, paret.
Hic ita, ut liberos est æquum, dictis confutabitur.
Sed Syrum... MEN. Quid eum? CHR. Ego, si vivo, eum adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei;

phonem. — *Hoc rogitato.* Bodl. non agnoscit τὸ *hoc.*

945. *Quin.* Quin immo. — *Ego vero.* Ego ipse, dum interrogabo filium tuum, vere nesciam quid tibi sit consilii.

946. *Ejus animum.* Varie legitur, *illi anim. illius anim.* — *Egone?* Potest ne fieri ut nescias quamobrem ego id faciam.

947. *Diffluit.* Mss. plusculi *Defluit.* — *Redigam.* Alii præponunt *et;* quod omittimus post Bent. Perl. Z. Delph. — *Quo se vertat.* Ad quam excusationem confugiat, inops omnino consilii.

948. *Quid agis!* C. G. m. *Quid ais?* — *Ac sine.* Alii non habent *ac.* Sic in lib. Bemb. — *Quid agis!* Potesne velle id agere? — *Mitte* me ab incœpto avertere. — *Gerere mihi morem.* Arbitrio meo agere.

949. *Ac jam.* Alii *age jam.* — *Itane vis* talem te erga filium præbere. — *Uxorem ut arcessat.* « Ut jam Clinia arcessat Antiphilam. » Deductio uxoris vesperi adeo et noctu fiebat. — *Paret*, sub. nuptias.

950. *Hic*, Clitipho. — *Dictis confutabitur.* Objurgabitur. Infra nempe filius dicitur, *gerro*, *iners*, *fraus*, 1034.

951. Reponit Bentl. *Ego, si vivo, eum adeo exornatum dabo.* Ita et Nos post Perletum. Both. legit, *Ego, si vivo, nos adeo ex. d.* — Alii *Egone?* per interrogationem. — *Sed Syrum...* Minaciter dicuntur, ea quæ interrumpit Menedemus. — Quum utique majora tormenta servo minatus sit irascentis more, quod esset facturus exprimere non potuit. *Eugr.* — *Quid eum?* Id est, quid de illo dicendum habes. Similiter Phorm. 736. — *Exornatum dabo.* Ironice, pro *mulctatum efficiam verberibus et plagis.*

952. *Ut dum vivat.* Tres ex Bentl. Codd. *Usque dum vivat.* — *Adeo depexum.* Id est, flagris scissum et laceratum. Sic item gallice diceretur, sermone satis plebeio, *je le peignerai si bien, que...*

Qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me Dî ament, auderet facere hæc viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

SCENA SECUNDA.

CLITIPHO. MENEDEMUS. CHREMES. SYRUS.

Clit. Itane tandem, quæso, est, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? Quid ego tantum sceleris admisi miser?
Vulgo faciunt. Men. Scio tibi esse hoc gravius multo ac durius,

953. *Deridiculo.* Alii *ridiculo.* — *Deridiculo*, pro *ludibrio.* Tò *de* vim addere, jam notavimus supra, 826; ubi *deamo*, pro *valde amo.* — His dictis, abit Menedemus.

954. *Facere hæc.* Disponitur quoque, *hæc facere.* Both. legit, *Auderes uni hæc vetulæ m.* — *Viduæ mulieri*, et ideo, in quam injuria plerumque impunita. Quint. Declam. 338: « Imbecilla res est femina, et affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est. »

955. *Quæ in me fecit.* Both. *mihi quæ fecit.* — Un. Ms. ap. We. addit, *tantas illusiones.*

956. *Itane tand. quæs. est, Men.* Omittunt quidam *est.* A Guelf. 2, abest *quæso.* — Menedemus, uti rogatus a Chremete fuerat, domum suam excurrit, ubi paucis verbis Clitiphoni renuntiat ipsum a patre exheredatum. Omnia bona doti data esse Antiphilæ. Quod quum ægre ferret Clitipho, exit cum Menedemo, patrem allocuturus. Interim exspectat Chremes dum redeat Menedemus. Si quid autem hic nimis vacuum in scenis contexendis videretur, facile purgabitur Terentius, quum paucissima admodum, ut notavimus, Chremes verba dixerit et interim Chremes optime potuit scenam solus occupare, dum gestu tacito exprimit quid sentiat; quod decet omnino virum vehementer commotum. — *Itane est ut.* Potuit ne fieri ut, etc.

957. *De me.* Illa notat Westerh. non legi in omnibus Mss. — *Ejec. anim. patr.* Disponit Both. *Pat. anim. ejecerit.* — *Animum patris*, paternam benevolentiam.

959. *Vulgo faciunt.* Lib. antiq. *Vulgo id faciunt.* — *Vulgo faciunt.* Æquales mei facere solent quod

Cui fit; verum ego haud minus ægre patior, id qui nescio,
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
CLIT. Hic patrem adstare aibas? MEN. Eccum. CHR. Quid me incusas, Clitipho?
Quidquid ego hujus feci, tibi prospexi et stultitiæ tuæ.
Ubi te vidi animo esse omisso, et suavia in præsentia
Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.

ego feci. Nihil feci quod alii non factitent.

960. *Id qui.* Bentl. ex uno cod. *idque.* Ruhnken. non admittit *ægre.* —*Tibi cui fit.* Quoniam scilicet id te propius tangit. — *Id qui nescio,* ego qui rem totam plane ignoro, et quid te inter et patrem agatur.

961. *Nec rationem capio,* etc. Et qui nullam aliam in tuis commodis partem suscipio, nisi quod ex animo sim erga te propensus ad benevolentiam. — Longe aliter explicant multi editores; volunt quippe *qui* per *cur* explicari, et interpretantur, *nescio qui* (cur) *id* (sc. mœror meus) fiat, et nullam aliam mihimet affero causam mei doloris, nisi quod, etc.

962. *Adstare.* In Bem. *esse.* — Hoc Syro tribuit Both. — *Quid me.* Incipit hic in Bip. nova scena.

963. *Quidquid ego hujus f.* Ed. prim. *Quidquid hujus rei f.*—*Quidquid ego,* etc. Dictis jam confutat filium, ut ante constituerat. In qua objurgatione, poeta exemplum dedit notabile quanto sit major vis in rationibus, quam in vehementia et tumultu castigantis. Dissolutos filii mores, turpitudine præteritorum, noxa futuri, graphice describit pater; ut inferatur potentius necessitas coercitionis, et descendat in animum gravius. Inter Demeæ asperitatem et Micionis indulgentiam meditatum temperamenti genus. Sententiose autem τὴν ἀσωτίαν *stultitiæ* nomine poeta describit. Itaque, apud Aristophanem, Plutus conqueritur «se, ut primum in hominem stultum inciderit, in meretrices et aleam projici, minimoque temporis nudum domo expelli.» *Bœcler.* — *Hujus feci,* in hac re feci.— *Prospexi,* consului.

964. In Ms. Lips. est: *omisso, et suavi.* — *Omisso.* Negligenti et remisso. Adelph. 835: *omissiores paulo.* — *In præsentia.* In præsenti tempore.

965. *Prima habere.* Suspicere et sectari ut præcipua. — *In longitudinem.* Longe in futurum.

966. *Neque egeres.* Ed. prim. et Mss. quid. *nec tu eg.* Censet Bentl. fortasse legendum: *ut neque egeres, neque ut hæc possis perdere.* — *Cepi rationem.* Inveni modum. — *Hæc,*

Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proxumos tibi qui erant, eis commisi et credidi.
Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho :
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. CLIT. Hei mihi!
CHR. Satius, quam te ipso herede hæc possidere Bacchidem.
SYR. Disperii! Scelestus quantas turbas concivi insciens!
CLIT. Emori cupio. CHR. Prius quæso disce, quid sit vivere.
Ubi scies; si displicebit vita, tum istoc utitor.
SYR. Here, licetne? CHR. Loquere. SYR. At tuto. CHR. Loquere. SYR. Quæ istæc pravitas,
Quæve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic? CHR. Ilicet.

mea bona *perdere*, in vanum dissipare.

967. *Ubi, cui dec. primo, tibi non lic.* Postquam tibi, cui debui ante omnes heredi, non potui propter tuos mores mea bona donare. — *Per te*, propter tua flagitia.

968. *Abii.* Converti me, hereditatem contuli. — *Ad proxumos tibi*, etc., qui, secundum te, mihi erant consanguinitate proximi. Nempe soror tua. — *Commisi et credidi.* Fidei commendavi.

969. *Semper erit præsidium.* Both. *semp. præs. erit.* — *Ibi*, apud eam, sc. apud sororem. — *Tuæ stultitiæ.* Tibi stultitiæ ad inopiam redacto. — *Præsidium*, perfugium et auxilium. Sic alibi, 646 : *Meæ stultitiæ justitia tua sit aliquid præsidii.*

970. *Receptes.* Guelf. 1, 3, *receptas.* — *Victus, vestitus*, sub. *erit.* — *Quo*, etc. Supple, *erit aliquid loci quo velut in tectum te recipias.*

971. *Satius.* Alii *satius est.* Guelf. 1, *satius hoc est.* Guelf. 2, *Sat hoc est.* — *Hæc possid.* Pro *hæc* Mark. *hoc.* — *Satius*, melius est ita consuluisse de bonis meis. — *Te ipso herede.* Si tibi, ut heredi, hæc relicta fuerint.

972. *Turbas*, tumultus, dissensiones. — *Concivi.* Excitavi, herilem filium in tales angustias injiciendo.

974. *Istoc utitor.* Adimple hunc sermonem, hoc moriendi votum.

975. *At tuto.* Quidam *ac tuto.* — *Istæc.* Lindenbr. *istast.* C.G. m. *est ista.* — *Here, licetne?* Alloquitur Syrus Chremetem. — *Licetne;* suppl. mihi te affari. — *At tuto.* At, licetne sine periculo? — *Istæc*, ista tua.

976. *Quæve.* Guelf. 2, *quæ*, sine *ve.* — *Ilicet.* B. separatim, *I licet.* — *Quod peccavi ego.* Mea peccata. — *Ilicet*, pro *ire licet*; id est abi, «abi, per me licet. Desine loqui plura.»

Ne te admisce. Nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis! Syr. Quid agis? Chr. Nil succenseo,
Nec tibi, nec tibi; nec vos est æquum, quod facio, mihi.

SCENA TERTIA.

SYRUS. CLITIPHO.

Syr. Abiit? Ah, rogassé vellem. Clit. Quid? Syr. Unde mi peterem cibum.
Ita nos abalienavit. Tibi jam esse ad sororem intelligo.
Clit. Adeon' rem rediisse, ut periclum etiam a fame mihi sit, Syre.
Syr. Modo liceat vivere, est spes. Clit. Quæ? Syr. Nos esurituros satis.
Clit. Irrides in re tanta? Neque me quidquam consilio adjuvas?

977. *Nec tu aram, nec precator. par.* Servi duo habebant perfugia, *aram* in templis, et *deprecatores* apud dominos.

978. *Pararis.* Alii *paraveris.* — *Quid agis?* Curìta te geris erga me?

979. *Nec tibi, nec tibi.* Libb. Bent. *nec tibi, nec huic.* Sed Erasm. Ped. et Fa. *Nec tibi, nec tibi.* Hic autem Bent. notat: «Videtur tamen verum: nempe vultu et nutu hæc aguntur; primo Syrum, dein filium intuetur.» *Perl.* — *Nec tibi*, Syre. — *Nec tibi*, Clitipho, nate. — *Nec vos est æquum*, etc. «Nec justum est vos vicissim mihi irasci de eo, quod facio.» Chremes igitur ab eo deterretur, quod facere utrique illorum cogitaverat. Cf. 950.

980. *Ah.* Var. *Hei. Vah.* — *Quid?* Syr. *Unde*, etc. Delph. *Quid Syre?* — *Rogasse*, sub. *eum.* — *Quid.* Sub, *rogare.*

981. *Abalienavit.* Alii *alienavit.* — *Abalienavit.* Abdicavit; tanquam alienos tractavit. — *Esse.* Sub. unde petas tibi cibum. — *Ad*, apud.

982. *A fame.* Abest *a*, in quibusdam. — *Adeo.* In eum statum. — *Rem*, fortunam meam.

983. *Quæ*, Ms. Bodl. *Quid?* — *Modo*, si modo. — *Est spes.* Restat adhuc, vel in difficillimo rerum nostrarum statu, spes qua debemus erigi, et sustineri. — *Nos esurituros satis.* Vernili more Syrus jocosa miscet et seria. Id quod παρὰ προσδοκίαν vocant, quum aliter respondetur quam exspectatur. *Perlet.*

SYR. Immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum,
dum loquitur pater;
Et, quantum ego intelligere possum . . . CLIT. Quid? SYR.
non aberit longius.
CLIT. Quid id ergo? SYR. Sic est, non esse horum te
arbitror. CLIT. Quid istuc, Syre?
Satin' sanus es? SYR. Ego dicam, quod mi in mentem est;
tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant; nunc
filia
Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te
expellerent.

985. *Id egi.* Hæc absunt Guelf. 2. — *Loquitur.* Guelf. 3, *egit.* — *Ibi nunc sum.* In hac re, sc. ut te consilio adjuvem, nunc sum totus. — *Id egi.* Id cogitavi. — *Usque dudum dum.* Semper, tamdiu. — *loquitur*, pro *loquebatur.*

986. *Et quantum ego intelligere possum...* Hæc lente admodum Syrus pronuntiat, et graviter meditanti similis. Et quum hero interroganti non respondet, vult callide majorem ab eo audientiam sibi conciliare.—*Non aberit longius*, id quod cogito, a mente mea.

987. *Non esse horum te.* Guelf. 3, addit *filium.* — *Quid istuc.* Alii *qui ist.* — *Quid est ergo?* Quid est igitur de quo meditaris? — *Sic est.* Bene Eugraphius : « Diu finxit se nescio quid cogitare servus. Reperit tandem astute. Itaque hæc oratio, *sic est*, continuat cogitationes nota et familiari comicis figura. » — *Horum.* Chremetis et Sostratæ. Et *horum*, quasi cum odio dixit, dum forsitan oculis vel digito monstrat ædes Chremetis. — Hæc mira cum Syri arte dicuntur; Clitiphonem scilicet in gratiam cum patre reconciliare cupit et Chremetis animos mollire; nihil autem ad eum finem assequendum aptius erat, quam si fingeret Clitipho se non esse Chremetis filium. Sed quum multum inter se differant res serio factæ et eæ quæ simulantur; et quum præterea Syrus adolescentuli indolem magis nosceret quam ut tale consilium ei committeret, Clitiphonem ipsum ante alios decipit, et id quidem peringeniose.

988. *In mentem est.* Quid. delent *est.* Alii leg. *in mente.* — *Tu dijudica*, num res se habeat, ut dico.

989. *Fuisti* abest a Guelf. 2. — *Istis.* Chremeti et Sostratæ.—*Dum nulla*, sub. *fuit.*

990. *Te indulg.* Mss. quidam *tibi.*— *Propior*, et ideo carior, sc. quam tu.

991. *Vera.* Be. *vero.* Quam lectionem probam esse judicat Perl. « Nam movet ille merito quæstionem, cur *vera* filia, quum falsam nunquam

CLIT. Est verisimile. SYR. An tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
CLIT. Non arbitror. SYR. Nunc aliud specta : matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent esse; id non fit. CLIT. Verum dicis. Quid nunc faciam, Syre? 995
SYR. Suspicionem istanc ex illis quære; rem profer palam.
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito; aut
Scibis, cujus sis. CLIT. Recte suades, faciam. SYR. Sat recte hoc mihi

sustulerint.»—*Qua te exp.* Mss. Par. *qua re.* Quod non alienum, ait Perletus, a more Terentii. — *Vera.* Cum emphasi expressum, et oppositе ad Clitiphonem subditum scilicet. *Westerhov.*

992. *Hoc esse illum.* Both. *hoc ill. esse.* — *Ob peccatum hoc.* Intelligit scortationem cum Bacchide.

993. *Specta.* Guelf. 2, *exspecta.* — *Aliud*, sc. argumentum.

994. *In paterna injuria*, etc. Both. *in patria injuria Solent : id non fit.* — *In paterna injuria.* Quando patres in eos inique agunt.

995. *Dicis* delent Gov. et Mur. — *Quid nunc faciam.* Legunt quidam, *quid nunc ego fac.* Alii *quid nunc ergo faciam.* Alii denique, *quid ergo fac.* Bothius legit, *verum. Dic ergo, quid n. f. S.* — *Solent esse.* Menander : Ἔστι δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός. — *Id non fit*, erga te. Id est, mater tibi non est adjutrix. — *Verum dicis.* Persuadetur Clitipho ad credendum. Modo dixerat, *est verisimile.* Igitur gradatim movetur.

996. *Istanc.* Lib. antiq. *istam.* — *Palam.* Post hanc vocem, addit Bent. *aut*, invitis codd. — *Suspicionem istanc*, etc. Quære ab illis eam rem quam suspicaris. — *Rem profer palam.* Sine ambagibus eos aggredere.

997. *Aut.* Hoc, *aut*, quod vulgo in fine hujus versus positum est, locatur ab Erasmo, Westerh. ac Bentl. in initio sequentis. — *Si non est verum.* Supple, te non ex illis natum esse. — *Ad misericordiam.* Adnotat hic Bœclerus : «Quid enim validius esse poterat ad tentandum animum parentum. Itaque postea mater nec ferre potest hujus rei mentionem. Calphurnius hujus sententiæ hanc rationem affert : «quia parentes veri cito filiis ignoscunt.» Quod frigidum esset hoc loco. Vult enim significare parentes prorsus ferre non posse, si γνησιότης τῆς στοργῆς in dubium vocetur.» *Bœcler.* — *Aut.* Supple : posito altero, eorum te non esse.

998. *Cujus sis.* Mss. quid. addunt *filius.* Alii libri post *sat recte* omit-

In mentem venit : namque adolescens quam in minima spe situs erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etenim haud scio, anne uxorem ducat; ac Syro nil gratiæ.
Quid hoc autem? Senex exit foras; ego fugio. Adhuc quod factum 'st,
Miror, non jussisse illico abripi me. Ad Menedemum hinc pergam.
Eum mihi precatorem paro; seni nostro nil fidei habeo.

tunt *hoc.* — *Sat recte hoc mihi*, etc. Hæc Syrum ad spectatores conversum dicere apparet.

999. *Quam in minima spe.* Lib. antiq. *quam maxima in spe*, pro *minima.* Fa. omittit, *in.* — *Situs erit.* Guyet. conjicit, *citus*, id est, *citatus.* — *Quam in minima*, etc. Quo in minori spe. — *Situs*, positus.

1000. *Tam.* Bip. *tanto.* — *Facillime.* Bentl. *difficillime;* sed nil notat ad novam hanc lectionem. — *Tam facillime*, eo facilius. — *Patris pacem conficiet.* In gratiam cum patre redibit. — *In leges suas.* Sc. in leges patris; secundum eas leges et conditiones quas dare pater voluerit in ea pace ineunda.

1001. *Anne.* Ita C. G. m. et Hal. In Bemb. abest particula *ne.* — *Ac Syro nil.* Eugr. ingerit *sit.* — *Etenim haud scio*, etc. Scilicet quum spe fere omni destitutus, qualibet conditione amicitiam patris recuperare coactus fuerit, eveniet fortasse ut uxorem ducat, et animum a meretrice avulsum ad nuptias transferat. — *Ac Syro nil gratiæ.* « Mihi nihil gratiæ erit ex eo consilio. » Et adde ut totum hunc locum plane intelligas : « Id quidem fiet, sc. mihi gratia non agetur. Sed cum patre natum reconciliavero, et quidquid male antea factum fuit per me, resarcivero.

1002. *Quid hoc autem?* Al. *Quid autem hoc.* — *Quod factum 'st.* Guelf. *ob hoc quod f.* — *Quid hoc autem?* Hæc Syrus, dum aliquid strepitus audit. — *Senex*, Chremes. — *Adhuc*, usque ad id temporis. — *Quod factum est.* Propter id quod feci, et propter quod debet mihi succensere.

1003. *Miror, non jussisse*, etc. Varie hic versus legitur. Quem exhibet Perletus, ab Erasmo fere est. Par. Ed. *Mir. continuo non jusse me adripi. Ad Mened. hunc pergum.* C. G. m. *Mir. hoc non jussisse illico arripi me. Hinc j. ad Men. perg.* Et sic alii aliter. — *Non jussisse*, subaud. Chremetem. — *Abripi.* Comprehendi. Vid. Andr. 862.

1004. *Nil fidei.* Alii *fidei nihil.* Both. habet *Nostro fide nil h.* — *Precatorem.* Intercessorem. — *Seni nostro nil fidei habeo*, quamvis scilicet vs. 977 sq. dixerit Chremes : « Nemo accusat, Syre, te : nec tu aram tibi, nec precatorem pararis. »

SCENA QUARTA.

SOSTRATA. CHREMES.

Sos. Profecto, nisi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali: 1005
Idque adeo miror, quomodo
Tam ineptum quidquam tibi in mentem venire, mi vir, potuerit.
Chr. Oh, pergin', mulier esse? Ullamne unquam ego rem in vita mea

1005. *Nisi caves, tu homo.* Br. *Nisi tu caves homo.—Profecto, nisi caves*, etc. In hac scena continetur imago quædam dissidii inter virum et uxorem, qui natura sunt difficiles. Atque in tali jurgio, illos ipsos morosorum adversus uxores senum mores videtur κωμῳδεῖν poeta noster.—*Tu homo.* Cum stomacho Sostrata dicit; et coercitura est uxor maritum, quod exheredationem filii velit *Eugraph.* — *Aliquid gnato conficies mali.* Adnotat hic Bœclerus maxime convenienter: « Magna celeritas est rerum, quæ hic concluduntur. Clitipho ad matrem cucurrit, querelam ferens de severitate patris exheredare ipsum volentis; atque hinc suspicionem moverat de statu suo: quod verisimile nemini videretur, patrem tam acerbe acturum cum filio, quem pro vero et suo agnosceret. Mater Chremetem maritum statim ea de re aggreditur, domoque exeuntem pone consequitur, atque hoc jurgium in scenam infert. Interponitur nihil aliud, quam sermo ille Syri brevis scena præcedente. Hæc, inquam, celeritas condonatur fabulis, quarum mensuram et modum custodire inter artes poetæ est. Neque nulla ratio subest, inter perculsos re atroci, et paucis verbis, multo affectu festinantes. Frustra hic non nemo confusionem suspicatur, et ad scenam sequentem requirit, quî jam hac scena Sostratæ de suspicione Clitiphonis potuerit constare. »

1006. Hunc vs. et sq. ita legit et ordinat Both. *Idque adeo miror, qui tibi tam ineptum, mi vir, quippiam Venire in mentem potuerit. — Idque adeo miror.* Et valde miror.

1007. *Tam ineptum quidquam.* Ut filium privares hereditate. — *Mi vir.* Adjectum *mi* ostendit, animum mulieris ad lenitatem post convicium satis acre redire. *Perl.*

1008. *Pergin', mulier esse?* Lib. antiq. et post eos plures ex recentissimis editoribus, *Pergin', mulier, odiosa esse?* Ms. Mark. *Perg. mul. molesta esse.* Quod utrumque nec Bentl. codices habent, nec C. G. m. Sed *mulier* cum emphasi accipien-

Volui, quin tu in ea re mi advorsatrix fueris, Sostrata?
At si rogitem jam, quid est, quod peccem, aut quamobrem id faciam, nescias. 1010
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? Sos. Ego nescio.
CHR. Immo scis potius, quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio.

dum; quamvis *odiosum esse*, *pergere* etiam Terentianum est. *Perl.*—*Ullamne?* Sic interrogando plerique. At per affirmationem vulgo, pro *næ*, *ne*. — *Oh!* Est hic exclamatio irascentis. — *Mulier*, quoad infirmitatem. — *Pergin'*, *mulier esse*. Satis est, ad objurgationem, si sexui imputetur impotens, intempestiva, et temeraria sapientia. Plaut. Casin. act. II, scen. II, « I foras, mulier es. » *Farnabius.* — Sensus est ergo : Pergin' partes exercere et officium mulieris, quæ semper vult loqui et marito repugnare.

1009. *Advorsatrix fueris.* Alii *fuer. advorsatrix.* — *In ea re*, quam volebam.—*Advorsatrix.* Apud Plautum opponitur *assentatrix*, Mostellar. I, III, 100 : « Nunc assentatrix scelesta est, dudum advorsatrix erat. » *Bœclerus.*

1010. *Quod peccem.* R. Stephanus addit *hic*, quod valde, ut putat Westerhov. juvat sensum. — *Id faciam.* Plures alii *hoc fac.* Quidam pauciores *id facias*, ex quibus Both. — *Nescias.* Notat mulierum imprudentiam, quæ ut plurimum ignorant, quæ prava aut recta sunt. *Calph.*

1011. *Restas.* Mss. quidam *restitas.* Abest *ego* Guelf. 2. Bip. legit: *Stulta.* Sost. *ego? Scio.*—*In qua re.* Qua de causa. — *Restas*, resistis, repugnas mihi. Ovid. Fast. II, 749 : « Post modo victa cades : melioribus, Ardea, *restas*, Improba. » — *Ego nescio.* CH. *Immo scis potius*, etc. Illud *ego nescio* vel dolenter, vel ἰμπαθῶς proferendum est, ut contrarium intelligatur : vel, quod simplicius videtur, idem sensus interrogatione effici potest : *Ego nescio?* Itane ego nescio, quid facias? In re scilicet tam manifestæ acerbitatis. Atque in hac sententia, Calphurnio etiam probata, nihil opus est emendatione, aut commentatione τοῦ *nescio* in *nesciam*, invitis codicibus. Respondet Chremes iracunda concessione, *immo scis potius*, *quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio.* Id est, « Desine modo contra dicere ; non dico jam te nescire : *Quin scis*, εἰρωνικῶς. Quin te scire fateor potius, quam ut eadem oratio redintegretur, quam ut iteratis tuis contradictionibus me obtundas. » Τὸ *scis* nihil incommodi hic habet : vultu præsertim et pronuntiatione figuram affirmantibus, et formam τῇ διανοίᾳ largientibus. *Bœclerus.*

1012. *Hæc eadem oratio.* Exulat *hæc*, Par. teste, a Mss. Pall. Both. legit, *immo potius quidem quam r. a. i. eadem oratio!* — *Immo scis potius*, *quam*, etc. Malo fateri te scire et intelligere quid velim dicere, quam me, vel te de eadem re sermonem redintegrare.

Sos. Oh, iniquus es, qui me tacere de re tanta postules.
Chr. Non postulo; jam loquere; nihilo minus ego hoc faciam tamen.
Sos. Facies? Chr. Verum. Sos. Non vides, quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. Chr. Subditum ain tu? Sos. Certe sic erit.
Chr. Confitere. Sos. Au, obsecro te, istuc nostris inimicis siet.

1013. *Oh! iniq. es.* Illud *oh* præcedenti versui apponendum censet Bentl. Ita et habet Both. — *De re tanta.* Scilicet in periculo filii. Vs. 984.

1014. *Non postulo; jam loquere.* Malit Westerhov. distingui: *Non post. jam: loquere. — Ego hoc faciam tamen*, sub. quod constitui de filio. sup. 943.

1015. *Non vides.* Guelf. *num vid.* — *Quantum mali.* Guelf. 3, *Quant. malum.* — *Verum.* I. e. omnino. Verum est quod dixi me facturum.

1016. *Certe sic erit.* Ita Ed. Faern. Mur. al. ut est in lib. Bemb. Pro *certe sic erit*, habent Codd. Bent. omnes *certe inquam vir.* Itidem plerique alii. *Perletus.* — *Subditum se suspicatur.* Hic jam intelligendum, venisse adolescentem, et matri, hoc est mitiori de parentibus, suam suspicionem indicasse. *Eugr.* — Pro *suspicatur*, T. Faber, et post eum Dacieria, vult legi *suspicetur*, quia Sostrata nondum potuerit resciscere, Clitiphonem suspicari se esse subditum, quum neque Syrum qui id dederit consilii, neque filium convenerit. Meræ sunt nugæ et næniæ. Nam Clitipho, ubi supra 998, dicit, *recte suades, faciam*, statim domum abiit, et matri in gynæceo narravit, patre in alia parte ædium agente, dum Syrus solus secum sex sequentes versus loquitur. Igitur Clitipho primum domi matri rem aperuit, quam in scena sequenti repetit. Quare nec Sostrata ut in re nova est consternata, sed lente respondet, *obsecro, mi gnate.* Deinde si legas *suspicetur;* si nemo indicaverit, efficitur, ut Sostrata vel ipsa dubitaverit, sitne verus filius, quod plane est ridiculum, vel omnium sagarum et divinarum anuum sit princeps et magistra. *Bentleius.* — *Subditum*, subdititium, suppositicium, ὑποβολιμαῖον. — *Subditum ain' tu?* Cum admiratione, sed severa, et contradicendi studio excitata, dici hæc, responsio matronæ monstrat magna asseveratione: «Certe sic erit.» *Bœcler.* — *Certe sic erit.* Quod in futuro dicit, *certe sic erit*, confirmando id quod jam in præsenti dixit, *subditum se suspicatur*, hujus locutionis jam vidimus exemplum in Eunucho, 731, pag. 232: «Verbum hercle hoc verum erit.» *Faernus.*

1017. *Confitere.* Vulg. *tuum non esse*, additur. Quæ verba olim

Egone confitear, meum non esse filium, qui sit meus?
CHR. Quid? Metuis, ne non, quum velis, convincas esse illum tuum?
SOS. Quod filia est inventa? CHR. Non; sed, quo magis credendum siet,
Quod est consimilis moribus,
Convinces facile, ex te esse natum: nam tui similis est probe.

Faern. emisit. — *Nostris.* Vocem hanc non habent West. Par. et alii. — *Confitere.* Supple, « Filium tuum non esse. » Acerbe illud dicitur, ut fusius in notis Bœclerus explicat. Itidem Cic. pro Rosc. Amer. §. 61: « *Confitere* huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum. » — *Au.* Obsecrantis. Modo blandientis et misericordiam moventis. — *Istuc nostris inimicis sit.* Imprecatio. Ovid. « Hostibus eveniant convivia talia nostris. » Horat. « Hostium uxores puerique cæcos sentiant motus orientis Austri. »

1019. *Quid? metuis.* Alii, *quid metuis?* etc. — *Ne non.* Junt. *nonne.* — *Metuis ne non, convincas esse illum tuum?* Vereris ne non possis probare in judicio illum esse filium tuum. Et *convincas* verbum judicii est. In judiciis *convicti* proprie dicuntur, qui causa ceciderunt. *Calphurn.*

1020. *Quo mag. cred. s.* Mark. et cod. Lips. *sed quo.* — *Quod filia est inventa?* Exinde putas posse inveniri hunc esse meum filium, quod et inventa est filia? Hoc est eodem pacto ut et hic noster, quemadmodum et illa inventa est, inveniri possit. *Eugraph.* — Censet Dacieria ab Sostrata innui facillime ipsam fore probaturam suum esse Clitiphonem, reperta filia, quia fratris similitudinem soror vultu refert. Ex sequentibus patet id similitudine inniti; quum respondeat Chremes: « Nam tui similis est probe. » Etenim, non omnino certum erat indicium, quippe Antiphila olim exposita, nuperrime tantummodo fuerat reperta; et ideo semper dubitari poterat num vere essent Sostratæ filii; quamobrem illud, quod Clitipho Antiphilæ ex vultu similis esset, adeo non illi favebat, ut contra adversus eamdem hanc Antiphilam pugnaret.

1021. *Quod est.* Par. ed. *Id quod.* — *Moribus.* Mss. Pal. addit *tuis.* Both. singulariter prorsus legit, et loca disturbata, ut putat, restituit: *Quod est consim. moribus probe tui. Nam illi*, etc. — *Quod est consimilis moribus.* Quadrat proverbium, « Ad semen nata respondent. »

1022. *Ex te esse natum.* Plures omittunt *esse.* Cæterum hæc verba inde ab initio hujus versus ex antecedentibus interpolata esse Perleto cum Bothio videntur. Vid. supr. vs. 1019. — *Convinces facile.* Facili probatione in apertum educes. — *Probe*, omnino.

Nam illi nihil vitii est relictum, quin id itidem sit tibi.
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur, quam severus! Rem, quum videas, censeas. 1025

SCENA QUINTA.

CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

CLIT. Si unquam ullum fuit tempus, mater, quum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro,

1023. *Quin id itidem sit tibi.* Varie legitur, *quin sit et idem tibi; quin id idem sit t.* — Hunc versum Bœcler. insititium vocat; vel glossam adjectam. — *Relictum*, a prava natura. Quasi innueret malam juvenis educationem.

1024. *Talem, nisi tu, nulla.* Aliter quoque disponitur: *Tal. nulla, nisi tu.* Hunc versum Guyetus, ut spurium, excludit. — *Talem.* Vitiosum, sicut scena seq. describitur; et hic per contemptum. Sic Andr. 871, supr. pag. 113.

1025. *Rem.* Satis nove adnotat West. in Addendis: M. Voiture à M. Costar, lettre XXVI: « Je vous dirai seulement que dans mon Térence pour, *rem, quum videas, censeas*, j'ai trouvé *ream.* » — *Sed ipse*, Clitipho. — *Quam severus!* Quam gravis et serius. — *Rem, quum videas, censeas.* Alii pronunciatu juvandam sententiam putarunt: « *Quam severus*, et alicujus pretii, non instrenuus videtur, quum faciem videas! *Rem* autem ipsam, *quum videas*, tum vero censeas, qualis sit: » ut ipsa ἀποσιώπησις quod verbis detrahit sententiæ adjiciat. — Alii proponunt: « Rem ita esse censeas, revera severum censeas esse, quum videas, quum faciem videas. » — Vix autem mente possumus concipere quomodo Perletus magis Farnabio assentitus fuerit notanti sic: « Tristis et gravis, abdicatus scilicet *re* perdita, ad censorum *severitatem* allusum. Qui scilicet non ex vultu, sed ex *re censent.* » Qui quidem sensus vix potest intelligi.

1026. *Si unquam f.* etc. Both. omittit *ullum*, et disponit *unq. si fuit tempus*, etc.

1027. *Tua voluntate.* Bemb. *Vestra voluntate.* Quam lectionem recepit Bip. — *Dictus filius tuus tua voluntate.* RACINE, *Iphigenie*, act. IV, sc. IV:

Fille d'Agamemnon, c'est moi qui la première,
Seigneur, vous appelai de ce doux nom de père,
C'est moi qui, si longtemps le plaisir de vos yeux,
Vous ai fait de ce nom remercier les Dieux.

Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;
Quod peto et volo, parentes meos ut commonstres mihi.
Sos. Obsecro, mi gnate! Ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. Clit. Sum. Sos. Miseram me! Hoccine quæsisti, obsecro?
Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque ex hoc natus es.
Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.
Chr. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.
Clit. Quos? Chr. Si scire vis, ego dicam : gerro, iners, fraus, heluo,

1028. *Ejus*, sub. temporis. — *Inopis mei*, sc. seu consilii, seu patriæ hereditatis. Nempe utrumque sensum proponit Perletus.

1029. *Quod peto et volo.* C. G. m. *aut* pro *et*, ubi antea abrasum esse aliquid videtur. *Perl.* — *Quod peto et volo.* Hæc verba complent quod sequitur: « Obsecro ut commonstres mihi parentes, quod quidem, etc. » — *Peto*, per preces. — *Volo*, ex animo. — *Parentes meos*, quibus scilicet restituar. Eunuch. 147.

1030. *Obsecro, mi gnate!* Verba propria matris desperatæ.

1031. Br. et Both. omittunt *te.* Posterior hic etiam sic totum versum legit: *Alienum esse.* Clit. *Tuus sum?* Sost. *Miseram me! hocc. quæsisse obsecro?* — *Alienum esse te.* Te esse suppositum et falsum filium, ex aliis natum. — *Sum.* Emphatice; scil. alienus. — *Quæsisti, obsecro?* Hoc quærere potuisti?

1032. *Ex* posterius omittunt Par. Br. Z. Both. — *Ita mihi atque huic,* etc. Religiosum utique et solemne parentum votum fuit, filios sibi relinquere superstites. Plaut. Asinar. Act. I, sc. 1; « Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ Superesse vitæ sospitem et superstitem. » Martial. lib. VII, epigr. 15: « Sic ad Lethæas, etc. » *Farnab.* — *Ex hoc*, Chremete.

1033. *Si me amas.* Hæc verba blandientis matris sunt, et quæ de filio sollicitata sit valde. His pulchre opponuntur, *si me metuis*, verba patris asperi. — *Istuc verbum.* Talem percunctationem.

1034. *Cave in te esse istos.* Both. *Cave inesse istos.* — *Mores istos*, quos tu habes. Et alludit pater ad meretricis consuetudinem qua filius utitur.

1035. *Gerro.* C. G. m. addit *es.* — *Heluo.* Variat scriptura, in *helluo.* — Clit. *Quos?* Clitipho ad extenuationem vult confugere, quali

Ganeo, damnosus. Crede, et nostrum te esse credito.
CLIT. Non sunt hæc parentis dicta. CHR. Non, si ex capite sis meo
Natus, item ut aiunt, Minervam esse ex Jove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
Sos. Dî istæc prohibeant! CHR. Deos nescio; ego quod potero, sedulo. 1040

sententia, vs. 958 sq. ante dixit: «Quodnam ob facinus? quid tantum sceleris admisi?» — *Gerro*, proprie piscis nullius saporis vel momenti. Aut *gerro* dicuntur machinamenta, quæ adversus civitates fiebant, magno impetu ut muros dejicerent. Eadem *gerras* appellabant. — *Iners*, sine arte et industria vivendi. — *Fraus*, fraudulosus. — *Heluo*. Immoderate bona sua consumens. Sic Cic. pro Sext. 11: *Heluo* patrimonii.

1036. Pro *crede, et*, Both. legit *cætera*. Guyetus reponit, *Nostrum te esse haud credito*. — *Ganeo*. Veteres *ganeum* meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γῆς, quod ipsa sit in terra. Hinc *ganeo* deducitur, qui meretrices sequitur. — *Damnosus*. Id est, damni quidquid tuis parentibus afferens. Ut jam fecisti, extorquendo a me per servum decem minas Bacchidi. *Calphurn.* — *Crede et nostrum esse te credito*. Εἰρωνικῶς et cum ἐμφάσει hæc dicta accipi debent, ut plura Chremetis. *Crede* hoc quod dixi: verissimum est scilicet, te esse qualem descripsi. *Crede* inquam, hoc de quo nulla tibi dubitandi causa est; et eadem opera, si potes, *credito te nostrum esse* filium. *Bœcler.*

1037. *Non sunt hæc par. dicta.* Addunt nonnulli *jam* post *parentis*. Dacieriam male hæc verba tribuere Sostratæ notat Westerhov. — CHR. *non, si ex cap.* etc. We. per interrogationem *non?* Male. Est enim *non patiar* jungendum. *Perlet.* — *Parentis*, scil. qui filium amet. — *Si ex capite sis meo Natus*, etc. Est, quasi diceret: si æque certus essem de partu ac matres sunt, aut Jupiter, etc. — Non vero putamus intelligendum, ut Perletus: «Et si tu mihi propior esses, quam secundum humanam naturam filii solent esse parentibus.»

1038. *Ex Jove*. Both. *a Jove*, et aliter versum disponit: *item ut Min. esse aiunt a Jove, e. c. m.* — *Minerv. esse ex Jove*. Nota est de hac re fabula poetarum.

1039. *Flagitiis tuis me infam f.* Hunc locum respexit Horatius, Art. Poet. vs. 93, 94.

Interdum tamen et vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

1040. *Dî istæc prohibeant*. Omittunt alii verbum *prohibeant*. — *Ego quod potero*. C. G. m. et post eum editores bene multi addunt *enitar*; quod non habent lib. Bemb. — *Istæc*. Sc. me fieri infamem propter filium. — *Deos nescio; ego quod potero, sedulo*; sub. *enitar*. Plenior

Quæris id quod habes, parentes; quod abest, non quæris, patri
Quomodo obsequare, et serves quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos...? Pudet
Dicere hac præsente verbum turpe? At te id nullo modo
Facere puduit. CLIT. Eheu! Quam ego nunc totus displiceo mihi!
Quam pudet! Neque quod principium inveniam ad placandum scio.

sic erit locutio: «Quid Dii sint facturi *nescio*; ego quidem, *quod potero*, cavebo diligenter, ne infamis fiam.»—Non absque loco est referre, Dionysium Lambinum, vir summe eruditum, in egregia illa ad Carolum IX epistola impietatis Terentium accusasse, quia hæc verba, ut putat, irato seni tribuuntur, *nescio deos*. Sed quantum hic esset invercundiæ si hæc verba absolute dicerentur, ut vult Lambinus, tantum vacat Terentius culpa, si cogitaveris, innui hoc loco, ut jam diximus: «Nescio quid facere decreverunt Dii.» Sic alibi, 396: *Nescio alias*, Id est, quid aliæ mulieres faciant.

1041. *Parentes.* Scrips. Bent. *parentis*, ut hujus modi alia *mensis*, *omnes* pro *menses*, *omnes*. — *Quod abest.* Mss. Westerh. addunt *a te*. *Quod abest, non quæris.* H. e. quemadmodum patri obsequaris. Et est compositum ex contrâriis, quæ figura dicitur ἀντίθετον, vel πάρισον, id est, æquatio sententiæ. *Eugraph.*

1042. *Et serves.* Alii ante *serves* præponunt *ut*, quod omisimus cum Bent. Both. Perl. Bip.

1043. *Non mihi per fall.* Bent. reponit *tén mi*, cum accentu more suo notatum. At ego pronomen *te* reticuisse Nostrum putarem, propter ea quæ posterius, vs. 1049. Præterea curabimus ut *mihi*, sc. patri, et *hac sc. matre* opposita sibi invicem esse intelligamus. Itaque ego per duas interrogationes factas credo me his suum versibus lumen attulisse. *Perl.* — *Non mihi adducere.* Sub. dubitasti, erubuisti, vel quiddam tale. — *Pudet*, sub. *me.*

1044. *Hac*, matre tua. Ea erat græcis et romanis erga uxores suas reverentia, ut nullum omnino inverecundum verbum coram eis pronunciare voluissent. Quod quidem suadebant pariter et religio, et civitatis bona administratio. — *Verbum turpe.* Noluit dicere *meretricem*. — *Id.* Meretricia scilicet consuetudine uti.

1045. *Facere puduit.* Alii *puduit facere*. Et imo, aliquot Bent. codd. *Piguit fac.* — *Quam ego nunc totus displiceo mihi!* Qui tantis objurgationibus dignum me præstiti.

1046. *Princip. inveniam* C. G. m. *incipiam*. Itid. Par. In C. Hal. *incapiam*. — *Ad placandum*, sub. *patrem.*

SCENA SEXTA.

MENEDEMUS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

MEN. Enimvero Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane. Exeo ergo, ut pacem conciliem. Optume
Ipsos video. CHR. Ehem! Menedeme, cur non arcessi jubes
Filiam, et quod dotis dixi, firmas? SOS. Mi vir, te obsecro,
Ne facias. CLIT. Pater, obsecro mihi ignoscas. MEN. Da veniam, Chreme.

1047. *Enim vero*, etc. Illa sunt indignantis. Intelligendum est, Menedemum extrema certe patris et nati verba post scenam audivisse. — *Cruciat adolescentulum.* Non sine venustate τῷ *cruciat*, quod est asperum, Terentius opponit *adolescentulum*, quo fiat major per illud deminutivum oppositio.

1048. *Nimisque.* Both. omittit *que.* — *Optume.* Alii opportune. *Exeo ergo, ut pacem conciliem.* Sic intervenit persona, cujus gratia pax concilietur: ita ut omnia tranquilla sint et composita, prout comœdiæ finis postulat. *Calph.*

1049. *Arcessi.* Proprie *arcessitur* uxor, ut jam notavimus, dum ad virum ducitur.

1050. *Et quod dotis dixi.* Alii, *et quod dixi dotis.* — *Cur non quod dotis dixi firmas?* Menedemum accipere necesse erat, ut dono esset pondus legitimum. Sed, quod ad τὸ *firmas* attinet, quiddam multo majoris momenti adnotandum est. Chremes scilicet, ut vidimus, non omnes suas fortunas filiæ suæ in dotem vult largiri; et fingit se daturum omnia, non nisi ut timens Clitipho redeat ad meliorem frugem. Quum autem satis diu duraverit ille Clitiphonis metus, ex obliquo pater innuit non omnino decretam esse largitionem dotis, ita ut suam ille possit adhuc impetrare veniam. Et totus quidem hic locus mira cum arte tractatur.

1051. *Obsecro mihi ignoscas.* Alii, *obsecro ut mihi ign.* — *Ne facias.* Ne exheredes filium. Cf. supra, 1014 sqq. Scilicet putat Sostrata, id quod erat fictum, esse verum, sc. fore ut pater penitus exheredaret filium, omnia tribuens filiæ. *Calph.* — *Da veniam*, parce illi.

Sine te exorem. CHR. Egone mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?
Non faciam. MEN. At nos non sinemus. CLIT. Si me vivum vis, pater,
Ignosce. SOS. Age, Chremes mi. MEN. Age quæso, ne tam obfirma te, Chreme.
CHR. Quid istic? Video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.
MEN. Facis, ut te decet. CHR. Ea lege hoc adeo faciam, si id facit,
Quod ego hunc æquum censeo. CLIT. Pater, omnia faciam, impera.
CHR. Uxorem ut ducas. CLIT. Pater! CHR. Nihil audio. MEN. Ad me recipio;

1052. *Sine te exorem.* Sic lib. antiq. In Bemb. *exorent;* postea deleto *n*, remansit *exoret.* — *Ut dem Bacchidi dono sciens?* We. post *dono* distinxit per interrogationem; incommode. *Perlet.* — *Ut dem.* Supple, «Visne a me impetrare, ut ego dem, etc.» — *Sciens,* videns. Quod pejus esset, quam si nesciret.

1053. *At nos non sinemus.* Vulg. *At id nos non sinemus.* Omittimus post Br. Bip. Perl. Both. — *At nos non sinemus.* Sensus est: « Adeo non oramus ut des dono tua bona Bacchidi, ut contra nos quoque non permitteremus id donum a te fieri.» — *Si me vivum vis pater.* Hoc solo verbo poterat placare patrem. Nam pater filii vitam omnibus rebus anteponit. *Calphurn.*

1054. *Ignosce.* Guelf. 3, *ignosces.* — *Chremes mi.* Abest *mi.* Br. — *Ne tam obfirma te.* «Noli te tam obstinatum ostendere.» Ille enim dicitur se obfirmare in aliquo proposito, qui obstinate ac pertinaciter in illo perseverat, tanquam immobilis truncus. Et est translatio sumpta a repagulis. *Calph.*

1055. *Quid istic.* Guelf. 2, Bip. *Q. istuc.* — *Non licere* Mark. addit *mihi.* — *Pertendere.* Guelf. 3, *prendere.* Alii *perpendere*: male. *Perlet.* — *Quid istuc.* Quid hoc tibi vult. — *Video non licere,* etc. Menander: Ὁ σκληρότατος πρὸς ὕιον ἐν τῷ νουθετεῖν, τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ' ἔργοις πατήρ. *Farnab.* — *Hoc pertendere.* Eo usque tendere quo volebam ire, i. e. filium exheredare.

1056. *Si id facit.* Al. *Si facit id.* Lib. antiq. *Si faciam.* In Bemb. libb. *Si id faciat.* — *Adeo,* intellige, quasi esset, *solum modo.*

1057. *Quod ego hunc æquum censeo.* Supple, *esse facere.*

1058. *Ut ducas.* Guelf. 3, addit *volo.* — *Nihil audio.* C. G. m. *audio etiam.* — *Uxorem ut ducas.* Sc. impero, volo. — *Pater.* Tantum dicit

Faciet. Chr. Nihil etiam audio ipsum. Clit. Perii! Sos. An dubitas, Clitipho?

Chr. Immo utrum vult? Men. Faciet omnia. Sos. Hæc dum incipias, gravia sunt,

Dumque ignores; ubi cognoris, facilia. Clit. Faciam, pater.

Sos. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,

hoc verbum, non statim volens dare responsum, tanquam prius deliberaturus. — *Nihil audio.* Ad jussum sibi tantopere ingratum Clitipho nihil respondet, præ metu ne pater irascatur, sed timida voce, quasi misericordiam implorat. Tunc pater severa voce: *Nihil audio.* « Mihi non respondes, nate, num mihi obediturus sis. » Probatur certissime, ut equidem nobis videtur, ex vs. sequenti, hunc esse verum sensum. Alii tamen explicant: « Nullam excusationem audio, » et censent aversum et indignatum Chremetem hæc dicere. — *Ad me recipio.* Rem in me recipio, sc. Clitiphonem ducturum uxorem. Simile fere modo dicimus: « Je prends la chose sur moi. »

1059. *Nihil etiam audio.* Abest *etiam* Guelf. 2. — *Nihil etiam audio ipsum.* Ingeminat Chremes voce asperiori: « Nondum etiam audio filium respondentem mihi de jussu quem emisi. » Et interea, Clitipho, desperatione semper et metu defixus, nil loquitur, at secum dicit, *Perii.* — *An dubitas, Clitipho?* Supple, uxorem accipere.

1060. Mark. et Ed. Anon. integrum interserunt versum: *Aut illam accipiet, aut me inimicum habebit.* Ex glossis, ut videtur. *West.* Hul. interserit pariter, *Aut illam accipiat, aut me inimicum habebit, utrum volt.* — *Gravia sunt.* Edit. Anon. *grav. omnia sunt.* — *Immo utrum vult?* Corrigit uxorem, quæ quasi permittit arbitrio filii, quid ipse facere velit. « Quæro utrum amborum velit? uxorem ducere an exheredari. » — *Faciet omnia*, sup. quæ imperabis. — *Hæc*, relinquere Bacchidem, consilium capere de ducenda uxore. — *Gravia*, molesta, difficilia.

1061. *Faciam, pater.* Mark. addit *omnia.* — *Ubi cognoris*, experiundo, usu.

1062. *Gnate mi.* C. G. m. *mihi.* Ita tamen scriptum, ut posterior syllaba, *hi* pallidiore atramento a seriore manu adjecta videatur. — *Illam.* Par. p. var. *ellam.* Lib. antiq. *puellam.* — *Ego pol tibi dabo.* Neminem interpretum movit qua hic arte, secundum nos, Terentius fecerit uxorem Clitiphoni ab ipsa sua matre, non autem a patre proponi. Quia nempe, nisi fallimur, leniori hæc voce et minus imperanti similis, sperat se potius juvenis animum labantem impulsuram fore. — *Illam lepidam*, etc. Hic alludit, ut joco tristitia solvatur, quum promittit

Filiam Phanocratæ nostri. CLIT. Rufamne illam virginem,
Cæsiam, sparso ore, adunco naso? Non possum, pater.
CHR. Heia, ut elegans est! Credas animum ibi esse. Sos.
Aliam dabo.
CLIT. Immo, quandoquidem ducenda est, egomet habeo
propemodum
Quam volo. Sos. Nunc laudo, gnate. CLIT. Archonidi
hujus filiam.

filiam nescio cujus admodum fœdam. *Eugr.* — Neque tamen putandum est, ut adnotat exquisite Bœclerus, matrem consulto talem nominasse, quæ illa descriptione irrideri posset. Sed quum illa honestatem familiæ, divitias et talia spectaret in eligenda conditione; adolescens, pro ætate ac ingenio, formæ primam sibi rationem ducit habendam.

1063. *Illam virginem.* Vet. cod. ap. Lind. *illam puellam.* — *Nostri*, vicini. — *Rufamne illam*, etc. sub. *dabis?*

1064. *Cæsiam*, glaucis oculis; quales sunt, verbi gratia, felibus. — *Sparso ore.* Lentiginosa facie, vel, ut alii intelligunt, *ore late diducto.* Quanquam tamen posterior hic sensus melius fortasse deceat hoc loco, ut adnotat interpres gallicus *Lemonnier*, quia videtur Clitipho, singulatim locutus de capillis, de oculis, de naso, non totum vultum, sed rictum oris solummodo velle designare. — *Non possum, pater*, sub. *eam ducere.*

1065. *Heia, ut elegans est!* Quam prudens est in delectu. Quiddam omnino simile reperitur in Eunucho, 566: «Quam *elegans* formarum spectator siem.» — *Credas animum ibi esse.* Plures intelligunt per interrogationem, et explicant: «Quis credat illum ad eas res animum adeo advertere.» Prætulerimus sensum quem offert Anglus interpres, «Facile agnoscas ipsum ad hanc artem animum adjecisse.» In quo insuper inest ironia huic loco bene apta.

1066. *Immo.* Abest hæc vox Guelf. 2. Pro lectione hac quam recepimus ex Bent. Bip. Perl. Both. Alii legunt, *quid istic.* — *Immo.* Ita cupio aliam dari, ut habeam, etc. — *Quando quidem ducenda est.* Quoniam necesse est me uxorem ducere. — *Egomet.* Vis inest huic pronomini, ut sensus sit: «ego habeo, quam volo; nec pater mihi dederit aliam.» — *Habeo propemodum.* Succurrit propemodum ea virgo quam volo ducere.

1067. *Nunc laudo.* West. ed. *te*, quod receperunt nonnulli. — *Archonidi.* Sic citat Priscianus. In lib. antiq. est *Archonidis.* In Bent. libb. *Arconidis.* Both. *Archonidæ.* — *Hujus filiam.* Vox *hujus* ex lib. Bemb. — *Nunc laudo, gnate.* Laudat mater, propensa ad indulgentiam, priusquam comperiat quam filius elegerit uxorem. — *Hujus*, διαπτικῶς, vicini nostri.

Sos. Perplacet. CLIT. Pater, hoc unum restat. CHR. Quid?
CLIT. Syro ignoscas volo,
Quæ mea causa fecit. CHR. Fiat: vos valete et plaudite. 1069

1068. *Unum.* Alii *nunc*, pro *unum*. — *Quid?* Mss. We. *ut*—*Syro ignoscas.* Præponunt *ut* M. Bœnd. et Guelf. 2. — *Hoc unum restat.* Similiter in fine Andriæ, nec non Adelph. — *Syro ignoscas volo.* Petit veniam etiam Syro, sed non omnium factorum, ne infinitum esset, quod petere videretur. Et transfert in se crimen servi dicens: *Quæ mea causa fecit.* Eugraph.

1069. *Fiat.* Concedentis. Sic, Adelph. 950. Et in simili re Simo pater concedit Pamphilo de Davo precanti, Andr. 956; supra, pag. 122. — *Vos*, ad spectatores.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC PRIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

PRÆFATIO novi Editoris ..... Pag. I
Præfatio Perleti XI
Terentii vita, auctore Donato XVIII
— — ex codice Oxoniensi XXIII
— — de dictis D. F. Petrarchæ XXVI
Dissertatio novi Editoris de ea quæstione: « Num sit vere auctor Terentius fabularum Terentii nomine inscriptarum. » XXX
De Tragœdia et Comœdia XXXVIII
L. Victoris Fausti de Comœdia libellus L
De Theatro LXVI
Goveanus de Ludis Megalensibus XCII
Danielis Heinsii Dissertatio XCIV
Petitus de ordine Comœdiarum Terentii CXX
Loca Menandri et Apollodori quæ Terentius Latine interpretatus est CXXII
Erasmus de Metris CXXXIV
Perleti Dissertatio de Metris Terentianis CXXXIX
Elogia veterum de Terentio CXLVIII
Testimonia gallicorum scriptorum CLVIII
Catalogus Editionum CXCIII
Elenchus scripturæ compendiorum CCI

ANDRIA.

Titulus ..... Pag. 2
C. Sulpitii Apollinaris Periocha 5

Prologus ..... Pag. 7
Actus primus 13

EUNUCHUS.

Titulus 128
C. Sulpitii Apollinaris Periocha 130
Prologus 131
Actus primus 139

HEAUTONTIMORUMENOS.

Titulus 302
C. Sulpitii Apollinaris Periocha 305
Prologus 307
Actus primus 317

FINIS PRIORIS VOLUMINIS.

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

DATE DUE

APR 13 1991

DEC 13 1991